HISTORIA ECCLESIASTICA
VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,
UBI PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ , non ſolum ad Hiſtoriam , ſed etiam ad Dogmata , Criticam ; Chronologiam , & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes , per breves Interrogationes , & Reſponſiones perſtringuntur , & in præclaro ordine collocantur.

OPUS NOVEM TOMIS COMPREHENSUM,

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT
DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. FF. Prædicatorum.

EDITIO NOVISSIMA

Luculentiſſimis additionibus , perpetuiſque adnotationibus illuſtrata , & continuatione uſque ad annum MDCCLX. locupletata

A P. JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Matris Dei Lucenſi.

TOMUS QUARTUS
COMPLECTENS
TRIA ECCLESIÆ SÆCULA,
DECIMUM, UNDECIMUM, & DUODECIMUM

VENETIIS,
MDCCLXII.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM.

IN quam immenſam molem parva ab origine res ſæpius creſcat, hoc quarto Hiſtoriæ Eccleſiæ Tomo, qui nunc, bene fortunante Deo, in lucem prodit, ſat ſuperque didici. At enim, cum in concinnanda ſæculorum decimi, undecimi, & duodecimi Hiſtoria exiſtimarem, eam unico juſtæ magnitudinis Tomo comprehenſum iri, comperi tamen, hunc quartum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomum, jam typis excuſum, in majorem, quam par eſſet, excreviſſe molem, & aliis, quos jam publica luce donavi, multo grandiorem evaſiſſe. Quamobrem ſtudioſi Lectoris utilitati ut conſulerem, operæ pretium me facturum eſſe duxi, ſi duas in partes huncce Tomum diſtribuerem, quarum prima complecteretur Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculorum decimi & undecimi; Altera exhiberet Hiſtoriam duodecimi ſæculi. Unicuique tamen integrum ac perfacile erit, ſi velit, utramque iſtius Tomi partem in unum Volumen conſtringere, & unam ab altera non divellere. Cæterum, Amice Lector, ſi tibi Religio cordi eſt, curarum partem aliquam in ſtudium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ derivare, Faſtorum indagare monumenta, Summorum Pontificum Decreta, & Conciliorum Canones ſæpius lectitare, atque memoriæ tuæ clavo, ut ajunt, trabali, alte defigere debes. Habebis me moleſtiæ ac laboris literarii vicarium, dumque noſtra in Hiſtoriam Eccleſiaſticam te non tædebit perluſtrare Opera, ipſe lucubrationum bibere fuliginem, & infinita veterum ac recentiorum monimenta, tua cauſa, percurrere non deſiſtam. Non pigebit etiam, ſicubi hæreo, quærere, & ſubſidio mihi diligentiam comparare; ſicubi neſcio, diſcere; ſicubi erro, ſententiam mutare, & omnia, quæ hactenus ſcripſi, vel deinceps ſcripturus ſum, maxima, qua par eſt, reverentia, ſubjicere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ judicio, cui, ceu tutiſſimæ fidei noſtræ anchoræ indivulſe adhærere ſummo ſemper religionis loco ducam.

Digitized by Google

PErgit Scriptor haud ignobilis, Reverendus admodum Pater *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir recondita ſingularique litteratura perpolitus, judicio, ſuavitate, & elegantia vel omnium primus, vel ſecundus nulli, pergit quo cœpit pede: Scilicet Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ variis Colloquiis digeſtæ in lucem emittit volumen quartum ſæcula decimum, undecimum, & duodecimum complectens ſtylo terſo, methodo plana, modo adhibito, extra brevitatem quæ obſcuritatem parit, extra prolixitatem quæ faſtidium affert, extra parerga quæ animum a ſcopo revocant, extra futilia quibus horæ bonæ male collocantur, tandem extra vitia & adulationis, & ſimultatis, quibus Hiſtoria conſpurcatur. In præſens mihi liceat *Petri Bleſenſis* verba epiſt. 77. huicce volumini aſſerere, *nihil ibi reſidet, quod Lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod vitam non inſtruat, quod non ſapiat honeſtatem.* Illud itaque calculo noſtro comprobandum libenter duximus.

Datum Romæ, in Conventu & Collegio Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Kalendis Novembris anni 1718.

Fr. Antonius Bardon, Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & Cathedraticus Caſanatenſis, Ordinis Prædicatorum.

Præ-

Digitized by Google

PRæſtantiſſimorum Scriptorum ingenia hoc habent, ut quo altius in propoſitam ſibi materiam penetrant, eo latius doctrinæ, ac eruditionis ſuæ radios expandant: neque tamen a præſtituto ſcopo, vel latum quidem digitum unquam deflectant. Has inſignes dotes in clariſſimo viro, cujus quartum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumen, ex ſupremi Ordinis noſtri Archimandritæ, ac Magiſtri Generalis mandato, lubens lectitavi, cum ſemper, tum potiſſimum impræſentiarum, quam maxime ſum demiratus. Rerum in Eccleſia tribus decimo, undecimo, & duodecimo ſæculis geſtarum ſeriem, in unum ipſe Tomum contraxit: At quam præclare, quam docte! Multam certe in iis litterarum ſupellectilem, hactenus minus pulchre digeſtam, accuratiori methodo illum Orbi Eccleſiaſtico ſuppeditaſſe, proprio judicio, atque experimento comprobabit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſus. Præcipuas ſubinde Hiſtorici, Hiſtoriæque partes: Veritatem, ſtrictas temporum Epochas, ſtylum elegantem, gratam brevitatem, optandam perſpicuitatem, prudentiam ſingularem, quantum capio, quantum ſapio, adamuſſim obſervavit. Quamobrem, cum *Paulo Manutio* concludere nullus dubito: ut iſtud opus eſt laudatiſſimum, in quo ſimul, & ars commendat materiam, & materia viciſſim artem: ita liber iſte eſt optimus, in quo & argumenti utilitas commendat eloquentiam, & Auctoris facundia commendat argumentum. Unde, cum Fidei, Chriſtianæ morum Diſciplinæ ſit omni ex parte conſonus, ut in publicum quantocius prodeat, & cenſeo, & cupio.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die 1. Novembris, anni 1718.

Fr. Patricius Plonket Ordinis Prædicatorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus.

Digitized by Google

INDEX COLLOQUIORUM,

Quæ continentur in Prima Parte hujus Quarti Tomi.

COLLOQUIA

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM X. & XI. SÆCULI.

COLLOQUIUM I.

De ſtatu Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis decimi, & undecimi Sæculi. pag. 9

COLLOQUIUM II.

In quo texitur ſeries Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet & Conſtantinopolitanam Sæculis decimo & undecimo tenuerunt. 24

COLLOQUIUM III.

De Schiſmatibus & Hæreſibus, quæ Sæculis decimo & undecimo Eccleſiam funeſtarunt. 40

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, quæ Sæculis decimo & undecimo Eccleſiæ variis in locis fuerunt celebrata. 54

COLLOQUIUM V.

De Viris illuſtribus, qui cum doctrina tum pietate X. & XI. Eccleſiæ Sæculis floruerunt. 73

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina Fidei, & de Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica, necnon de Ethices Chriſtianæ doctrina, quâ Chriſtiani Sæculorum X. & XI. fuerunt imbuti. 87

HI-

HISTORIA ECCLESIASTICA

X. & XI. Eccleſiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digeſta.

SÆculorum decimi, & undecimi Eccleſiæ inter ſe licet longe diſſimilium Hiſtoriam ſimul connectimus, ut lectorem horrenda, quam deſcribemus, ſæculi decimi variis infecti vitiis imagine percuſſum, ea haud parum poſtea delectet, quæ in undecimo ſæculo multo jucundior ſe ſe explicat rerum facies, & Eccleſiæ ſol ſerenior affulgere cœpit. At enim Decimum ſæculum ſui aſperitate ac boni ſterilitate *ferreum*, mali exundantis deformitate *plumbeum*, atque Scriptorum inopia *obſcurum* jure ac merito appellat Eccleſiaſticorum Annalium parens *Baronius*. Nullum etiam ſæculo decimo indoctius, aut infelicius extitiſſe, litteris mandavit *Bellarminus* lib. 4. *de Romano Pontifice* cap. 12. Sed quantum decimo Eccleſiæ ſæculo undecimum præſtiterit, cum ex rerum geſtarum magnitudine, tum ex propagatione Ordinis Monaſtici, ac tum maxime ex reſtituto per Sanctiſſimos Pontifices Romanæ Eccleſiæ ſplendore, luculenter oſtendit doctiſſimus *Mabillonius* Præfatione in Sæculum V. Benedictinum, quod eſt Eccleſiæ undecimum. Nos vero juxta præſcriptam a principio methodum, Hiſtoriam utriuſque Eccleſiæ ſæculi decimi, & undecimi, ſex Colloquiis complectemur. In primo deſcribam ſtatum

Digitized by Google

Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis. In altero continuam exhibebo ſeriem Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes, Romanam videlicet, & Conſtantinopolitanam in his duobus ſæculis tenuerunt. In tertio perſtringam Hæreſes, quæ his ſæculis Eccleſiam exagitarunt. In quarto referam Concilia, quæ tum ad proſcribendas Hæreſes, tum ad collapſam diſciplinam Eccleſiæ reſtaurandam variis in locis fuerunt convocata. In quinto diſſeram de Viris illuſtribus, qui pietatis, & eruditionis fama in utroque ſæculo claruerunt, eorumque Opera accurate recenſebo. In poſtremo brevem, & compendioſam tradam notitiam Fidei Doctrinæ, & Diſciplinæ tam Eccleſiaſticæ, quam Monaſticæ, nec non Ethices Chriſtianæ Doctrinæ, qua fuerunt imbuti Chriſtiani ſæculorum Eccleſiæ Decimi, & Undecimi.

COLLOQUIUM PRIMUM.

De ſtatu Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis Decimi, & Undecimi Sæculi.

D. NE ea, quæ ad ſtatum Decimi, & Undecimi Eccleſiæ Sæculi ſpectant, promiſcue in Colloquio confundamus, a ſtatu, ſeu loco, quo decimo ſęculo res Eccleſiæ erant, ordiri debemus.

M. Decimo ſæculo res Eccleſiæ peſſimo loco erant. In eo ſiquidem, ut generatim loquar, graſſabantur crudelitas, ambitio, luxuria, ignorantia, & late diffuſa barbaries. Impune vivebant tyranni, raptores, inceſti, ſacrilegi, proditores. Bona Eccleſiaſtica, Epiſcopatus, cæteraque Beneficia paſſim invadebantur, & a laicis ac uxoratis ſæpe poſſidebantur. In Cathedra S. Petri ſederunt eo ſæculo aliqui Pontifices, qui a virtute Majorum omnino defecerunt. Verbo dicam, tam fœda erat id temporis Eccleſiæ Romanæ facies, ut, teſte Baronio, cuncta quæ olim paſſa fuit Eccleſia ſub Gentilibus Imperatoribus, aliiſque quibuſcumque perſecutoribus, horum comparatione ſint æſtimanda luſus quodam modo puerorum, eo quod Principes hujus ſæculi, quantumlibet Chriſtiani, hac tamen ex parte dicendi tyranni ſeveriſſimi, quod tyrannice ſibi Romanorum Pontificum electionem arrogantes, quam plurima horrenda monſtra in eam intruſerint; factionibus ita inter ſe ſe decertantibus, ut modo Romani Proceres, modo Etruriæ Principes intruderent ſæculari potentia quem vellent, & dejicerent quem poſſent Romanum Pontificem a contraria factione promotum. Cave tamen, dum tam deploratum inſpicis Eccleſiæ ſtatum, cave, inquam, ne quidpiam miſerentis ac omnia proſpicientis Dei ſapientia indignum ſuſpiceris, credaſque in illis funeſtis tempeſtatibus Eccleſiam ſuam, quæ nullis adverſitatum fluctibus mergi unquam poteſt, ita eum deſeruiſſe, ut boni aliqui malis permixti non fuerint. Multis, magniſque vitiis exundaſſe ſæculum Eccleſiæ decimum certe inficias ire haud poſſum. Sed, quemadmodum tot fluvii, tot imbres, tanta medicatorum vis fontium ſaporem maris non modo non corrumpunt, ſed ne remittunt quidem, ita nec ſcelerum colluvies, nec adverſarum impetus rerum invariabilem Eccleſiæ doctrinam, adverſus quam, juxta Chriſti Domini Oraculum portæ inferi nunquam prævalebunt, decimo ſæculo labefactare potuerunt. Excitavit quippe Deus Opt. Max. Viros Apoſtolico Zelo præſtantes, Summos Pontifices, Epiſcopos, Clericos, Abbates, & Monachos, qui adjutrices manus periclitanti Eccleſiæ, variiſque conflictatæ malis ſuppoſuerunt, avitam fidem Catholicam non ſolum illibatam conſervarunt, ſed etiam multos populos, Normannos videlicet, Moſcovitas, Svecos, Polonos, Sclavos, & Hungaros in tenebris Idololatriæ conſepultos obſtetricante divina gratia, ad Chriſti fidem converterunt; Epiſcopatus complures variis in locis erexerunt, atque multa condiderunt Monaſteria, ſicut ex his quæ in noſtris ſubſequentibus Colloquiis dicturi ſumus, manifeſto conſtabit. Hæc autem generatim in præſentia obſervanda eſſe duci, ut irem obviam calumniis Heterodoxorum noſtri temporis, qui perperam aſſerunt, inimicum hominem ſæculo decimo, dum vitiorum ſomno Paſtores Eccleſiæ eſſent oppreſſi, & omnia denſiſſimæ ignorantiæ tenebris jacerent immerſa, ſuperſeminaſſe Zizania, quæ purum fidei ſemen ſuffocarunt, ac prava dogmata in locum antiquæ, & primigeniæ Chriſtianæ fidei puritatis induxerunt, lateque propagarunt. Hanc meram eſſe Hæreticorum impoſturam, & dignum ſane patella operculum, conſtanter aſſero, non ſolum quia certo certius eſt, nullos decimo ſæculo exortos eſſe circa fidem errores, ſicut aperte prodit Hiſtoria Eccleſiaſtica, verum etiam, quia licet decimo Eccleſiæ ſæculo, diffuſa ubique barbarie, maximus apud Chriſtianos extiterit rudium, & imperitorum numerus, atque bonis litteris, & ſcientiis fere omnibus ſpiſſa nox incubuerit, nihiloſecius in Gallia, Anglia, & in aliis Occidui Orbis regionibus non deſuerunt doctrina, & ſanctitate illuſtres Epiſcopi, Abbates, & Monachi, qui priſcam fidem adulterari, novaque, & infeſta in Eccleſiam invehi dogmata paſſi nunquam fuiſſent, ut latius expendemus in Colloquio ſexto.

D. Quis ineunte decimo Eccleſiæ ſæculo in Orientis Imperio dominabatur?

M. *Leo* VI. Cognomento *ſapiens*, ſeu *Philoſophus*, qui anno DCCCLXX. a Patre ſuo *Baſilio* Imperatore conſors Imperii factus, mortuo Patre, ſolus anno DCCCLXXXVI. regnare cœpit, adhuc ineunte decimo ſæculo Orientis Imperium tenebat. Hunc Imperatorem egregiis virtutibus præditum, & liberalibus potiſſimum diſciplinis excultum varia edidiſſe Opera, *Photium* e Sede Conſtantinopolitana dejeciſſe, & in ejus locum *Stephanum* fratrem ſuum ſuffeciſſe, jam obſervavimus in præcedentibus Colloquiis. His itaque prætermiſſis, cætera, quæ ad geſta hujuſce Imperatoris attinent, breviter hic ſubnectam. Illatam ſibi a *Santabareno*, Monacho nequiſſimo, injuriam ultus eſt *Leo* Imperator, eumque flagris cæſum, & oculis orbatum in exilium ablegavit. In bello parum felix fuit: anno ſiquidem DCCCXCIII. contra Bulgaros pugnaturus ingentem undique collegit exercitum, cui *Catacalonem*, & *Theodoſium* Duces præfecit; ſed hi, commiſſo ad *Bulgarafagum* prælio, magna ſuorum clade profligati ſunt, interempto ipſomet *Theodoſio*, de cujus nece acerbiſſimo dolore affectus eſt Imperator. Victus eſt etiam idem Imperator anno nongenteſimo decimo a Saracenis nava-

li præ-

Digitized by Google

ſi prælio, cui præfecerant *Himerium*, per quem tamen anno nongenteſimo octavo de illis magnam bello navali victoriam reportaverat. Quatuor uxores duxit hic Imperator, quarum primam *Theophanonem*, ſeu *Theophaniam* dictam, ſuperſtite adhuc patre ſuo *Baſilio*, ſibi matrimonio copulavit, fœminam ſanctiſſimam, & miraculis illuſtrem, cujus memoriæ Ædem ſacram ipſe poſtmodum erexit. Mortua *Theophania*, alteram ſibi ſociavit uxorem dictam *Zoem*, Styliani Tzautzæ filiam, cum qua, vivente adhuc *Theophania* priori conjuge, ſtopri conſuetudinem exercuerat. Defuncta *Zoe* ſecunda uxore, tertiam ſibi *Leo* Imperator adjunxit conjugem, nempe *Eudociam* inſignis pulchritudinis fœminam. Demum, poſt obitum *Eudociæ* ad quartas nuptias convolavit *Leo*, & matrimonium inivit cum *Zoe Corbonopſina*, ex qua filiom ſuſcepit *Conſtantinum*. Huic quarto matrimonio, quod Canonibus in Eccleſia Orientali receptis eſſet contrarium, interceſſit *Nicolaus Myſticus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, ob idque *Leonem* Imperatorem ab Eccleſiæ aditu prohibuit, cumque propoſiti tenax ad quartas probandas Imperatoris nuptias nullo pacto flecti & adduci poſſet, e Sede Conſtantinopolitana ab eodem Imperatore deturbatus in Monaſterium, quod hic Patriarcha condiderat, relegatus eſt, & in ejus locum *Euthymius* Syncellus vir religioſiſſimus ſubrogatns fuit. Obiit *Leo* Imperator cœliaco morbo, ideſt, ex profluvio ventris die XI. menſis Maji anni nongenteſimi undecimi, cum imperaſſet annos XXV. menſes duos, & dies decem. Moriens deſignavit Imperatorem ſimul & tutorem filii ſui *Conſtantini* Alexandrum fratrem ſuum, qui ipſo Imperii ſui initio *Nicolaum Myſticum* in Patriarchatum Conſtantinopolitanum reſtituit & *Euthymium*, virum alioqui ſanctiſſimum, Patriarchatu dejectum male haberi, ac probro ab adverſæ factionis Clericis, pugniſque percuti permiſit, ſicut narrat *Baronius* poſt Curopalatem, deploratque *Aretas* Presbyter Cæſarienſis in Oratione funebri in Sanctiſſimi illius Patriarchæ translatione habita, quæ a *Lipomano* edita eſt, ubi & cauſam odii Clericorum in eum fuiſſe ait, quod illos palam ſimoniæ intentos coercoiſſet. *Alexander* Imperator, & *Conſtantini* filii *Leonis* tutor, Princeps fuit crapulæ, luxui, & libidini dedititſimus. Bulgarorum legatos arroganter excepit, & contumelioſe dimiſit, *Simeoni* eorum Regi minas intentans; quod ægre ferens *Simeon* in Imperium arma movit, eique multas intulit clades. *Alexander* Imperator exceſſit e vivis anno nongenteſimo duodecimo rupta vena, multoque e naribus, & pudendis effuſo ſanguine, poſtquam vino madidus, oppipareque pranſus, ludo deinde pilæ corpus ſuum violeuter nimis exercuiſſet. *Alexandro* e vivis ſublato ſucceſſit in Orientis Imperio *Conſtantinus* VII. puer ſeptennis, dictus *Porphyrogenita*, nepos *Alexandri*, & filius Leonis VI. *Conſtantinus* ſub tutela *Nicolai Myſtici* Patriarchæ Conſtantinopolitani, & ſelectorum Patriciorum, quos *Alexander* deſignaverat, nec non *Zoes* matris, imperavit ſeptem annis, hoc eſt ab anno 911. ad nongenteſim umdecimum nonum, quo ſibi Imperii Collegam adſcivit *Romanum Lacapenum*, eo quod *Leonem Phocam* de victoria, quam de Bulgaris, contra quos ab Imperatore *Conſtantino* miſſus fuerat, feliciter reportaverat, nimis tumidum, & palam Imperium affectantem repreſſiſſet, cepiſſet, excæcaſſet. At *Romanus Lacapenus* anno nongenteſimo decimo nono coronatus Imperator, ac rerum ſumma cum Conſtantino Porphyrogenita una potitus, totam fere ſibi auctoritatem aſſeruit, ſicqoe pro ſuo nutu, & arbitrio Imperium adminiſtravit, ut *Conſtantinus* non amplius Imperator videretur. Quin, ut Imperialem dignitatem, ad quam aſſumptus fuerat, *Romanus Lacapenus* in familia ſua retinere poſſet, *Chriſtophorum* filium ſuum primo, dein reliquos duos *Stephanum*, & *Conſtantinum*, poſtremo, nepotem ſuom ex *Chriſtophoro* Imperatores coronavit; *Theophylactum* vero filiorum natu minimum, dejecto *Triphone*, Patriarcham Conſtantinopolitanum ordinari juſſit (*a*). Verum, hanc in *Romano Lacapeno* ingrati animi labem, ejuſque in proprium benefactorem *Conſtantinum* Imperatorem contemptum, pari in ipſummet impietate filius ejus ultus eſt, anno ſiquidem nongenteſimo quadrageſimo quarto *Stephanus* patrem ſuum *Romanum Lacapenum* Imperii annum vigeſimum ſextum decurrentem, inſignibus Imperii exutum, & attonſum in *Protam* Inſulam relegavit. Eandem infauſtam ſortem non multo poſt nacti ſunt *Romani Lacapeni* filii in Patrem perduelles, quos Imperio abdicavit, clero invitos mancipavit, ac procul deportari juſſit *Conſtantinus Porphyrogenita*, indeque ſolus moderari cœpit Imperium. Religione, & amore ſcientiarum, quas hic Imperator impenſe coluit, & inſtauravit, ut patet ex ejus operibus, quæ in Colloquio quinto referemus, nonnullam ſibi peperit laudem, ſed ob vitia, quibus ſe turpiter fœdavit, magnam ſubiit vituperationem. Erat enim crapulæ, & libidini deditus, Reipublicæ adminiſtrationem neglexit, indignos Magiſtratus promovit ad Officia, & cum eſſet in puniendo ſæviſſimus, *Conſtantinum Ducam* Imperium ſibi eripere molientem, multoſque Patricios conjurationis conſcios obtruncavit; obiit *Conſtantinus Porphyrogenita* Imperator die 2. menſis Novembris anni nongenteſimi quinquageſimi noni non ſine ſuſpicione veneni ſibi a *Romano* filio ſuo propinati. Imperavit poſt mortem patris ſub tutela matris, & aliorum patriciorum annis ſeptem, cum *Romano Lacapeno* annis viginti ſex, & tandem ſolus annis quindecim. Mortuo Conſtantino Porphyrogenita anno nongenteſimo quinquageſimo nono ſucceſſit in Imperio Orientis ejus filius dictus *Romanus junior*, qui vigeſimum primum ætatis annum attigerat. Bis nuptias iniit, primum cum *Bertha*, Hugonis Italiæ Regis filia, cum qua per annos quinque vixit. Sed illa obiit intacta ac virgo, ut tradit *Curopalates*. Exinde, aliam ſibi a *Conſtantino* Patre datam *Romanus junior* duxit uxorem *Anaſtaſiam*, plebeis, ac cauponibus ortam parentibus, quam *Theophanonem* appellavit, & ex qua duos filios ſuſcepit *Baſilium*, & *Conſtantinum*, qui poſtea, ut mox dicemus, imperarunt. *Hujus*

Digitized by Google

jus uxoris inſtinctu *Romanus* Imperator matrem & ſorores aula amovit, & tonſis crinibus ad Monaſterium ablegavit. Saracenos per Duces *Nicephorum Phocam, & Leonem Phocam* debellavit, vicit ac profligavit. Crapulæ, & libidini, quibus affatim indulgebat, deditiſſimus cum eſſet, exhauſtis corporis viribus obiit anno nongenteſimo ſexageſimo tertio, ætatis ſuæ vigeſimo quarto, poſtquam imperaſſet annos tres, menſes quatuor, dies quinque. Audita morte Imperatoris, *Nicephorus Phocas*, qui tum temporis in Cappadocia verſabatur, vir rei militaris apprime gnarus, plurimiſque de Saracenis victoriis relatis clariſſimus, a Copiis Orientalibus Imperator eſt acclamatus, fruſtra licet reluctante *Joſepho* Cubiculario, & ſupremo Imperii Adminiſtro, qui nihil non egit ut eum opprimeret. Conſtantinopolim reverſus *Nicephorus Phocas* a *Polieucto* Patriarcha Conſtantinopolitano coronatus fuit Imperator, & *Bardam* patrem ſuum dignitate Cæſaris ornavit. *Theophanonem* uxorem *Romani* Imper. venuſtam admodum mulierem ſibi conjugem copulavit. At illas nuptias illicitas eſſe increbuit rumor, eo quod diceretur, *Nicephorum Phocam* liberorum *Romani* Imperatoris ac *Theophanonis* e ſacro lavacro ſuſceptorem fuiſſe: quod cum accepiſſet *Polieuctus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, ipſi ſacris omnibus interdixit, niſi matrimonium ſolveret ſpiritalis affinitatis impedimento diremptum. Negante tamen Imperatore, ſe liberorum *Theophanonis* ſuſceptorem fuiſſe, ſed patrem ſuum *Bardam* hoc munus obiiſſe teſtante, delinitus tandem ac flexus Patriarcha, ejus conjugium cum *Theophanone* ratum, validumque habuit. Princeps fuit *Nicephorus Phocas* militari ſcientia ſolertiſſimus, agendi vi acerrimus, ad omne laborum genus rigidus, omni voluptatum illecebra ſuperior, & civili adminiſtratione magnanimus, & magnificus. Sed præclaras animi dotes obſcuravit ſordida, & illiberalis ejus indoles, qua avaritiæ ſupra modum addictus nova tributa adjecit, vetera auxit, Eccleſias tributarias fecit, & Imperatorias largitiones Senatui fieri ſolitas, atque numiſmatum pondus imminuit. Periit tandem *Nicephorus Phocas* inſidiis, quas *Theophano* ejus conjux, & *Joannes Tzimiſces* ei in Palatio ſtruxerunt, necemque intulerunt die undecima menſis Decembris anni nongenteſimi ſexageſimi noni, cum imperaſſet annos ſex, & totidem menſes. (*b*) Poſt *Nicephori Phocæ* obitum *Joannes Tzimiſces* fuit acclamatus Imperator, qui ſtatim *Romani junioris* quondam Imperatoris filios, *Baſilium* videlicet, & *Conſtantinum* Imperii conſortes adſcivit. Noluit tamen *Polieuctus* Patriarcha Conſtantinopolitanus eum coronare Imperatorem, niſi antehac necem, quam Nicephoro Phocæ intulerat, pœnitentia eluiſſet, *Theophanonem* Nicephori Phocæ conjugem Regia ejectam *Proconeſeum* deportari juſſiſſet, & illos, qui, ipſa inſtigante, eumdem Imperatorem trucidaverant, damnaſſet exilio; quæ omnia lubenti, & demiſſo animo cum præſtitiſſet *Joannes Tzimiſces*, & Edictum, quo ſanxerat *Nicephorus Phocas*, ne quis abſque ſuo nutu Epiſcopos deſignaret, palam dilaceraſſet, in Eccleſiam admiſſus, corona Imperiali a *Polieucto* Patriarcha inſignitus eſt, fauſtis eum vocibus proſequente omni cum militari, tum populi civiumque multitudine. Fuit *Joannes Tzimiſces* Princeps optimus. *Theodoram* Conſtantini Porphyrogenitæ filiam duxit uxorem, in præliis contra Saracenos, Ruſſos, Scythas, alioſque barbaras feliciſſimus fuit, & in tot victoriarum gratiarum actionem Deo magnificentiſſimum templum erexit, Virginem Dei-param ſingulari pietate coluit, in pauperes ſuas opes larga manu effudit, ac fumario tributo omnes ſuos ſubditos abſolvit. Verum pius ac religioſus ille Imperator, veneno dato a *Baſilio* Cubiculario ſuo, e vivis abiit die X. menſis Januarii anni nongenteſimi ſeptuageſimi ſexti, ſicut teſtatur *Leo* Diaconus, ſcriptor Græcus & coævus, qui ab obitu Conſtantini Porphyrogenitæ uſque ad mortem *Joannis Tzimiſcis* Hiſtoriam continuavit, quam hactenus ineditam, & a noſtro *Combefiſio* in linguam latinam verſam Cl. *Pagius* ſummarie in ſua Critica inſeruit, ejuſque ope correxit mendum omnium recentiorum Scriptorum, qui obitum *Joannis Tzimiſcis* Imperatoris cum menſe Decembri anni nongenteſimi ſeptuageſimi quinti, auctore *Cedreno* Scriptore Græco, male copulant. Occiſo *Joanne Tzimiſce* Imperatore, ſumma rerum ad *Baſilium*, & *Conſtantinum* filios *Romani junioris* quondam Imperatoris, ad quos Imperium jure hæreditario pertinebat, devoluta eſt. *Baſilius* annos viginti natus Imperio potitus, Princeps fuit avaritiæ ſordidiſſimæ, ſoli ditando fiſco intentus, & corrogandis undique opibus avidiſſime inhians. Subditis ſuis magis formidabilis, quam charus eſſe maluit; adeo pertinax, ut a propoſito ſemel in animo infixo divelli haud poſſet: in bellis non ignavus fuit, ſed Bulgaros multis præliis vicit, & rebelles domuit ac Romano ſubjecit Imperio. Viros eruditos ſprevit, omnemque inhumaniores literas diligentiam flocci fecit, ut teſtatur *Michael Pſellus* Scriptor Græcus Tomo I. cap. XVI. Hiſtoriæ Byzantinæ, quam poſt *Leonem* Diaconum mox citatum uſque ad inaugurationem *Conſtantini Ducæ* continuavit, quæque adhuc manuſcripta, & a noſtro *Combefiſio* in linguam Latinam verſa extat in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. Obiit *Baſilius* Imperator anno milleſimo vigeſimo quinto poſtquam imperaſſet quinquaginta annis. *Conſtantinus* hujus nominis VIII. ejus frater, qui annos ſeptemdecim natus una cum *Baſilio* anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſexto imperare cœperat, poſt *Baſilii* obitum ſolus triennio imperavit, & e vita migravit anno milleſimo vigeſimo octavo. Princeps fuit molliſſimæ indolis, animique in omnes diffluentis delicias ac voluptates, vino, veneri, aleæ, mimiſque deditus fuit, iræ impatiens ſubditos ſuos vexavit, & excæcationis pœnam Proceribus, optimiſque viris irrogavit. In exigendis tributis immiſericors, collectæ vero pecuniæ erga ſuos Eunuchos largus, erga cæteros extitit parciſſimus; poſtremo, viles homunciones ad Magiſtratus, & ad ſummas Imperii dignitates pro ſuo arbitrio & abſque ullo delectu provexit. Hæc eſt ſeries Imperatorum Byzantinorum, quorum hiſtoriam ad exhibendum ſtatum Eccleſiæ ſub

Princi-

devicit, Chriſtianoſque fecit. Cum *Luthelpho*, ſeu *Letalpho* filio ſuo qui ægre ferebat ſuperinductam ſibi novercam *Adhelaidem* Lotharii Regis Italiæ viduam, bellum ita geſſit, ut hic ſæpe victus, deſertus tandem ab omnibus ſupplicem ad patris pedes ſe demiſerit. Verum, *Otto I.* tot licet rerum præclare geſtarum laude conſpicuus, haud parvam nomini ſuo labem inuſſit, dum *Joannem* XII. Romanum Pontificem, a quo fuerat inauguratus Imperator, ſede injuſte depoſuit, & in ejus locum Antipapam *Leonem* hujus nominis Octavum intruſit, ſicut in proximo Colloquio texendo ſeriem Romanorum Pontificum opportunius oſtendemus (*a*). Obiit *Otto I.* Nonis menſis Maji anni nongenteſimi ſeptuageſimi tertii, eique in Imperio ſucceſſit *Otto* II. ejus filius, qui a *Joanne XIII.* fuit coronatus Imperator. Contra Danos feliciter pugnavit, ſed contra Græcos Saracenorum auxilio Calabriam, Apuliamque repetentes infeliciſſime præliatus eſt *Otto II.* dumque, exercitu ſuo penitus profligato, fugit ipſe in parva ſcapha, comprehenſus eſt, pro *Ottone* non agnitus, clam dilapſus evaſit, ſeque in libertatem vindicavit. Romam inde perrexit, ubi cum multos ex Italorum proceribus ad ſplendidiſſimum convivium invitaſſet, inter epulas dato ſigno, plurimos ex iis cum Græcis conjurationis ſuſpectos juſſit obtruncari, ob idque *Sanguinarii* nomen reportavit. Tandem anno nongenteſimo tertio, die VIII. Decembris, dum ſe ad novam contra Turcas expeditionem pararet, Romæ mortuus eſt. Eum excepit filius *Otto* III. in Regno Germaniæ, non vero in Imperio, quod nonniſi aliquot poſt annos adeptus eſt, quando videlicet a *Gregorio V.* Romano Pontifice anno nongenteſimo nonageſimo ſexto Imperialem coronam accepit. Bellica virtute *Ottone I.* avo ſuo inferior fuit *Otto* III. religione vero ac eruditione *Ottone II.* patre, & *Ottone* I. avo ſuo multo ſuperior. *Henricum* Bavarum in Germania, *Lotharium* in Gallia, *Creſcentium* Romæ Conſulem affectantes Imperium in ordinem redegit. Viros duos ſanctiſſimos, qui ſæculo decimo florebant, *Romualdum* ſcilicet, & *Nilum* Abbatem origine Græcum & natione Calabrum maxima devotione coluit, rebuſque præclare geſtis, quibus omnes in ſui admirationem rapiebat, meruit vulgo appellari: *Mirabilia mundi*. Obiit Improlis die XXIII. menſis Januarii, anni milleſimi ſecundi, ætatis ſuæ undetriginta, poſtquam uxorem ſuam *Mariam* Aragonum Regis filiam impudicitiæ & calumniæ convictam admirabili juſtitiæ exemplo flammis addici juſſiſſet. Hi ſunt, qui decimo Eccleſiæ ſæculo vel Reges Germaniæ fuerunt, vel a Romanis Pontificibus coronati Imperium gubernarunt.

„ (*a*) Non eſt prætereundum de Ottone I. „ Imperatore confirmatas ab eo fuiſſe, & inno„ vatas donationes factas Eccleſiæ Romanæ, „ quod ab illo tunc præſtitum eſſe Romæ, cum „ Imperialem coronam acciperet, conſtat ex ejus „ diplomate tunc dato, quod ſincerius ad fidem „ Vaticani Codicis dedit Cl. Georgius in appen„ dice ad tom. XIII. Baronii editionis Lucenſis.

D. Satis perturbatam video ſeriem Imperatorum Occidentis. Multos quippe laudaſti, qui fuerunt tantum Germaniæ Reges, ſed non Imperatores. Unde conſequi videtur, decimo Eccleſiæ ſæculo Occidentis Imperium vacaſſe per aliquod temporis intervallum.

M. Mortuo *Carolo Craſſo* Imperatore anno DCCCLXXXVIII. magna rerum perturbatio ſecuta eſt, & tandem per annos triginta & octo vacavit Imperium Occidentis. Cujus mutationis originem ut magis perſpectam habeas, præſtat obſervare, *Widonem*, ſeu *Guidonem* Ducem Spoletanum anno DCCCXCI. occupato Longobardorum Regno a *Stephano V.* Summo Pontifice Romam accerſitum Imperatorem fuiſſe coronatum, illudque tenuiſſe uſque ad ann. DCCCXCIV. *Widoni* in Imperio Occidentis ſucceſſit *Lambertus* illius filius, quem anno DCCCXCII. in ſocietatem Imperii a patre *Widone* adſcitum *Formoſus* Papa Imperatorem inunxerat. Imperavit *Lambertus* poſt obitum patris quinque annis, & occiſus eſt anno DCCCXCVIII. Eodem anno *Arnulphus a Formoſo* Papa Imperator coronatus eſt, qui anno ſequenti veneno a familiaribus appetitus vitam cum morte commutavit: Defuncto Arnulpho, *Berengarius* Dux Forojulienſis ſummam rerum in ſe tranſtulit; ſed *Ludovicus* Boſonis Comitis filius in Italiam veniens, victo *Berengario*, a Papa *Benedicto* IV. corona Imperiali donatus eſt. Multi poſt Baronium hunc Imperatorem appellant *Ludovicum Quartum* quia arbitrantur *Ludovicum Balbum* Gallorum Regem, tertium hujus nominis, inter Imperatores connumerandum eſſe. Aſt, ut obſervavimus in Colloquio primo in Hiſtoriam noni ſæculi, *Ludovicus Balbus* Gallorum Rex a *Joanne* VIII. Romano Pontifice coronam quidem Regiam accepit, ſed non Imperialem, ac proinde locum inter Imperatores habere haud debet. *Ludovicus* itaque *Boſonis* Arelatenſis Regis, ſeu Provinciæ Comitis filius, qui, ut mox diximus, vivo Berengario, coronam Imperialem a *Benedicto IV.* accepit, appellari debet *Ludovicus III.* & non IV. Hunc Imperatorem *Berengarius*, Dux Forojulienſis Veronæ cepit, excæcavit, totoque Regno Longobardico potitus eſt, ſe tamen Imperatorem non dixit ante annum nongenteſimum decimum ſextum, quo a *Joanne X.* Pontifice Maximo coronatus eſt Imperator. Quamvis ergo *Berengarius* toto Regno Longobardico pacifice potiretur, anni tamen Imperii Ludovici III. etiam poſt ejus excæcationem, Romæ numerati ſunt uſque ad annum nongenteſimum decimum ſextum, quo *Berengarius* diadema, nomenque Imperatorium a *Joanne X.* Papa recepit. Tunc *Berengarius* dictus eſt Imperator, fuitque Princeps multis, magniſque virtutibus præditus, qui nec calamitatibus unquam ſuccubuit, nec ſecundis rebus nimis elatus eſt. Octavum Imperii ſui annum non abſolvit, nam, ut jam diximus, anno nongenteſimo decimo ſexto, & die XXIV. menſis Martii Imperator a *Joanne X.* coronatus eſt, & die XII. menſis Martii anni nongenteſimi vigeſimi quarti fuit occiſus. Poſt ejus mortem vacavit Imperium Occidentis uſque ad annum non-

Digitized by Google

nongenteſimum ſexageſimum ſecundum, quo *Otto*, hujus nominis primus, qui tantum erat Rex Germaniæ, devicto *Berengario* hujus nominis II. Italiæ Rege, fuit coronatus Imperator a *Joanne* XII. Pontifice Maximo. Quapropter hi, qui poſt annum nongenteſimum vigeſimum quartum, quo *Berengarius* Occidentis Imperator occiſus eſt, rerum in Italia potiti ſunt, videlicet *Rodulphus* Dux Burgundiæ, *Hugo* Rex Arelatenſis, ſive Provinciæ Comes, *Lotharius* ejus filius, & *Berengarius* hujus nominis II. quem, ut jam diximus, *Otto* I. anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo debellavit, eoque devicto coronam Imperialem a *Joanne* XII. recepit, hi, inquam, appellari non debent Imperatores, ſed dumtaxat Italiæ Reges, quia nullus eorum fuit ab aliquo Pontifice Romano Imperator inauguratus. Unde ab anno nongenteſimo vigeſimo quarto, quo occiſus eſt *Berengarius* hujus nominis primus, uſque ad annum nongenteſimum ſexageſimum ſecundum, quo *Otto* I. Germaniæ Rex inſignibus Imperii a *Joanne* XII. donatus eſt, vacavit Occidentis Imperium.

D. De Imperatoribus Occidentis, & de variis turbis in eorum ſucceſſione decimo Eccleſiæ ſæculo in Germania, & Italia excitatis dixiſti hactenus ſatis. Age nunc, & expone ſtatum Eccleſiæ ſub Regibus, qui eodem ſæculo Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ præfuerunt.

M. In Galliis mortuo *Odone* Galliarum Rege anno octingenteſimo octogeſimo octavo, ut jam obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi, *Carolus* cognomento *Simplex* filius *Ludovici Balbi ex Adelaide* natus omnium Regni procerum conſenſu Galliarum Rex fuit acclamatus, ſed die tantum XXVIII. menſis Februarii, anni DCCCXCIII. a *Fulcone* Archiepiſcopo Remenſi coronatus eſt. Normanni adverſus *Carolum Simplicem* rebellarunt, cum quibus pacem ſancivit, quæ poſtea ab illis fracta eſt, tandem cum iiſdem ad Fidem Chriſtianam una cum *Rollone* eorum Duce converſis fœdus iniit, eiſque Neuſtriam conceſſit. Regnante in Galliis *Carolo Simplice*, civile bellum anno nongenteſimo vigeſimo exarſit in Galliis. Plurimi ſiquidem proceres indignati, quod *Haganonem* mediæ ſortis hominem, & primarium Regni miniſtrum *Carolus* Rex dimittere nollet, palam ab eo defecerunt, & *Robertum* Pariſienſem Comitem, *Odonis* quondam Galliarum Regis fratrem, Regno Franciæ præfecerunt anno nongenteſimo vigeſimo primo. Unum Rex *Carolus* his in anguſtiis habuit perfugium apud *Heriveum* Archiepiſcopum Remenſem, qui eum ſuis opibus donec procerum placarentur animi, diu ſuſtentavit. Anno autem ſequenti, ſeu nongenteſimo vigeſimo ſecundo, *Robertus*, qui Galliarum Rex dictus fuerat, in prælio, quod apud Sueſſiones contra *Carolum Simplicem* conſeruit lanceis perfoſſus cecidit, nec Regum Galliæ Catalogo accenſetur, quod, vivente adhuc legitimo Galliarum Rege, tyrannidem, potiuſquam legitimam exercuerit poteſtatem. Tandem anno nongenteſimo vigeſimo tertio *Carolus Simplex* Regno dejectus eſt, & in carcerem truſus a *Rodulpho* Duce Burgundiæ, qui Galliarum Rex ſolemni ritu apud Sueſſiones ſalutatus eſt. Obiit autem *Carolus Simplex* anno nongenteſimo vigeſimo nono. *Rodulphus* itaque poſt abdicationem *Caroli Simplicis* Regno Galliarum potitus contra Normannos ſæpius & non infeliciter pugnavit. Aquitanos perduelles domuit, Hungaros in Gallias irrumpentes repreſſit, e vivis exceſſit anno nongenteſimo trigeſimo ſexto. Ei in Galliarum Regno ſucceſſit *Ludovicus* hujus nominis IV. *Caroli Simplicis* filius dictus *Tranſmarinus* ob tranſmarinam peregrinationem, qua, patre ſuo e Regno deturbato, a matre *Edigiva* in Angliam fuerat abductus, & exin in Gallias ad capeſſendum Regnum revocatus. Lauduni ab *Artoldo* Remenſi Archiepiſcopo anno nongenteſimo trigeſimo ſexto inauguratus *Ludovicus* nihil intentatum reliquit, ut Normannos ſubigeret, & *Richardum* eorum Regem, adhuc puerulum, principatu expoliaret; ſed fruſtra. Nam ab ipſius Normannis in prælio ipſemet profligatus, Rotomagum captivus abductus eſt, nec ſe in libertatem aſſeruit, niſi prius jurata *Richardi* Normannorum Principis in Ducatum reſtitutione, quæ mox executioni mandata eſt. Naturæ debitum ſolvit *Ludovicus Tranſmarinus* Galliarum Rex anno nongenteſimo quinquageſimo quarto, duoſque reliquit ſuperſtites filios *Lotharium* & *Carolum*. Lotharius in Regnum Ludovici Tranſmarini patris ſui ſucceſſit, ac Remis ab *Artoldo* Archiepiſcopo inunctus eſt. *Willelmo* Pictonum Duci, & *Ottoni* II. Imperatori bellum indixit, ſed Lothariagiam a ſe armis occupatam eidem *Ottoni* poſtea reſtituit. Regnavit *Lotharius* annos duos ſupra viginti, & ex hac vita migravit anno nongenteſimo octuageſimo ſexto. Moriens *Lotharius* Ludovicum filium ſuum jam ſecum conregnantem, quem ex *Emma* conjuge ſuſceperat, *Hugoni Capeto* commendavit. *Ludovicus* itaque hujus nominis V. poſt mortem patris ſui Lotharii Francorum Rex in Urbe Compendienſi inauguratus eſt, & uno tantum anno regnavit, utpote mortuus anno nongenteſimo octuageſimo ſeptimo. Nihil memoriæ dignum geſſit, & ideo vulgo dicitur *Ludovicus iners*; fuit poſtremus Rex ſecundæ Francorum ſtirpis, quæ *Carlovingica* appellatur, & quæ per annos tantum CCXXXV. propagata eſt. Extincta in *Ludovico* V. Galliarum Rege ſtirpe Carlovingica, primores Regni ad eligendum Regem convenerunt, ſed, cum a *Carolo* Lotharingiæ Duce defuncti *Ludovici* Galliarum Regis patruo, ad quem hæreditario jure Galliarum Regnum pertinebat, averſum gererent animum, eo præſertim nomine, quod Teutonicas partes ſecutus eſſet, *Hugonem Capetum* Hugonis Magni filium, qui nullum tamen ad Galliarum Regnum jus habeat, decem poſt dies a morte *Ludovici* Regis ad ſolium ſublimarunt, eumque Galliarum Regem proclamarunt. *Hugo Capetus*, a quo tertia Francorum Regum ſtirps, quæ vulgo *Capetiana* dicitur, & quæ etiamnum feliciter regnat in Galliis, originem habet; fuit optimus Rex, qui pietate Regnum ſtabilivit. *Carolum* Lotharingiæ Ducem *Lotharii* fratrem debellavit. *Robertum* filium ſuum Re-

gni

Digitized by Google

qui conſortem inſtituit, eique moriens Ordinem Monaſticum, cujus ſtudioſiſſimus erat, impenſe commendavit, eumdemque monuit, ne adulatorum ſuggeſtionibus, aut muneribus, ad Abbatias diſtrahendas adduceretur. De anno, quo mortuus eſt *Hugo Capetus* Galliarum Rex, non convenit inter Scriptores Gallicos. Alii cum doctiſſimo *Joanne Mabillonio* lib. 2. *De re Diplomatica* cap. 16. num. 25. ejus mortem illigant anno nongenteſimo nonageſimo ſexto. Alii cum *Cl. Pagio* in Critica Baronii, eam retrahunt ad annum nongenteſimum nonageſimum ſeptimum. Sed, ut ut ſit de hac controverſia Chronologica, quæ parvi momenti eſt, certiſſime conſtat, defuncto *Hugone Capeto* Galliarum Rege, *Robertum* ejus filium, qui jam cum eo regnaverat, cœpiſſe tractare ſolum Regni habenas, natum annos XXVIII. quem Principem omnibus ſuis numeris abſolutum fuiſſe, eloquentia & dicendi ubertate copioſum, ſubditiſque dilectiſſimum, opportunius oſtendemus, dum ſeriem mox texemus Regum, qui undecimo ſæculo Galliarum Regnum gubernarunt.

Modo de Hiſpaniarum Regibus breviter agendum eſt. *Alphonſus Magnus* Hiſpaniarum Rex anno nongenteſimo decimo ſponte Regnum abdicavit, ſicut jam obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi, illudque tradidit filio ſuo *Garſiæ*, qui paternum Regnum tribus annis & menſe uno tenuit. Expeditione in Mauros ſuſcepta *Aiolam* ipſorum Regulum acie victum cepit, & poſthac obiit anno nongenteſimo decimo tertio, nulla relicta prole. Ei ſucceſſit *Ordonius* hujus nominis II. *Garſiæ* frater, qui Maurorum exercitum profligavit, & e vivis abiit *Zamoræ* anno nongenteſimo vigeſimo tertio. In ejus locum ſuffectus eſt *Froila* hujus nominis *II. Ordonii* Regis defuncti frater, qui nulla domi, militiæve laude clarus, ſola ignavia & crudelitate celebris uno duntaxat anno regnavit, & mortuus eſt anno nongenteſimo vigeſimo quarto. Ei ſucceſſit *Alphonſus* hujus nominis IV. cognomento *Monachus*, & *Ordonii II.* filius, qui nec bellica, nec civili virtute cum eſſet illuſtris, ſed Regni gerendis negotiis impar, nuncium Regno remiſit anno nongenteſimo trigeſimo primo, illudque *Ramiro* fratri reliquit, & Ordini Monaſtico nomen ipſe dedit. *Ramirus* hujus nominis II. Hiſpaniarum Regnum ſapientiſſime adminiſtravit, ejus tamen Regni initium haud parum turbavit *Alphonſus* frater, qui Regnum abdicaverat. Ille quippe cuculla, quam animi levitate ſuſceperat, abjecta, Regium nomen & inſignia reſumpſit. At *Ramirus* Rex tumultuantem *Alphonſum* cepit, vinculis conſtrinxit, atque oculis orbavit: Contra Mauros feliciter pugnavit, & de illis inſignem retulit victoriam ad Septimancas, Oppidum ad Durium flumen, non longe a Valliſoleto poſitum, in qua, teſte *Roderico* lib. 5. cap. 7. *Ex Arabibus uſque ad octoginta millia perierunt*. Aliam ſub finem vitæ ſuæ de Mauris reportavit victoriam, in qua duodecim illorum millia occidit, & ſeptem millia in ſervitutem redegit. Paulo poſt in morbum lapſus Regno ſeſe abdicavit, illud filio ſuo *Ordonio* tradidit, pieque obiit anno nongenteſimo quinquageſimo ineunte, cum annos undeviginti, & tres pene menſes regnaſſet. Fuit *Ramirus* religioſus princeps, qui multa, dum viveret, extruxit, dotavitque Cœnobia. *Ordonium* hujus nominis III. in quem *Ramirus* ipſius pater Hiſpaniarum Regnum tranſmiſerat, *Sanctius* frater ſolio deturbare conatus eſt, ſed vana fuerunt ejus conſilia ac irriti conatus. Regnante in Hiſpaniis *Ordonio* III. Ferdinandus Caſtellæ Comes, ducto contra Saracenos exercitu, exigua cum Chriſtianorum manu octoginta Barbarorum millia ad *Laram* profligavit. Naturæ debitum ſolvit *Ordonius* III. anno nongenteſimo quinquageſimo quinto, cum regnaſſet annis quinque, & menſibus ſeptem. *Ordonio* III. ſucceſſit *Sanctius* frater, qui a multo abdomine *Craſſus* fuit appellatus. Hic *Ordonium* Alphonſi IV. cognominati *Monachi* quondam Hiſpaniarum Regis filium Regni æmulum expulit, ac Regno per duodecim annos pacifice potitus, periit tandem anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, veneno a quodam Gallæciæ Comite *Gonſalvo* nomine ei propinato. Reliquit filium quinquennem *Ramirum* III. Regni hæredem, cujus tamen adminiſtratio penes *Thereſiam* matrem, & *Elviram* amitam fuit, prudentia ſingulari fœminas. Finem vivendi fecit *Ramirus* Rex anno nongenteſimo octogeſimo quinto, juxta accuratum *Ambroſii Moralis* calculum lib. 6. pag. 263. non vero anno nongenteſimo octogeſimo ſecundo, ut habet *Mariana* lib. 2. cap. 28. *Ramiro* III. ſine prole defuncto ſucceſſit *Veremundus* II. Ramiri patruelis. Eo regnante, Mauri, ſeu Arabes, Chriſtianorum munitiſſimas Civitates, Barcinonem, Legionem, Aſturicam, Valentiam Campeſtrem occuparunt, diripuerunt, multaque Chriſtianorum millia trucidarunt. At *Veremundus* Rex fœderatus cum *Garſia* III. Navarræ Rege, *Tremulo* appellato, & cum *Garſia Fernando* Caſtellæ Comite inſignem de illis Barbaris, quorum Dux erat *Almanzor*, victoriam reportavit, eoſque fere omnes ad internecionem uſque delevit, ut videre eſt apud *Rodericum* lib. 5. *De Rebus Hiſp.* cap. 16. Mortuus eſt *Veremundus* II. anno poſt hanc victoriam elapſo, ſeu anno nongenteſimo nonageſimo nono, poſtquam regnaſſet annos quatuordecim. Filium quinquennem reliquit ſuperſtitem dictum *Alphonſum* hujus nominis V. de quo, exhibendo ſeriem Regum, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo Hiſpanias gubernarunt, ſermonem habebimus.

Veniamus tandem ad Reges, qui decimo Eccleſiæ ſæculo ſupremum in Anglia dominium obtinuerunt. Mortuo *Alfredo* Anglorum Rege piiſſimo anno nongenteſimo, ut jam obſervavimus in Colloquio primo in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi, ſucceſſit *Eduardus* ejus filius, qui patris virtutem æmulatus tanta modeſtia, atque juſtitiæ laude ſuos rexit ſubditos, ut contra æquitatem non ſolum nihil velle, ſed nec poſſe videretur. *Mercios* primum, deín Occidentales, & Orientales Anglos, Northumbros, qui cum Danis unam in gentem coaluerant, Scotos, & Britones ſuæ ditioni ſubjecit. Veteres Urbes reſtauravit, novas ædificavit, firmiſſimaque in iis conſtituit præſidia. Leges optimas tulit, quas inter Anglo-Saxonicas ad calcem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum a

Ve-

Digitized by Google

Venerabili Beda deſcriptæ legere eſt (*a*). *Eduardus* anno nongenteſimo vigeſimo quarto, cum annos viginti quatuor regnaſſet, diem clauſit extremum, ut teſtantur *Virgonienſis* ad hunc annum, & *Malmesburienſis* lib. 2. *de geſtis Regum Anglorum* cap. 6. Eodem anno *Ethelſtanus*, quem *Eduardus* Rex ex *Egurvina* Regina ſuſceperat, in Anglia regnare cœpit. *Alfredum* quemdam Regni ſui æmulum in ordinem redegit. Mortuo *Sibtrico* Northumbriæ Rege, cui ſororem ſuam *Eadgitham* matrimonio copulaverat, Northumbros, Scotos, Cumbros, & Aquilonates Britones, ſuam in poteſtatem reduxit. Celeberrimam quoque de Danis reportavit victoriam, eoſque penitus contrivit, ut videre eſt apud *Hovedenum* Scriptorem Anglum parte 1. Annalium pag. 422. ſanctiſſimas leges condidit, nova Monaſteria conſtruxit ac dotavit, vetera ædificiis, prædiis, variiſque ornamentis & libris auxit, atque locupletavit. Mortuus eſt pius ac glorioſus ille Anglorum Rex anno nongenteſimo quadrageſimo, cum annos ſexdecim regnaſſet, ſicut ait *Hovedenus* loco mox a me laudato. *Ethelſtanum* in Regno Angliæ excepit *Eadmundus*, ſeu *Edmundus* ejus frater, fortitudine, & pietate patri ſuo Eduardo haud impar. Danos domuit, & totius Angliæ Monarchiam obtinuit. *S. Dunſtanum in* Angliam accerſivit, cujus conſiliis & miniſterio uſus ſanctiſſimas leges tulit. Inter varia beneficia, quæ diverſis contulit Eccleſiis, potiſſimum recenſetur Monaſterium *Glaſtonienſe*, quod a fundamentis erexit, prædiis & privilegiis nobilitavit, eique præfecit Sanctum *Dunſtanum*, qui non ſolum rem Monaſticam, ſed etiam litterariam in Anglia reſtituit. *Edmundum* Anglorum Regem, poſtquam quinque annis, & ſeptem menſibus pie & ſtrenue Regnum moderatus fuiſſet, ab impio ſicario trucidatum fuiſſe anno nongenteſimo quadrageſimo ſexto, & ad Monaſterium Glaſtonienſe delatum a B. *Dunſtano* ſepultum aſſerit *Hovedenus* tom. 1. Annalium pag. 423. (*b*) Mortuo *Edmundo*, Edredus ejus frater eodem anno Anglorum Rex ſalutatus eſt, qui pietatem & juſtitiam coluit, S. Dunſtanum maxima veneratione proſecutus eſt, Northumbros, & Scotos rebellantes in obſequium redegit, tandem obiit anno nongenteſimo quinquageſimo quinto, ſicut unanimi conſenſu tradunt Scriptores Anglici. *Edredo* in Regno Angliæ ſucceſſit *Edwinus*, Edmundi Regis, qui ante *Edradum* regnavit, filius, qui propter ætatis defectum patri ſuo non ſucceſſerat. Fuit *Edwinus* Princeps petulans, & ita libidini deditus, ut S. *Dunſtanum*, qui eum ab illicitis duarum mulierum amplexibus abſtraxerat, & ad indictum Regni procerum, atque Epiſcoporum conſeſſum revocaverat, in exilium miſerit, boniſque omnibus ſpoliaverit. Vita deceſſit *Edwinus* anno nongenteſimo quinquageſimo nono, teſte *Hovedeno* tom. 1. Annal. pag. 425. Mortuo *Edwino*, Monarchiam Angliæ adeptus eſt eodem anno *Edgarus* frater *Edwini*, quem Angliæ Scriptores a juſtitia, benignitate, fortitudine, prudentia, & aliis Regiis virtutibus plurimum laudant, eumque *Pacifici* nomen, ob adminiſtratam ſumma cum tranquillitate Rempublicam, promeritum fuiſſe tradunt. Sed quantus fuerit *Edgarus* Anglorum Rex, vel ſola ab exilio revocatio & evectio S. *Dunſtani* ad Epiſcopatum Londinenſem, & deinde ad ſedem Metropolitanam Cantuarienſem, quando cætera deeſſent, ſatis ſuperque oſtendunt. Hunc S. *Dunſtanum* tam impenſe coluit *Edgarus* Rex, ut ab ipſo aliquando Epiſcopali libertate increpitus eo quod in adulterium lapſus eſſet, ſtatim facti pœnitens ad pedes Sancti Antiſtitis procumbens, ſeptem annorum pœnitentiam ſibi injunctam humiliter exceperit, & accurate adimpleverit, multa etiam ad peccati expiationem ſuperaddens pietatis opera, ſicut refert *Osbernus* Monachus in Vita *S. Dunſtani*, quam præclaris obſervationibus illuſtratam ſæculo V. Benedictino inſeruit doctiſſimus *Mabillonius*. Ad reſtaurandam Eccleſiæ diſciplinam aliquot Concilia, poſtulante Rege Edgaro, in Anglia celebrata ſunt, quæ in quarto Colloquio, ubi agemus de Conciliis, quæ X. & XI. ſæcul. habita ſunt, opportunius referemus. Obiit Rex *Edgarus* anno nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, cum annos ſexdecim regnaſſet. Eodem anno *Eduardus* hujus nominis II. Regis *Edgari* filius a Sanctis *Dunſtano*, & *Oſwaldo* Anglorum Rex inauguratus eſt, ſed juſſu *Elfredæ* novercæ ſuæ anno nongenteſimo, ſeptuageſimo octavo occiſus eſt, & ideo *Martyr* vulgo appellatus, etiamſi pro Chriſtianæ Religionis fide ſanguinem non fuderit, ſicut S. *Eduardus* Anglorum Rex, hujus *Eduardi* II. ex fratre nepos, dicitur *Confeſſor*, licet coram tyrannis fidem Chriſti profeſſus non ſit. Sic enim horum temporum uſus ferebat. *Eduardum* II. Anglorum Regem a noverca injuſte cæſum tanta poſt mortem Deus miraculorum gloria ſublimavit, ut ejus corpus magna cum pompa primum in Septonienſe Monaſterium, & deinde in Glaſtonienſe fuerit translatum. *Ethelredus* Edgari Regis, & Elfredæ filius, atque *Eduardi* II. Anglorum Regis frater, Regnum adeptus, illud peſſime per annos XXXVIII. adminiſtravit. Eo quippe regnante, Danorum exercitus totam Angliam vexavit, Eccleſias ac Cœnobia miſere oppreſſit. *Illius* Regis *vitæ curſus*, inquit *Malmesburienſis* lib. 2. *De geſtis Regum* cap. 10. *Sævus in principio, miſer in medio, turpis in exitu aſſeritur. Ita parricidio, cui conniventiam adhibuerat, immanis; in fuga & mollitie infamis, ita morte miſerabilis fuit*. Teſtatur etiam *Hovedenus* par. 1. Annalium pag. 434. *Ethelredum* a *Svenone* Daniæ Rege victum, atque Angliæ Inſula excedere coactum circa annum milleſimum decimum ad *Richardum* hujus nominis II. Normannorum Ducem, cujus filiam *Emmam* ipſe uxorem duxerat, confugiſſe, ejuſque auxilio poſt *Svenonis* obitum Angliæ Regnum recuperaſſe, ſed a *Canuto* Svenonis Daniæ Regis filio ſuperatum, poſt magnos labores & multas vitæ ſuæ tribulationes, quas pro nece fratris ſui *Eduardi* ſuper eum eſſe venturas S. *Dunſtanus* ei antehac prædixerat, vita functum eſſe anno milleſimo decimo ſexto, filiumque dictum *Edmundum* ex *Ebelgina* priori conjuge procreatum reliquiſſe. *Edmundus* itaque patri ſuo Ethelredo ſucceſſit, ſed a *Canuto Svenonis* Daniæ Regis filio debellatus, pacem cum illo ea conditione ſanxit, ut

inter

Digitized by Google

inter ſeſe Regnum ex æquo partirentur. *Edmundus* uno dumtaxat anno regnavit. Quapropter *Canutus* anno milleſimo decimo ſeptimo Rex in univerſa Anglia ſalutatus eſt, ut fuſius exponemus texendo ſeriem Regnum Angliæ XI. Eccl. ſæc.

„ (*a*) Regi huic Edmondo necem imminere, „ Deo revelante, didicit S.Dunſtanus; quare feſtinus „ ex Glaſtonenſi Cœnobio ad Regem properavit; ſed cum eſſet in itinere didicit ex nuncio „ Regem dum eſſet in convivio a latrone quodam cui nomen Leaf, die feſto S. Auguſtini „ (Anglorum apoſtoli ut arbitror) ſica transfoſſum occubuiſſe. Hæc Albericus ex Elinando, „ qui id aſſerit *ex relatione Gulielmi*.

D. Statum Eccleſiæ decimi ſæculi tam ſub Imperatoribus Orientis, & Occidentis, quam ſub Regibus Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ accurate deſcripſiſti. Sed ſcire in præſentia velim, apud quas barbaras gentes Chriſtiana fides eodem ſæculo fuerit propagata?

M. Multi Populi barbari tenebris adhuc Idololatriæ immerſi, abjectis Idolis, Chriſtianam fidem eodem ſæculo ſunt amplexi. In primis, anno nongenteſimo duodecimo *Normanni*, qui multa Eccleſię mala intulerant, ad fidem Chriſtianam converſi ſunt, una cum *Rollone* eorum Duce, quem a *Francone* Rotomagenſi Epiſcopo baptizatum *Robertus* filius *Hugonis Capeti* Galliarum Regis e ſacro fonte excepit, ſuumque ei indidit nomen. Hæc Normannicæ Gentis converſio in maximum Eccleſiæ emolumentum ceſſit. *Sclavi* anno nongenteſimo quinquageſimo octavo ab *Ottone* eodem Imperatore domiti Chriſtianæ fidei colla ſubmiſerunt. Anno nongenteſimo ſexageſimo quinto *Miecesłaus* Poloniæ Princeps a ſuis ſubditis (qui jam tum frequentes etiam ex Primoribus Chriſtianam fidem colebant) perſuaſus, ut damnato falſorum Deorum cultu, Chriſtianus & ipſe fieret, ac uxorem Chriſtianam *Dambroveam* Boleſlai Bohemiæ Regis, ſeu Ducis, filiam duceret, primus in Polonia ſe Chriſtianum Principem eſſe palam profeſſus eſt. Anno nongenteſimo ſeptuageſimo nono *Piligrinus* Archiepiſcopus Laureacenſis Hungarorum converſioni graviter incubuit, eamque feliciter promovit. Denique, anno nongenteſimo octogeſimo octavo *Ruſſi*, qui modo *Moſcovitæ* nuncupantur, Chriſtiani facti ſunt, eorum Rex *Wolodimerus*, celebratis nuptiis cum ſorore *Baſilii* Imperatoris, ſacri lavacri myſteriis initiatus eſt, eique, proprio *Wolodimeri* commutato nomine, impoſitum eſt nomen *Baſilii*. Ruſſorum Princeps Ruthenica lingua *Czar* appellatur, quod nomen *Regem* ſignificat. Sedes Ruſſorum Principis primum *Wlodomiriæ* fixa fuit, & poſtea *Kioviæ*, donec ea Urbs ſęculo XIII. a Tartaris penitus everſa ac ſolo æquata fuit. Abhinc duobus tantum ſæculis Ruſſorum Principis ſedes *Moſcuam* translata eſt, a quo tempore Muſcovitarum nomen celebre in orbe extitit. Metropolita vero Ruſſiæ, ſeu Moſcoviæ, ſedem cum Principe mutavit. Hi ſunt præcipui Populi qui ſæculo Eccleſiæ decimo fidei Chriſtianæ lumine fuerunt illuſtrati. Unde facili negotio intelliges, quam perperam Hæretici noſtri temporis dictitent, Chriſtianam fidem fuiſſe ſæculo decimo immutatam, cum potius apud barbaras nationes, expulſis, inſtar ſolis, Idololatriæ tenebris, longe lateque a viris Apoſtolicis fuerit dilatata.

D. Cum circa ſtatum Eccleſiæ ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis decimi ſæculi nihil amplius in præſenti dicendum occurrat; reſumamus, ſi placet, intermiſſam Imperatorum Orientis ſeriem, quam terminaſti, ſi bene memini, in *Conſtantino VIII.* Baſilii Imperatoris fratre, qui anno milleſimo vigeſimo octavo in vivis eſſe deſiit.

M. Conſtantinus VIII. Orientis Imperator, triduo antequam moreretur, de inſtituendo Imperii ſucceſſore cogitavit, accerſitoque in Palatium *Romano Argyro* optionem dedit, ut vel oculos ſibi erui pateretur, vel dimiſſa ſua legitima conjuge, filiam ejus duceret. Ad hanc optionem hæſitanti *Argyro Romano*, nec quidquam hiſcere audenti, audaciam afflavit ejus uxor, quæ ultro comam poſuit, ac ſæculo renunciavit. Tunc *Romanus Argyrus* votis Imperatoris obſecundans, *Zoen*, unam ex tribus illius filiabus, matrimonio ſibi copulavit, & poſt mortem Conſtantini Imperatoris, ſalutatus eſt Imperator Orientis: fuit *Argyrus Romanus* Princeps eruditus, Græcaque doctrina optime excultus. Primis Imperii ſui temporibus præclare ſe geſſit, ſibique ſubditorum omnium amorem conciliavit. At poſt infauſtam, quam in Saracenos ſuſcepit expeditionem, avarus evaſit, ſubditoſque ſuos gravibus exactionibus oppreſſit, ſub ſpecioſo obtentu Monaſteria & Templum in honorem Deiparæ extruendi. Cum Chalepi præfecto fœdus iniit. Scivit & impunita reliquit adulteria uxoris *Zoe*, quæ æſtro libidinis percita *Michaelem Paphlagonem*, unum Cubicularii Imperialis miniſtrum deperiebat, & adulterii conſuetudine ipſi devincta erat: quam infamem tolerantiam propria morte eluit Imperator. Nam *Zoe*, ejus uxor, quæ jam ſororem ſuam *Theodoram* raſam in Monacharum ordinem redegerat, obſcœnis amoribus dedita maritum ſuum veneno peremit, ut impudicis Adulteri ſui amplexibus ſecurius frueretur. Periit itaque *Romanus Argyrus* Imperator anno milleſimo trigeſimo quarto, cum ſex circiter annis Imperaſſet. Poſt illius obitum, confeſtim *Zoe* Auguſta *Michaelem Paphlagonem* Amaſium ſuum ad ſolium extulit, iniitque cum ipſo connubium, eam in ſpem erecta fore ut ad nutum ei pareret maritus. Sed voti ſui compos non fuit Zoe, immo eam ab Imperii adminiſtratione omnino excluſit *Michael Paphlago*, qui Clavum imperii per ſeſe tractare voluit. Verum, cum infirma valetudine uteretur, utpote ſontico, ſeu Epileptico morbo, laborans, Imperium fratri ſuo *Joanni* adminiſtrandi curam demandavit. Fuit *Michael Paphlago* Princeps modeſtus, miſericors, liberalis, multiſque aliis virtutibus exornatus. Scelerum, quibus ſibi cum *Zoe* Auguſta gradum ad Imperium fecerat, agendæ pœnitentiæ percupidus, in Monaſterium ſe recepit, poſtquam imperaſſet annos ſeptem, & menſes octo, & in eo orationibus jugiter vacans, paulo poſt pie obiit anno milleſimo

Digitized by Google

quadrageſimo primo. Dum ægrotaret *Michael Paphlago*, Cæſarem creavit *Michaelem Calaphatam* ſuum ex ſorore nepotem, qui, eo mortuo, Imperium obtinuit. Princeps fuit vafri & ancipitis ingenii, animi ingrati, & ad quævis facinora proclivis. Rerum ſemel potitus, *Zoen* Auguſtam, quæ eum in filium ſuum adoptaverat, exauctoravit, ac conſictis in eam criminibus, Decretum de illa relegauda, tondendaque perſcripſit & promulgavit. Verum, poſtquam omnia ſus deque miſcuiſſet, populi coitione adverſus tyrannum facta, Imperium *Calaphatæ* ademptus eſt, illudque *Zoe*, & *Theodoræ* ejus ſorori aſſertum anno milleſimo quadrageſimo ſecundo. Eodem anno *Zoe* Auguſta Imperii, thorique conſortem aſcivit *Conſtantinum Monomachum*, qui proinde acclamatus eſt Imperator, ſed ſtatim multifariam exagitatus fuit a nonnullis ambitioſis hominibus, qui Imperium invadere moliebautur, videlicet a *Georgio Maniace* Duce fortiſſimo in Italia, *Theophilo Erotico* in Cypro, & a *Leone Tornicio* in Iberia. Præter illos Imperii æmulos, fuerunt etiam *Ruſſi*, qui variis excurſionibus ac cædibus Orientis Imperium infeſtarunt. Nihiloſecius *Conſtantinus Monomachus* Imperator ſingulos cum æmulos, tum hoſtes pari felicitate atque virtute heroica profligavit. Eo Imperante, *Michael Cerularius* Patriarcha Conſtantinopolitanus creatus eſt, cujus ſchiſmati ſtatim non adhæſit Imperator, ſed potius Legatos miſſos a *Leone* IX. Pontifice Romano benigne excepit, illis paruit, & affines atque amicos *Michaelis Cerularii*, qui *Photii* quondam Patriarchæ Conſtantinopolitani ſchiſma Eccleſiam orientalem inter & occidentalem undecimo ſæculo recoxit, e Palatio ſuo ejecit; ſchiſmati tamen firmando poſtea haud parum favit, ut oſtendam in Colloquio tertio. Finem vivendi fecit *Conſtantinus Monomachus* anno milleſimo quinquageſimo quarto, Imperii ſui duodecimo. Poſt illius obitum, *Theodora* Porphirogenita ſoror *Zoes* a Senatu, Populoque Conſtantinopolitano Auguſta dicta eſt, & uno tantum anno Imperium ſumma pace & tranquillitate adminiſtravit. Paulo antequam moreretur *Theodora*, Imperii conſortem elegit *Michaelem* cognomento *Stratioticum*, ſeu *Strateœnicum*, virum ob ætatem penitus decrepitam, & rerum imperitiam, ad Clavum Imperii regendum prorſus ineptum, qui tamen poſt mortem *Theodoræ*, quæ accidit anno milleſimo quinquageſimo quinto, Imperio potitus eſt. Sed cum munificentiæ parum erga milites exhiberet, & ſummos viros, præſertim *Iſaacium Comnenum* contumeliis afficeret, facta eſt adverſus ipſum militum rebellio, cujus idem *Iſaacius Comnenus* electus venit in urbem, ubi in lætitiam effuſo omni populo, fauſtis ominibus atque vocibus magnifice exceptus eſt. Contra illum *Michael* Imperator copias miſit, quæ ab Iſaacio Comneno fuſæ ſunt. Quare, victum ſe, atque populo exoſum videns *Michael*, Imperio ceſſit anno milleſimo quinquageſimo ſexto, Imperii ſui anno primo. *Iſaacius Comnenus* ad Imperium evectus, Princeps fuit acris ingenii, ſed arrogantis; manu ſtrenuus, miræ caſtitatis, & effuſi in litteratos ſtudii, quamvis ipſe non eſſet litteris excultus. Exhauſtum a ſuis Deceſſoribus animadvertens ærarium, ut Fiſci ſuppleret inopiam, civium pleroſque poſſeſſionibus ſpoliavit, & ditiorum Monaſteriorum prædia ac reditus Fiſco addixit, relictis tantummodo ſumptibus ad victum neceſſariis. Expeditionem in Hungaros & Scythas ſuſcepit, eoſque ad pacem deprecandam compulit. Biennio, ac tribus menſibus Imperii exactis, morbo correptus, *Conſtantinum Ducam* Imperatorem deſignavit, & in Studienſe Monaſterium ſe ſe recepit anno milleſimo quinquageſimo nono, ubi pietatis & humilitatis exercitiis deditus ad Deum migravit. (*a*) *Conſtantinus* dictus *Ducas*, qui ab *Iſaacio Comneno* Imperium acceperat, fuit optimus Imperator, litteris impenſe addictus dicere ſolebat: *malle ſe litterarum gloria, quam Imperio nobilitari*. Foris parum felix extitit, cumque rem militarem negligeret, barbaris, ac Scythis impune graſſantibus, haud parum Imperii vires fractæ ac debilitatæ ſunt. Obiit *Conſtantinus Ducas* anno milleſimo ſexageſimo ſeptimo, poſtquam filios ſuos *Conſtantinum*, *Andronicum*, & *Michaelem* Cæſares declaraſſet, quibus in rerum adminiſtratione *Eudociam* uxorem ſuam dedit tutricem, ea tamen lege juramento firmata, ut vidua permaneret, & a ſecundis nuptiis perpetuo abſtineret. At *Eudocia* poſt mariti ſui mortem, contra fidem, ad quam ſervandam ſe ſe ſanctiſſimo juramento obſtrinxerat, poſt ſeptem dumtaxat viduitatis menſes elapſos, *Romano Diogeni*, viro e Cappadocia oriundo, familia & fortitudine claro nupſit, eumque ad Imperium evexit. Ea dignitate auctus *Romanus Diogenes* feliciter in Aſia bis pugnavit cum Turcis, ſed tertio commiſſo prælio captus eſt fraude *Andronici Conſtantini Ducæ* ex fratre nepotis. *Romanus Diogenes* captus a Turcis, benigne & honorifice ab *Axano* eorum Sultano exceptus eſt. Sed, dum captivus in Aſia teneretur, Orientis Imperio abdicatus eſt, *Eudocia* ejus uxor in Monaſterium detruſa fuit, & *Michael* filius *Conſtantini Ducæ* anno milleſimo ſeptuageſimo primo Imperator ſalutatus. Non multo poſt, *Romanus Diogenes* a Sultano dimiſſus, dum ex Aſia Conſtantinopolim reverti properat, ut ablatam recuperet dignitatem, excæcatus eſt juſſu filiorum *Conſtantini Ducæ*, tumefactoque capite propter vulnera non ſanata miſerrime in Inſula *Prote*, ad quam in exilium relegatus eſt, obiit anno milleſimo ſeptuageſimo primo cum regnaſſet annos tres & menſes octo. *Michaelem* filium *Conſtantini Ducæ*, & in Orientis Imperio *Romani Diogenis* ſucceſſorem regendo Imperio idoneum non fuiſſe, teſtantur Hiſtorici Byzantini. Studiis ſiquidem & iambis componendis plurimum intentus, Imperii habenas tractandas reliquit *Nicephoro* cuidam ſpadoni, viro quidem ſolerti, ſed animo dejecto, & calliditate pleno, qui dum omnia Imperatoris munia obiret, nihil erat quod ab eodem *Nicephoro* ſumma in Imperio authoritate non gereretur, a crudeliſſima fame, quæ, imperante *Michaele*, ſæviit, quæque maximam induxit annonæ caritatem, *Papiranaceus* fuit ipſe appellatus, & propter ejus ignaviam multis inteſtinis malis Orientale Imperium

oppreſ-

Digitized by Google

oppreſſum ad ſummas anguſtias redactum eſt. Illud quippe Turcæ iis malis vexarunt, quæ quotidie aucta, nulla ex parte remittebantur. Normanni etiam, Duce *Roberto*, varia Italiæ loca in ſuam poteſtatem redegerant. Quapropter, tot repellendis malis impar *Michael Ducas*, Imperio depoſitus eſt anno milleſimo ſeptuageſimo octavo, & ad Studii Monaſterium, ut vitam Monaſticam profiteretur, tranſmiſſus fuit, poſtquam imperaſſet annos ſex, & totidem menſes. *Michaeli Ducæ* Imperio abdicato ſubſtitutus eſt *Nicephorus Botoniates*, qui Imperatorio diademate in Æde Sophiana a *Coſma* Patriarcha Conſtantinopolitano donatus eſt. *Conſtantinum*, fratrem *Michaelis Ducæ* antea Imperatoris, affectantem Imperium, Monaſtica veſte indutum in exilium ablegavit. *Nicephorum Bryennium* Dyrrachii Ducem, & *Nicephorum Baſiliacum* tyrannos vicit, cepit & excæcavit. Mariam uxorem *Michaelis Ducæ* nuper Imperatoris fœminam pulcherrimam, & multis virtutibus præditam, omni depoſito pudore, calcatiſque Eccleſiæ legibus, ſuperſtite adhuc ejus marito, ſibi matrimonio copulavit. Quod nefandum crimen non diu impune tulit, nam cum ob ingraveſcentem ætatem & inſitam mollitiem in contemptum ſuorum veniſſet, ab *Iſaacio*, & *Alexio* Comnenis ſolio deturbatus eſt anno milleſimo octngeſimo primo (*b*), quo *Alexius Comnenus* natu minor, aſſentiente fratre *Iſaacio Comneno*, Imperator fuit acclamatus, & a *Coſma* Patriarcha Conſtantinopolitano coronatus. Vitam Imperatoris *Alexii Comneni* quindecim libris *Alexiados* eleganti ſtylo deſcripſit *Anna Comnena* ejus filia omni diſciplinarum genere exculta, de qua in Colloquio quinto, ubi agemus de viris illuſtribus X. & XI. ſæcul. ſermonem commodius habebimus. *Alexius Comnenus* Imperio potitus, cum *Roberto Guiſchardo* Apuliæ Duce, ejuſque filio *Boamundo* diuturnum bellum geſſit, ſed ab illis ſæpius fuſus ac profligatus eſt. Cum Turcis parum proſpere per ſuos Duces pugnavit, ſed profectus ipſe ad bellum eos egregie vicit ac ſuperavit. Gallis cruce ſignatis ad Bellum ſacrum properantibus, *Godfrido Bullionæo* Duce, infeſtus fuit, atque de eorum cæde a Saracenis facta haud parum gavſus eſt, ſicut oſtendemus ſub finem hujuſce Colloquii. Imperante *Alexio Comneno*, multi Novatores antiquam fidem, pravis inductis erroribus, convellere tentarunt, quos ipſe acriter inſectatus eſt, & coactis ſynodis damnari curavit, ut opportunius in Colloquio tertio commonſtrabimus agendo de Hæreſibus, quæ ſæculo XI. emerſerunt. Litteras coluit *Alexius Comnenus*, ac nonnulla edidit opera, quæ referemus in Colloquio quinto, quod erit *de viris illuſtribus*. Denique, *Alexius Comnenus* poſtquam imperaſſet annos XXVII. menſes quatuor, & aliquot dies, obiit ſeptuagenarius anno milleſimo centeſimo decimo octavo. (*c*) Sed de Imperatoribus Orientis undecimi ſæculi hæc breviter attigiſſe ſufficiat.

„ (*a*) Iſaacii Comnenii extat apud Leunclavi-
„ um conſtitutio eccleſiaſtica, qua intra angu-
„ ſtiores leges reſtringit conſuetudines tunc apud
„ Græcos obtinentes de vectigali quodam pendon-
„ do Epiſcopis in ſuis ordinationibus, nempe cum
„ initiantur Lectores, Diaconi, & Presbyteri;
„ quod inſuper vectigal canonici eidem Epiſcopo
„ perſolvant edicit. Lege eundem lib. II. Novel-
„ larum Imperialium.

„ (*b*) Nicephori hujus extat conſtitutio qua
„ confirmantur decreta lata ſub Xiphilino Patri-
„ archa in ſynodo adverſus inceſtas nuptias. Si-
„ gnatur lex iſta anno Chriſti 1080. Indict. 3.
„ menſe Jannario.

„ (*c*) Alexii hujus extant leges apud Leun-
„ clavium, quarum hæc ſunt argumenta. I. De
„ Canonibus & conſuetudinibus, ſeu vectigalibus quæ
„ ordinationis nomine dantur, in qua aliquid pa-
„ rum diverſum a lege Iſaacii Comnenii ſtatuit;
„ tum etiam eadem lege ſtatuit quid dandum ſit
„ Epiſcopo a ſponſo & ſponſa. Demum concludit
„ *univerſa quidem certe ad animam quæ ſpectant,*
„ *ipſaque adeo matrimonia tam dijudicari, quam*
„ *executioni mandari ab Archiepiſcopis & Archie-*
„ *piſcopis debent*.

„ Succedit lex altera, in qua profitetur Ale-
„ xius in anguſtiis Reipublicæ manum injeciſſe
„ ſe in vaſa & res pretioſas, qua in re luget
„ faſſus ſe reum, veniam a Deo petit, agnoſcit-
„ que omnia, quibus Imperium premebatur,
„ mala a Deo vindice ob delictum illud inducta
„ eſſe, pollicetur que nunquam ſe deinceps com-
„ miſſurum, ut manum in res ſacras injiciat;
„ tametſi, addit, *me quævis ad hoc neceſſitas invitet*.

„ Lex tertia eſt de ſponſalibus, quæ non ci-
„ tius fieri mandat, quam poſt annos ætatis 12.
„ in fœminis, & 14. in maribus.

D. Quo loco res Eccleſiæ erant in occidente ſuh Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis undecimi ſæculi.

M. Mortuo *Ottone* III. Imperatore ſine liberis anno milleſimo ſecundo, (*a*), ſicut jam obſervavimus, electus eſt Rex Germaniæ *Henricus* hujus nominis inter Reges Germaniæ ſecundus, inter Imperatores Primus, qui tamen dictus eſt duntaxat Imperator anno milleſimo decimo quarto, quo a *Benedicto* VIII. Summo Pontifice Imperialem coronam accepit. Multis virtutibus claruit hic Imperator, caſtitatis præcipue amore, Religionis ſtudio, & aliis pietatis operibus inſignis. *Cunegundam* conjugem ſuam vitæ ſanctitate conſpicuam morti proximus parentibus illibatam reſtituit. Bambergenſem Epiſcopatum fundavit, duo Monaſteria condidit, ac dotavit, in Monaſterium Caſſinenſe, ubi ex calculo graviter laborans, S. Benedicti interceſſione ſanitatem recuperaverat, fuit munificentiſſimus. Ab *Arnulpho* Mediolanenſi Epiſcopo vocatus in Italiam adverſus *Ardoinum*, qui Italiæ Regnum invaſerat, bis cum illo infelici marte conflixit, ſed tandem Papia capta, & *Ardoino* debellato, fuit Rex Italiæ ſalutatus. Capuæ a Saracenis oppugnatæ ſuppetias tulit. Græcis *Trojam* in Apulia eripuit. Pacem Italiæ reddidit, & omnes donationes Eccleſiæ Romanæ a *Pipino*, *Carolo Magno*, & ab *Ottonibus* Imperatoribus ſuis Deceſſoribus

ribus factas confirmavit. Præter hoc Bellum Italicum, alia Hentico Imperatori bella fuerunt, videlicet adverſus *Balduinum* Flandriæ Comitem, contra Polonos, Bohemos, & Moravos, quos feliciter vicit, Hungaroſque ad fidem Chriſti perduxit. Demum ſanctitatis fama ubique celebris animam Deo reddidit anno milleſimo vigeſimo quarto, ab electione ſua in Regem Germaniæ anno XXII. Imperii vero X. Sepultus eſt in Eccleſia Bambergenſi, & ab *Eugenio* III. Pontifice Maximo Sanctorum Faſtis adſcriptus (*a*). Mortuo *Henrico* Imperatore, Sancta *Cunegunda* ejus uxor inter ſanctimoniales *Confugienſis* Monaſterii Ord. S. Benedicti, quod ipſa fundaverat, Monaſtico inſtituto nomen dedit. Ejus vita extat apud *Surium*, & inter Acta Sanctorum menſis Martii ab *Henſchenio*, & *Papebrochio* edita. *Conradus* hujus nominis ſecundus, poſt obitum *Henrici*, qui ob perpetuam cum *Cunegunda* conjuge ſua ſervatam virginitatem abſque liberis deceſſerat, electus eſt Rex Germaniæ, non tamen Imperator dictus, niſi anno milleſimo vigeſimo ſeptimo, quo a Joanne XIX. Pontifice Maximo Coronam Imperialem accepit. *Miſiconem* Poloniæ Ducem *Boleslai* filium domuit, Poloniam in Tetrarchiam erexit, eamque tributariam fecit. Hungaros devicit, Burgundiam acquiſivit, traditam ſibi a *Rodolpho* Rege, ipſamque valide tutatus eſt adverſus *Odonem* Rodolphi ex ſorore nepotem, qui eam armatus repetebat. *Lenticos* Paganos Saxoniæ Chriſtianos infeſtantes compreſſit. In Italiam bellis laceratam venit, & luſtrata Longobardia, Epiſcopos Placentinum, Cremonenſem, & Vercellenſem reos Majeſtatis multavit exilio; in Parmenſes, & Mediolanenſes rebelles animadvertit, & omnes Italię ſeditiones ſedavit. Obiit *Conradus* Imperator anno milleſimo nono apud Trajectum Friſiæ, ab electione ſua in Regem Germaniæ anno decimo quinto, Imperii vero anno duodecimo. Ei ſucceſſit *Henricus* filius, qui inter Reges Germaniæ eſt hujus nominis tertius, ſed inter Imperatores eſt tantum hujus nominis ſecundus. Hic *Henricus* anno milleſimo trigeſimo nono Rex Germaniæ fuit coronatus, non tamen *Auguſti*; ſeu Imperatoris nomen obtinuit, niſi anno milleſimo quadrageſimo ſexto, quo pulſis, & in Synodo Sutricenſi depoſitis *Benedicto IX. Silveſtro III. & Gregorio VI.* electus eſt *Clemens* II. Pontifex Maximus, qui *Henricum* coronavit Imperatorem. Virtutibus tam Chriſtianis, quam Civilibus, & bellicis præditus fuit *Henricus* Imperator. Habitis *Conſtantiæ* ad Rhenum Comitiis, pacem inter Principes & Magnates conciliavit, privatis extinctis inimicitiis. Mimos, & comœdos expulit, *pauperibuſque diſtribuit, quæ membris Diaboli ſubtraxerat*, ut ſcribit *Otto Friſingenſis*. Simoniacam labem, quæ id temporis latiſſime graſſabatur, penitus exterminare totis viribus ſtuduit, ac Simoniacos omni honore deſtitutos, privatoſque dignitatibus ac beneficiis Eccleſiaſticis feriri anathemate curavit, ſacrorum Canonum executioni ſedulo invigilans. *Leoni IX.* Pontifici Maximo adverſus Normannos Eccleſiæ Romanæ infeſtos tulit auxilium. *Godefridum Lotharingiæ* Ducem, & *Balduinum* Flandriæ Comitem perduelles, ob idque a Romano Pontifice excommunicatos, ad deditionem compulit, *Bohemos*, *Hungaroſque* ſubegit, & poſt tot præclara geſta, viam tandem univerſæ carnis ingreſſus eſt anno milleſimo quinquageſimo ſexto, ac puerum reliquit ſeptennem, *Henricum* videlicet, qui inter Reges Germaniæ eſt hujus nominis quartus, ſed inter Imperatores eſt tantum hujus nominis tertius. Exiſtimaverim tamen ipſe, hunc *Henricum* inter Germaniæ Reges locum duntaxat habere debere, ſed non inter Occidentis Imperatores, quia a vero & legitimo Pontifice nunquam fuit coronatus Imperator, ſed anno duntaxat milleſimo octogeſimo quarto a *Guiberto* Antipapa, quem ipſemet *Henricus* contra verum Pontificem Romanum *Gregorium VII.* creaverat, *coronam non gloriæ, ſed confuſionis* accepit, ut ſcribit *Bertholdus* Conſtantienſis. Princeps fuit *Henricus*, ingenio ferox, ſuperbus & violentus, qui Sanctę Sedi fuit inobediens, & Epiſcopatus, atque Abbatias privata auctoritate, quam vulgo *Inveſtituram* appellare ſolemus, pretio vendidit. Quid contra Gregorium VII. ſanctum, & magnanimum Pontificem Romanum, a quo anathemate perculſus eſt, molitus fuerit? quaſque in Eccleſia turbas excitarit, inducto ſchiſmate per *Guibertum* Ravennatem Archiepiſcopum, quem in Cathedram S. Petri Antipapam intruſit? commodius referemus in ſequenti Colloquio agendo de Pontificibus Romanis, qui undecimo ſæculo Eccleſiam gubernarunt. Satis hic obſervaſſe ſufficiat, Deum ad ulciſcendas tot injurias, quas Eccleſiæ temere irrogavit *Henricus*, non ſolum adverſus ipſum ſuſcitaſſe *Rodulphum* Sveviæ Ducem, *Hermannum* e Lotharingia Ducem Luzelburgenſem, & *Ecbertum* Saxoniæ Marchionem, qui contra illum electi Imperatores, diu & acriter cum ipſo bella geſſerunt; ſed etiam permiſiſſe, ut ejus filii certatim contra ipſum conſpirarent. *Conradus* ſiquidem ejus filius natu major anno milleſimo nonageſimo tertio Regnum Italiæ patri ſuo *Henrico* ſurripuit, & *Henricus* alter ejus filius anno milleſimo centeſimo quinto a Germaniæ proceribus unanimi conſenſu acclamatus Imperator, patrem ſuum *Henricum* coegit, ut ipſi Imperii Inſignia traderet, eumque ad privatam vitam redegit, quam tandem variis curis confectus, & in excommunicatione trium Romanorum Pontificum anno milleſimo centeſimo ſexto, miſerrime clauſit nequiſſimus ille Eccleſiæ perſecutor, de quo plura non addam, quia de malis quæ in Eccleſiam intulit, ſæpius in ſequentibus noſtris Colloquiis ſermo redibit.

„ (*a*) Defuncto Ottone Imperatore regnum
„ Italię diebus tantummodo viginti quatuor vacavit,
„ ac die tandem decima quinta Februarii, anni 1002.
„ in ſolemni conventu Principum, Papiæ habito
„ in Regem aſſumptus fuit Ardoinus Dodonis filius
„ Eporedienſis Marchio, illudque tenuit uſque ad
„ an. 1014. Non tamen pacifice rexit; ſępe enim Henrici Regis Germanię armis vexatus eſt, quamquam

cum

„ cum illo victor prima vice evaſit; at cum bello
„ tentare Mediolanum vellet, intelligens Archie-
„ piſcopum Mediolanenſem Arnulphum arma ap-
„ parare, regno ſeſe abdicavit, ſponteque Monaſti-
„ cum cucullum induit in Monaſterio Fructuarienſi
„ agri Taurinatis. Ex his autem quæ dixi de va-
„ catione regni Itali, elicitur Ottonem III. Im-
„ peratorem obiiſſe die x. Kal. Februarii, uti et-
„ iam concors eſt veterum aſſertio apud Pa-
„ gium, quem adeas ad eundem annum. Vide
„ & adnotata ibidem.

„ (c) Juvat hic de S. Henrico Imperatore ea tra-
„ dere quæ Albericus Monachus Triumfontium
„ de illo narrat ad annum 1019. *De Henrico Im-*
„ *peratore narratur, & ſcriptum reperitur, quod Ab-*
„ *bati Richardo Virdunenſi profeſſionem fecerit,*
„ *& ejus conſilio ſe totum commiſerit, volens apud*
„ *S. Vitonem Monachus fieri; ſed S. Abbas Richar-*
„ *dus virtute obedientiæ ei injunxit ne imperium di-*
„ *mitteret quandiu viveret, &c.*

D. Seriem Imperatorum cum Orientis, tum Occidentis ad initium uſque duodecimi Eccleſiæ ſæculi accurate hactenus perduxiſti, eorumque geſta, virtutes, ſimul & vitia candide retuliſti. Sed Chriſtianorum Regum, qui Galliam, Hiſpaniam, & Angliam gubernarunt, ſeriem, ad finem uſque dumtaxat decimi ſæculi exhibuiſti, quam ſubinde, ut ſtatum Eccleſiæ undecimi ſæculi ſub illis Principibus Chriſtianis perſpectum habere poſſim, ad exordium uſque duodecimi ſæculi continuatam modo texere debes.

M. Mortuo *Hugone Capeto* Galliarum Rege anno nongenteſimo nonageſimo octavo, *Robertus* ejus filius, qui jam a patre ad Regni conſortium adſcitus fuerat, ſolus in Galliis regnare cœpit. Is, poſt diremptas, ob *Gregorii V.* Romani Pontificis interdictum, inceſtas nuptias, quas inierat cum *Bertha* Carnutenſium Comitis vidua, cujus affinitate conjunctus erat; *Conſtantiam* Toloſani Comitis *Willelmi* filiam duxit uxorem. Fuit Princeps ſumma pietate, manſuetudine, prudentia, & litterarum haud vulgari ſcientia præditus. Sacras Ædes, & Monaſteria ingenti numero fundavit in Dei laudibus aſſiduus. Nuſquam abſque pauperibus erat, quibus omnia affatim ſuppeditari curabat, & in die Cœnæ Domini eis numero trecentis propria manu ac flexis genibus inſerviebat, atque eorum pedes admirabili pietate, & modeſtia abluebat. Sacros quoſdam Hymnos compoſuit, & Proſam: *Veni Sancte Spiritus*, quam in Feſto Pentecoſtes cecinit Eccleſia. Obiit ſanctitate, & miraculis clarus *Robertus* Galliarum Rex die xxi. menſis Julii anni MXXXI. ut videre eſt in Chronicis *S. Petri Vivi*, *S. Medardi*, & *S. Dionyſii*, in quibus mors *Roberti* Galliarum Regis conjungitur cum anno milleſimo trigeſimo primo, idque etiam tribus teſtimoniis ex chartis *Henrici* filii, ac in Galliarum Regno ſucceſſoris *Roberti* erutis certum eſſe oſtendit doctiſſimus *Baluzius* lib. 4. *Marcæ Hiſpanicæ* ad annum MXXXI. Quocirca male *Baronius*, *Calviſius*, *Bucherius*, *Petavius*, aliique obitum *Roberti* Galliarum Regis copularunt cum an. MXXXIII. Reliquit *Robertus* Rex tres filios, quorum majorem natu *Henricum* ſucceſſorem jam dixerat, eique Regiam Coronam impoſuerat anno MXXVII. reluctante licet *Conſtantia* Regina, quæ *Robertum* natu minorem volebat anteponi. *Henricus* itaque hujus nominis primus, *Roberti*, & *Conſtantiæ* filius anno MXXXI. ſolus in Galliis regnare cœpit, invita licet, ut mox dixi, *Conſtantia* matre, quæ nihil non egit ut eum exauctoraret, & *Robertum* natu minorem, quem *Henricus* ejus frater Ducem Burgundiæ creaverat, ad ſolium eveheret. At ſuperbæ, & tumultuantis mulieris conatus repreſſit *Henricus* fretus potiſſimum auxilio *Roberti* Normannorum Ducis *Theobaldum*, & *Stephanum* Odonis Carnotenſis Comitis rebelles filios ſuperavit etiam *Henricus* per *Gotfredum* Andegavenſium Comitem, cui Turonorum Civitatem attribuit. *Willelmum* Notum *Richardi* Normannorum Ducis filium ſuæ curæ fideique a patre concreditum egregie tutus eſt, & paternam in ditionem reſtituit, fuſis in prælio Normannorum millibus triginta, cum ipſe tria dumtaxat millia in exercitu haberet. Ex *Anna* Ruſſorum Regis filia, quam *Henricus* duxerat uxorem, tres ſuſcepit filios, *Philippum*, *Robertum*, & *Hugonem*. Primum ex his, ſeu Philippum, puerum adhuc Septennem, *Henricus* in Conventu Remenſi an. MLIX. in conſortium Regni aſcivit, cujus coronationi, amoris, & honoris ergo Legati Romani Pontificis, Epiſcopi viginti duo, & proceres Regni quamplurimi in actis Coronationis memorati interfuerunt. Obiit *Henricus* hujus nominis primus Galliarum Rex Vitriaci die IV. menſis Auguſti anni MLX. ſed cum *Philippus* ejus filius ob juvenilem ætatem Regno Galliarum adminiſtrando impar eſſet, *Henricus* ejus pater teſtamento cavit, ut *Balduinus V.* Flandriæ Comes tutelam *Philippi*, Galliarumque Regni adminiſtrationem ſuſciperet. *Balduinus* igitur per annos ſeptem Francorum Regnum ſapienter, & ſtrenue rexit, morienſque *Philippo* Regi jam adoleſcenti Galliarum Regnum quietum reliquit. *Bertham* Friſiæ Comitis *Florentii* filiam uxorem duxit *Philippus* hujus nominis primus Galliarum Rex, ex qua ſuſcepit *Ludovicum* filium. Sed poſtea divortium cum ea fecit, & *Bertradam* conſanguinitate ſibi junctam, *Fulconis* Andegavenſium Comitis adhuc viventis uxorem, ſibi conjugio copulavit. Harum inceſtarum occaſione nuptiarum *Urbanus* II. Summus Pontifex ſacris *Philippo* Regi interdixit, cumque reſipiſcere nollet, & concubinam dimittere, eum excommunicavit. Hoc Eccleſiæ fulmine perterritus Philippus Rex, ad meliorem frugem ſeſe recepit, & dimiſſa *Bertrada* concubina, rediit in amicitiam Urbani II. & Eccleſiæ reconciliatus eſt. *Paſchalem II.* Romanorum Pontificem in Gallias anno milleſimo centeſimo ſeptimo venientem ut peteret auxilium contra *Henricum* Imperatorem, qui Epiſcopos & Abbates electos jus inveſtiendi per annuli & virgæ traditionem ſibi injuſte arrogabat, perhonorifice excepit *Philippus* Rex, qui tandem anno ſequenti, ſeu MCVIII. e vivis exceſſit, cum regnaſſet annos XLVII. Habes nunc ſeriem Regum, qui undecimo Eccleſiæ ſeculo Gallorum Monarchiam gubernarunt.

Reſumamus modo Hiſpaniæ Regum ſeriem quam terminavimus in *Veremundo* hujus nominis ſecundo, qui obiit anno nongenteſimo nonageſimo no-

Digitized by Google

no, filiumque quinquennem Regni reliquit hæredem dictum *Alphonſum* hujus nominis V. cujus minorem ætatem rexit *Melendus* Gallæciæ Comes, qui Regnum juxta ſupremam *Veremundi* Regis voluntatem eximia fide adminiſtravit, filiamque ſuam nomine *Elviram* adulto Regi *Alphonſo* connubio junxit, ex qua *Alphonſus* procreavit *Veremundum*, & *Sanctiam*. Adverſus Saracenos pugnans occiſus eſt *Alphonſus* V. Hiſpaniarum Rex, anno MXXVII. ſicut oſtendit *Baronius* ex ejus Epitaphio. Eum in Regno Hiſpaniæ excepit *Veremundus* filius hujus nominis III. qui a *Sanctio Majore* Navarræ Rege magnis cladibus cum affectus fuiſſet, pacem cum eo pepigit, & *Sanctiam* ſororem ſuam *Ferdinando Magno* Sanctii majoris filio cum jure ſucceſſionis in utrumque Regnum dedit uxorem. Verum hic *Ferdinandus* hujus nominis tunc Caſtellæ Rex poſt mortem *Sanctii majoris* patris ſui *Veremundum* ſororium ſuum de finibus laceſſivit, & commiſſo cum eo prœlio, interfectus eſt *Veremundus* Rex an. MXXXVII. ut liquet ex illius Epitaphio a *Baronio* recitato. Occiſo *Veremundo*, Regnum Legionenſe confeſtim victricibus armis occupavit *Ferdinandus*, illudque cum Regno Caſtellæ, ſeu Caſtiliæ univit. Varias Urbes in Luſitania Saracenis eripuit. Toletanum, & Hiſpalenſem Saracenorum Reges potentiſſimos, vectigales ac tributarios fecit, multiſque victoriis clarus obiit anno MLXV. numeroſam relinquens prolem, videlicet, *Sanctium*, *Alphonſum*, & *Garſiam* filios, *Urracam* vero & *Elviram* filias. Moriens Regnum ſuum trifariam diviſum filiis legavit. *Sanctio* natu maximo dedit *Caſtellæ* Regnum; *Alphonſo* donavit Regnum *Legionis* cum nonnullis Gallæciæ Civitatibus; reliquam tandem Gallæciæ partem, necnon Luſitaniæ Ditiones Mauris ereptas *Garſiæ* aſſignavit. Aſt, poſt mortem *Ferdinandi* M. Caſtellæ Regis graviſſima bella inter tres filios ejus exorta ſunt. *Sanctius* Caſtellæ, & *Alphonſus* Legionis Reges *Garſiam* fratrem Gallæciæ, & Luſitaniæ Regem Ditionibus ſpoliarunt, eaſque inter ſeſe partiti ſunt. Sed *Sanctius* hac præda haud contentus, & dominandi cupiditate abreptus bellum adverſus fratrem *Alphonſum* Legionis Regem movit anno MLXX. Bis inter fratres acriter pugnatum eſt, biſque *Alphonſus a Sanctio* victus, & tandem captus in carcerem conjectus eſt, ex quo tamen eum hac conditione eduxit *Sanctius* ut in Monaſterio *S. Facundi* Monachorum habitum indueret. Verum *Alphonſus* eum deluſit, noctu quippe fugit a Monaſterio, Toletum venit, ubi permanſit uſque ad mortem fratris *Sanctii* Caſtellæ Regis, hoc eſt, uſque ad an. MLXXII. quo *Sanctius* Caſtellæ Rex in obſidione Urbis *Zamoræ* ab uno milite per inſidias interfectus eſt. Sublato itaque e vivis *Sanctio* Caſtellæ Rege, *Alphonſus* hujus nominis VI. Sanctii frater ad Regnum Legionis, & Caſtellæ revocatus eſt, & *Garſias* ejus frater e carcere, in quo a *Sanctio* detentus fuerat, liberatus & in Regnum Gallecıæ reſtitutus eſt, qui tamen a fratre ſuo *Alphonſo* dolo captus, in carcerem denuo truſus eſt, ubi periit an. MXC. *Alphonſus* vero ejus frater, Caſtellæ, & Legionis Rex, poſt devictos Mauros, qui multam cladem Hiſpaniæ inferebant, e vita deceſſit an. MCIX. cum regnaſſet a morte patris annis XLIII.

Supereſt tandem, ut breviter ſeriem demus Regum, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo Angliam gubernarunt. Et in primis jam oſtendimus, mortuo *Edmundo* Ethelredi Regis Angliæ filio, *Canutum* Svenonis Daniæ Regis filium in univerſa Anglia Regem agnitum fuiſſe anno milleſimo decimo ſeptimo. Erant huic *Canuto* Regi duo ex concubina *Alfgiva* filii, *Heraldus*, & *Sveno*. Sed ut legitimam prolem ſibi in Regno Angliæ aliquando ſufficeret *Canutus*, *Emmam* conjugem *Ethelredi* Regis e Normania revocatam ſibi matrimonio copulavit, ex qua cum genuiſſet *Hardicanutum*, & *Gunildam* filiam, mortuus eſt anno milleſimo trigeſimo quinto. Fuit *Canutus* optimus Princeps, qui ſanctiſſimas leges tulit, & de viris Eccleſiaſticis, atque Monachis optime meritus eſt. Pupillorum, & viduarum defenſor, orphanorum, & advenarum patronus munificentiſſimus, leges iniquas ſuſtulit, juſtitiam & æquitatem extulit, & impenſe coluit, Eccleſias extruxit, & honoravit, Sacerdotes, & Clerum dignitatibus ampliavit, pacem & unanimitatem omnibus indixit, multaque alia id genus pietatis opera edidit, quæ legi poſſunt apud Anonymum Encomiaſtem *Emmæ* Anglorum Reginæ, qui eſt auctor coævus, & extat inter Scriptores antiquos Hiſtoriæ Normannorum. (*a*) Mortuo *Canuto* Anglorum Rege an. MXXXV. *Heraldus*, quem ut mox diximus ex concubina ſuſceperat *Canutus*, ſucceſſit in Regno Angliæ obiitque anno milleſimo quadrageſimo. Eo demortuo, *Hardicanutus*, Canuti filius, qui tum temporis Brugis in Belgio agebat, communi civium ſuffragio, & procerum fere omnium conſenſu Rex Angliæ fuit acclamatus, qui Regno potitus, & memor injuriarum, quas vel ſibi vel *Emmæ* matri irrogaverat *Heraldus* Rex, corpus illius effodi, & in flumen *Tameſis* projici juſſit. Ipſo Regni ſui initio *Hardicanutus* graviſſimum tributum civibus impoſuit, quo illorum odium in ſe concitavit, *Guinildam* ſororem ſuam *Henrico* ſecundo Imperatori, *Conradi* filio conjugem dedit, obiitque an. MXLII. eodem anno *S. Eduardus* cognomento *Confeſſor* Rex Angliæ fuit coronatus: *Godwini* Comitis filiam duxit uxorem, cum qua caſte vixit. Præclaris virtutibus fulſit, & a Deo multis miraculis ejus virtutum teſtibus, illuſtratus, in Cælum receptus eſt anno milleſimo ſexageſimo ſexto, & ab *Alexandro III.* Romano Pontifice, an. MCLXI. Sanctorum Faſtis adſcriptus eſt, ſicut ad eumdem annum teſtatur Card. *Baronius*. Anglorum Reges privilegium curandi ſtrumas, vel ſcrophulas a S. Eduardo repetunt, eidemque hoc beneficium acceptum referunt. Solis tamen Anglorum Regibus, ut obiter dicam, illud privilegium ſanandi ſcrophulas a Deo non eſt conceſſum; Reges quippe Francorum, & ſeptimi maſculi, nullo interjecto partu fœmineo nati, idem habent privilegium ſanandi ſolo tactu ſcrophulas, ſicut multis experientiis, & teſtimoniis probatiſſimæ fidei hominum, qui hanc ſanitatis gratiam ſæpius propriis oculis inſpexerunt, ſuaderi poteſt. Quorum teſtimonia

Digitized by Google

monia ſatis ſuperque ſufficere debent ad refellendos quoſdam incredulos, tam Medicos, qui hæc, ceu commentitia, ſugillant, quam Theologos nonnullos, qui hæc ſuperſtitioſa eſſe dicunt. Sunt hæ gratiæ gratis datæ, quæ a Deo tam bonis, quam malis impertiuntur, non ad propriam eorum, ſed ad communem aliorum utilitatem. Sed redeamus ad ſeriem Regum Angliæ. Poſt S. Eduardi obitum *Haraldo*, *Godwini* filio, Regnum ab Anglis delatum eſt, quem *Willelmus* Normanniæ Dux juſto bello aggreſſus commiſſo prælio profligavit, & in eo *Haraldus* Rex fortiter pugnans, occubuit. *Willelmus* in Feſto Natalis Domini an. MLXVI. Angliæ Rex fuit inauguratus, dictuſque *Willelmus* hujus nominis I. Leges optimas condidit, ſed eas præſertim obſervari juſſit, quæ a S. Eduardo fuerant promulgatæ. Eo regnante *Willelmo*, multa Monaſteria in Anglia, & in Normannia, conſtructa ſunt. *Malcolmum* III. Scotiæ Regem, ducto in Scotiam exercitu, ad hominium ſibi præſtandum compulit *Willelmus*. Summo amore litteratos proſecutus eſt. Quatuor filios ex *Mathilda* Balduini Comitis filia conjuge ſua ſuſcepit, *Robertum* nempe, *Richardum*, *Willelmum*, & *Henricum*. Sed *Richardus* puer obiit, & *Robertus* Regno jure primogenituræ ſibi debito fuit a patre privatus, eo quod *Philippum* I. Galliarum Regem adverſus illum excitaſſet, & ob id ſolo Normanniæ Ducatu a patre donatus eſt. Regnavit in Anglia *Willelmus* hujus nominis I. an. viginti, & obiit an. MLXXXVII. Mortuo *Willelmo* I. in Regnum Angliæ ſucceſſit *Willelmus* ejus filius hujus nominis II. qui, ob flavam Cæſariem *Rufi* cognomen accepit. Exordio Regni ſui conatus quorumdam rebellium, qui ei Regnum eripere moliebantur, fregit. *Margaretam* uxorem habuit Scotiæ Reginam piiſſimam. Gravi morbo correptus Sanctum *Anſelmum* Cantuarienſi præfecit Eccleſiæ, & aureos, ut ajunt, montes in bonum Eccleſiæ, & Regni, ſi ſanitatem recuperaret, pollicitus eſt, ſed ſanitati poſtea reſtitutus, nihil eorum, quæ promiſerat, executioni mandavit. Populum oppreſſit, pecuniam ab Epiſcopis, & Abbatibus exactionibus injuſtis extorſit. Sanctum *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum Eccleſiæ jura ſtrenue vindicantem, & conſilia Aulicorum, qui, ut fieri aſſolet, voluntati Regis magis obtemperare, quam Eccleſiæ bonum promovere ſtudebant, ſequi detractantem haud parum vexavit, ſicut opportunius oſtendimus in Colloquio quinto diſſerendo *de Viris Illuſtribus*, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo floruerunt. Obiit *Willelmus* II. Angliæ Rex anno centeſimo ſupra milleſimum, ſagitta inter venandum, ut dicitur, fortuito confixus a *Waltero Tyrei*, quem ex Francia deductum in familiaritatem receperat.

„ (*a*) Leges eccleſiaſticas Canuti regis diligentius ex Anglo-Saxonico verſas dedit Wilkins in nov. edit. Concil. Britanniæ.

D. Audivi ſæpius a viris eruditis, ſacrum bellum ſub finem undecimi ſæculi a Principibus Chriſtianis confœderatis contra Saracenos, ſeu Turcas, fuiſſe feliciter ſuſceptum, eoque Chriſtianæ Religioni magnam gloriam, & ampliſſimum acceſſiſſe incrementum; hujus itaque ſacri belli initium, progreſſum ac fauſtum exitum paucis, ſi placet, deſcribe, & hac deſcriptione noſtrum concludamus Colloquium.

M. Ad iſtud Sacrum contra Saracenos ſub finem undecimi ſæculi bellum ſuſcipiendum Principes Chriſtianos primum accendit *Petrus* Eremita, natione Gallus, patria Ambianenſis, qui ex Palæſtina nuper regreſſus, multas ad illos detulerat Chriſtianorum dira ſervitute in Oriente oppreſſorum litteras, quibus etiam vehementer permotus *Urbanus* II. Pontifex Maximus, Concilium Claromontanum in Galliis anno milleſimo nonageſimo quinto celebravit, in quo Chriſtianos ad ſacram Palæſtinæ expeditionem plurimum adhortatus eſt. Hoc veluti Claſſico exciti Europæ Principes Chriſtiani Galliæ, Italiæ, & Germaniæ (nam Hiſpani ſuis Mauris in ordinem redigendis implicabantur) certatim hanc in ſacram militiam adſcripti ſunt, deſiderio præſertim extimulati propagandæ Catholicæ Religionis, & aſſerendæ Chriſtianorum libertatis ſub jugo duræ ſervitutis toto in Oriente gementium. Collecto itaque Equitum, Peditumque numeroſo exercitu, in Aſiam trajecto Boſphoro ſe ſe conferunt, ubi innumeris ſuperatis difficultatibus, quas *Alexius Commenus* Græcorum Imperator, Chriſtianus licet, contra pactam fidem Latinis per Græciam tranſeuntibus objecit, eiſque tum commeatus, & annonæ ſuppreſſione, tum nocturnis, & inopinatis aggreſſionibus, aliiſque id genus ſtructis itinerum inſidiis moleſtiam faceſſere pro viribus tentavit, his, inquam, omnibus perruptis ac ſuperatis difficultatibus, Latini Cruce ſignati magnos de Saracenis, ſeu Turcis reportarunt triumphos. Expugnatio ſiquidem *Niceæ*, & *Antiochiæ*, deditio *Lycaoniæ*, *Liciæ*, *Ciliciæ*, & *Pamphiliæ*, *Solymani*, Turcarum Principis, *Soldanorum* Babyloniæ, & Ægypti debellatio; ad extremum; Hieroſolymorum in Chriſtianorum poteſtatem reductio, fuerunt præclari fructus, quos ex ſacra iſta expeditione Chriſtiani perceperunt. Subacta Hieroſolyma anno milleſimo nonageſimo nono, Regnum Hieroſolymitanum *Godefrido Bullionæo* Duci Lotharingiæ, & Chriſtiani exercitus Generali præfecto omnium unanimi conſenſu delatum eſt, ipſe tamen *humilitatis cauſa, corona, Regum more, in ſancta Civitate noluit inſigniri: ea contentus, & illi reverentiam exhibens, quam humani generis reparator in eodem loco uſque ad Crucis patibulum pro noſtra ſalute ſpineam deportavit*. Verba ſunt *Willelmi* Tyriorum Archiepiſcopi l. x. apud quem Scriptorem legere poteris integram hujuſce ſacri Belli Hiſtoriam fuſo calamo & ſincera fide ab ipſo deſcriptam, & de qua in noſtris ſequentibus Colloquiis iterum redibit ſermo.

D. Tot victoriæ, quas ſub finem XI. ſæculi de Turcis in Oriente Chriſtiani, Duce *Godefrido Bullionæo*, reportaverunt, me eam in ſpem erigunt, fore ut tandem infenſiſſimi illi Chriſtianæ Fidei hoſtes quam primum exterminentur; hanc mihi certam fiduciam ingerit fauſtiſſimus atque exoptatiſſimus hic nuncius, quo hodie, antequam noſtrum iniremus Colloquium, feſtiva omnium

Digitized by Google

gratulatione accepimus, ingentem Turcarum exercitum a Principe *Eugenio* e Sereniſſima Ducum Sabaudiæ Proſapia oriundo, & exercitus Imperatoris *Caroli VI.* Generali præfecto die XVI. menſis Auguſti hujuſce labentis anni MDCCXVII. fuſum, victum & diſſipatum eſſe, atque *Albam Græcam*, vulgo dictam *Bellegrada*, Urbem in colle ſitam, natura, & arte munitiſſimam, die XVIII. ejuſdem menſis & anni actutum expugnatam captamque fuiſſe ab eodem Principe *Eugenio*, cui contra Turcas pugnare, ac vincere idem omnino eſt, & quem omnes dignum judicant qui pro ſuis in Eccleſiam meritis Hieroſolymitano Regno, velut alter *Godefridus Bullionæus*, aliquando potiatur.

M. Cum tam grato nuncio tota exhilaretur Roma, ac paſſim in vicis ferveant gratulationes, ingeminentur plauſus, celebrentur rumores, igneſque feſtivi, prægeſtiente lætitia, certatim ab omnibus parentur, neceſſe eſt ut Colloquio noſtro finem imponamus, & per aliquot dies communi gaudio perfruentes, laudibus celebremus victorem, fortiſſimum Heroem, & dignum, cui triumphales Arcus erigantur, Trophæa, Columnæ, Obeliſci, & Pyramides inſtruantur.

COLLOQUIUM II.

In quo texitur ſeries Epiſcoporum, qui præcipuas Eccleſiæ ſedes Romanam videlicet & Conſtantinopolitanam ſæculis Decimo & Undecimo tenuerunt.

D. Legi nuperrime in Annalibus Cardinalis Baronii, Sedem Romanam, quæ in præcedentibus Sæculis fuerat univerſæ Eccleſiæ decus ac ornamentum, fonſque purioris ſanctitatis, ab indignis, callidis, & improbis invaſoribus decimo Eccleſiæ ſæculo fœdiſſime eſſe conſpurcatam. Indolui ſane, nec a lacrymis temperare potui, dum vitas illorum Romanorum Pontificum perlegi in Annalibus Baronii, quem aliunde probe ſcio de Sede Apoſtolica, & de Romanis Pontificibus optime meritum eſſe. Optarem igitur, pro illo, quod penitius animo meo inſidet erga Romanos Pontifices, devotiſſimo obſequio, ut in gratiam horumce Romanorum Pontificum, quorum mores perſtringit *Baronius*, vindicias nunc adornares, & brevi Apologia oſtenderes, eos a virtute, & a pietate deceſſorum ſuorum non defeciſſe. Sic enim facilius, mea quidem ſententia, retundi poſſet protervia hæreticorum, qui, ut ſedem Apoſtolicam infamare ac denigrare poſſint, his pravis quorumdam Pontificum Romanorum exemplis utuntur, indeque occaſionem, & materiam captant, Eccleſiæ Romanæ inſultandi.

M. Quod *Baronius* vitia, & pravos mores, quorumdam Romanorum Pontificum, qui decimo Eccleſiæ ſæculo Sedem Romanam occuparunt, aut invaſerunt, non diſſimulaverit, non venali, ſed ſincero calamo deſcripſerit, culpari minime debet, cum in hoc partes impleverit optimi hiſtorici, quem a palpandi aſſentandique ſtudio penitus alienum, ſoliq ue veritati litare, non ſuis affectibus indulgere oportet, ut hoc pacto præjudiciis omnino vacuus, in deſcribenda Hiſtoria *ne quid falſi dicere audeant, ne quid veri dicere non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*, ut ait *Cicero l. 2. de Oratore*. Ultro itaque cum Card. Baronio fateri debemus, nonnullos, proh dolor! extitiſſe decimo Eccleſiæ ſæculo Romanos Pontifices (neque enim id ullo pacto diſſimulare licet) a quibus magnam labem paſſa eſt Sedes Romana, eorumque pravis moribus ita infuſcata fuit, ut actum penitus fuiſſet de illa ſanctiſſima Sede, ſi monſtris violati atterive potuiſſet. Tot malorum, quibus Sedes Romana decimo Eccleſiæ ſæculo fuit afflicta, duplex poteſt afferri cauſa. Prima originem habuit ex impotenti ambitione *Adelberti* Tuſciæ Marchionis, & peſſimæ ejus concubinæ *Theodoræ* nobilis Romanæ fœminæ, ſenatoriaque ortæ propagine, quæ cum eſſet excellenti pulchritudine prædita, ingenioque verſutiſſima, *Romanæ Civitatis Monarchiam*, teſte Bronio, *obtinebat*, duaſque filias habuit *Maroziam*, & *Theodoram*, quæ matrem ambitione & libidine ſuperarunt, quarumve meretricium Imperium, ut ait idem Baronius, tantum invaluit, ut pro arbitrio legitime creatos Pontifices dimoverent, & violentos ac nefarios homines intruderent. Alia horumce malorum cauſa profecta eſt ex ſciſſione Imperii Romani, ad quod modo hi, modo illi ferro & ſanguine, aliiſque malis artibus viam ſibi ſternebant, atque, ut Pontificem ſibi faventem haberent, mancipium ſuum promovere & intrudere certatim connitebantur. Hos inter præcipue fuit *Albertus*, *Maroziæ* ex *Adelberto* Tuſciæ Marchione filius, qui Romæ tyrannice dominabatur, & nunc iſtos Pontifices carcere & inedia, atque etiam ferro e medio impune tollebat, nunc illos contra omnes armis intrepide tuebatur. (*a*) Hinc non mirum, ſi in his acerbiſſimis temporibus, nonnulli ambitioſi homines per vim paſſim, per cædes & crimina ad ſanctam Sedem ſibi gradum fecerint, & improbi Pontifices fuerint. Perperam tamen noſtrorum temporum heterodoxi his prævіis quorumdam Romanorum Pontificum abutuntur exemplis, ut inſultent Eccleſiæ Romanæ, ejuſque incorruptam veritatem, & unitatem oppugnent. At enim ut verbis utar S. Auguſtini capite XVI. libri *de unico Baptiſmo* contra Donatiſtas: Qualeſcumque fuerint Pontifices illi, *quibus objiciunt pro ſua diſſenſione quod volunt, non præjudicat Eccleſiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffuſæ; nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur*. Et ſane, non ex perſonis fidem, ſed ex fide perſonas judicare debemus. Unde, ſicut damnarentur merito illi, qui Apoſtolicam dignitatem contemnerent, atque contemnendam docerent, quod *Judas*, qui fuit nequiſſimus proditor, ad illam fuerit provectus, ita noſtrorum temporum hæretici diris devoveri debent dum Pontificiam dignitatem, Romanam Eccleſiam, & Primatum jure Divino Pontifici Romano aſſertum aſpernantur, ac totis ſuis viribus impugnant, etſi Romanos quoſdam Pontifices a virtute & pietate majorum ſuorum degeneraſſe, negari haud poſſit. Addo denique cum Baronio, magno Dei miraculo, & peculiari erga Sedem Petri providentiæ cura factum eſſe, ut cum tot ac tanta urgerent

gerent

gerent ſæculo decimo malam, nemo tamen inventus ſit, qui ea de cauſa ſe ab ipſa Romana Eccleſia, facto ſchiſmate, abſciderit, nemo, qui ſanam ejus doctrinam aliqua hæreſi contaminaverit, ſed omnes ubique gentium Chriſtiani ejuſdem fidei vinculo, & obedientiæ nexu juncti Sedi AQpoſtolicæ indivulſe perſtiterint.

,, (*a*) Adalbertus inclitus Tuſciæ Comes nunquam
,, ſe rebus hiſce immiſcuit. Qui enim ex Maro-
,, zia celebri ſcorto Romana genitus ſuit, non A-
,, dalbertus, ſed Albericus Marchio appellatur.
,, Ex Luitprando quidem error natus, cujus in
,, textu l. 2. c. 13. edito hæc leguntur. *Ex Alberto*
,, *Marchione* (Marozia) *Albericum genuit*; ſed
,, mendum ibi cubare ex iis, quæ inferius apud
,, eundem Hiſtoricum leguntur, ſatis conſtat;
,, ſcribitur enim: *Marozia ex Alberico Marchione ha-*
,, *buit Albericum, qui poſt ejuſdem Urbis* (Romæ)
,, *habuit principatum*. Errorem hunc detexit Mu-
,, ratorius Annal. Italic. tom. 5. pag. 282.

D. Vanus profecto eſt, ut video, planeque futilis triumphus, quem agunt Lutherani, & Calviniſtæ, dum ejuſmodi Pontificum recenſent hiſtoriam, indeque anſam & occaſionem inſulſe & inepte arripiunt in Eccleſiam Romanam inſultandi. Spretis itaque eorum frigidis in Eccleſiam Romanam dicteriis, te hic breviter attexere non pigeat ſeriem Pontificum, qui ſæculo Eccleſiæ decimo Sedem Romanam tenuerunt, eorumque mores, ut hiſtoricum veritatis cultorem decet, accurate ac ſincere deſcribere.

M. Mortuo *Joanne IX.* Romano Pontifice anno nongenteſimo, ut jam obſervavimus in Colloquio ſecundo in hiſtoriam ſæculi noni Eccleſiæ, delectus eſt eodem anno Pontifex Maximus *Benedictus* IV. quem die triceſima menſis Auguſti anni nongenteſimi Eccleſiam Romanam jam regere cæpiſſe evincitur ex duabus ejus Epiſtolis, quarum prior, directa eſt ad Galliarum Epiſcopos ac Principes. Altera data eſt ad Clerum, & populum Lingonenſem. Duæ ſiquidem illæ *Benedicti IV.* Epiſtolæ inſcriptæ ſunt *Secundo Kalend. Septembris, anno Domini Benedicti Papæ primo*, & extant Tomo XI. Conc. In priori Epiſtola *Benedictus* IV. reſtituit *Argrinum* Lingonenſem Epiſcopum in omnia Eccleſiæ ſuæ jura, & quod a *Joanne IX.* ſuo deceſſore in gratiam *Argrini* jam ſtatutum fuerat, Apoſtolica auctoritate confirmat. *Ludovicum* III. coronavit Imperatorem *Benedictus IV.* & inter alios horumce temporum Romanos Pontifices tanquam ſidus quoddam emicuit, ut videre eſt apud *Flodoardum* in Fragmento *de Pontificibus Romanis*, ubi de Benedicto IV. Pontifice Maximo hæc habet.

Prætulit hic generale bonum lucro ſpeciali.
Deſpectas viduas, inopes vacuoſque patronis,
Aſſidua ut natos proprios bonitate fovebat.

Eccleſiam Romanam *Benedictus IV.* rexit annos tres, & menſes duos, ſicut legitur in catalogis Romanorum Pontificum ſeptimo & octavo, quos una cum aliis Catalogis præfixit Pagius fronti Tomi primi ſuæ Criticæ in Baronium. Migravit ad Deum ſummus iſte Pontifex initio circiter menſis Octobris anni nongenteſimi tertii, ut invicte demonſtrat idem *Pagius* ad hunc annum contra Baronium, qui *Benedicti IV.* Papæ obitum in annum nongenteſimum ſeptimum differt. Poſt unum aut alterum diem ab obitu *Benedicti IV.* Pontificatum adeptus eſt *Leo* hujus nominis v. patria Adreatinus, qui cum ſediſſet menſem unum, & dies XXVI. vel XXVII. uti legitur in nonnullis Catalogis, conjectus eſt in vincula a *Chriſtophoro* Presbytero ejus familiari, qui, ut refert *Platina*, in l. *de vitis Pontificum*, ſedem Romanam invaſit. Aſt *Chriſtophorus* ſedis Apoſtolicæ invaſor, cujus Diploma in confirmationem Privilegiorum Abbatiæ Corbejenſis in Diœceſi Ambianenſi ſitæ legitur Tomo VI. Spicilegii Dacheriani, poſtquam ſediſſet ſeptem circiter menſes, a ſede per vim deturbatus, & habitum Monaſticum induere coactus eſt a *Sergio* hujus nominis III. qui factione & armis *Adelberti* Tuſciæ Marchionis in Sedem Romanam intruſus eſt: Qualis autem fuerit iſte *Sergius* III. diſce non meis, ſed ipſiſſimis verbis Cardinalis Baronii, qui de illo ad annum nongenteſimum octavum Num. V. ſic loquitur; *Cujus*, ideſt Sergii tertii, *præter vim tyrannicam, in Pontificatu invadendo, ab Auctoribus ejus ſeculi proditam, turpitudo quoque vitæ ab eiſdem tradita poſteris, magna infamiæ nota eſt reddita manifeſta. Luitprandus enim* (l. 2. c. 13.) *obſcæna iſta nota reliquit his verbis: Theodora, ſcortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, Avia* (*quod dictu etiam nefandiſſimum eſt*) *Romanæ Civitatis Monarchiam non inviriliter obtinebat, quæ duas habuit natas, Maroziam, atque Theodoram ſibi non ſolum æquales, ſed etiam Veneris exortivo promptiores. Harum una Marozia ex Papa Sergio, cujus ſupra fecimus mentionem, Joannem, qui poſt Joannis Ravennatis obitum, Romanæ Eccleſiæ obtinuis dignitatem* (dictus Joannes undecimus) *nefario genuit adulterio*. Idem de *Sergio* III. Papa habet *Spondanus* in Epitome Baronii ad annum nongenteſimum octavum. Quin, & *Auxilius* ſcriptor coævus in duobus libris, quos edidit *de Ordinationibus Formoſi Papæ*, dolenter deplorat, quod *Sergius* III. in corpus *Formoſi* Papæ crudeliter deſævierit, omneſque Ordinationes ab illo factas, & in Concilio Romæ ſub *Joanne* IX. celebrato approbatas, nullas & irritas declaraverit & alia quam plurima, quæ in hac Synodo conſtituta fuerant, reſciderit. Verum, vita hujuſce Pontificis *Sergii* III. quem *Spondanus* poſt Baronium appellat loco mox a me laudato *facinoroſiſſimum*, non impedivit, quominus Sedem Apoſtolicam reveriti ſint omnes id ætatis fideles. Ab hoc ſi quidem *Sergio* Romano Pontifice Colonienſis Archiepiſcopus, & *Rogerus* Hamaburgenſis Pallium, ea, qua par erat, veneratione petierunt, & obtinuerunt, ut refert *Crantzius* l. 2. Hiſt. Eccleſ. Saxonum c. 24. & l. 3. c. 1. *Bremenſem* etiam Eccleſiam idem *Sergius* III. a poteſtate & juriſdictione Archiepiſcopi Colonienſis exemit, cui in Concilio Tribarienſi auctoritate *Formoſi* Papæ addicta fuerat, ſicut teſtatur *Adam* Canonicus Bremenſis l. 1. c. 24. Obiit *Sergius* III. anno nongenteſimo undecimo, juxta accuratiorem calculum *Pagii*, non vero anno nongenteſimo decimo, ut viſum eſt *Baronio*, ſeditque annos ſeptem & menſes tres, uti in Chronicis *Hermanni Contracti*, *Martini Poloni*, & in pleriſque Romanorum Pontificum Catalo-

gis.

Digitized by Google

legitur, qui tamen quoad dies inter ſe minime conſentiunt. *Hermannus Contractus* habet dies XXIII. ſicut & nonnulli Catalogi. In quibuſdam vero Catalogis, & in Chronico *Martini Poloni* habentur tantum dies XVI. *Anaſtaſius* hujus nominis III. patria Romanus *Luciani* filius, eodem an. nongenteſimo undecimo ſubrogatus eſt *Sergio* III. poſt unum aut alterum vacationis Sedis diem; ſeditque annos dumtaxat duos, & totidem menſes, ut teſtatur *Marianus Scotus*, *Hermannus Contractus*, ex editione Caniſiana, & omnes ferme Romanorum Pontificum Catalogi, ac ſubinde exceſſit e vivis anno nongenteſimo decimo tertio. *Anaſtaſius* III. Papa fato functus locum dedit *Landoni* patria Sabino, *Trani* filio, qui ſtatim ac fuit ad Pontificatum evectus, in gratiam *Theodoræ*, quæ tum Romæ imperitabat, *Joannem*, quem ceu Amaſium ſuum, illa deperibat, ex Presbytero factum Epiſcopum Bononienſem tranſtulit ad Infulas Ravennæ. Sed *Landonis* breviſſimus fuit Pontificatus. Aſſerit quippe *Flodoardus* in carmine *De Pontificibus Romanis*, *Londonem* Romanum Pontificem ſediſſe tantum menſes ſex & dies decem. Quapropter, cum circa diem decimum ſextum Octobris anni nongenteſimi decimi tertii Pontifex Romanus fuerit renunciatus, obiit circa diem vigeſimum ſextum menſis Aprilis anni nongenteſimi decimi quarti. Mortuo *Landone* Romano Pontifice, *Joannes*, quem, ut mox dixi, *Theodora*, nobile ſcortum, ad Ravennæ Epiſcopatum promoveri curaverat, ejuſdem meretricis artibus & potentia in Sedem Pontificiam intruſus eſt, ut ſcribit *Luitprandus* Auctor coætaneus l. 2. c. 13. dictuſque in Pontificatu *Joannes X.* Hic tamen Pontifex, teſte *Sigonio* l. VI. Hiſt. *De Regno Italiæ*, non iiſdem artibus, quibus irrepſit in Pontificatum, etiam geſſit, ſed potius a clero probatus illum bene adminiſtravit, & Eccleſiæ, atque Italiæ utilis fuit. Saracenos ſiquidem, qui Garilianum montem in Latio vicinum Romæ incolere cœperant anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, & inde per annos quadraginta Romam variis modis afflixerant, *Joannes* X. Græcorum Imperatoris copiis adjutus ex illa munitione anno nongenteſimo decimo ſexto deturbavit, ac tanta clade debellavit, ut ne vel unus ſuperfuerit certamini, & capti omnes aut trucidati fuerint, ſicut narrat *Luitprandus* l. 2. c. 14. Eodem anno Joannes X. *Berengarium* Italiæ Regem inunxit, coronavitque Imperatorem. Legatos *Theophylactum*, & *Carolum Epiſcopos* miſit Conſtantinopolim ad redintegrandam illius Eccleſiæ cum Romana pacem, quæ turbata fuerat occaſione quartarum *Leonis* Imperatoris nuptiarum, quas Græci quidem, *Nicolao Myſtico* Patriarcha Conſtantinopolitano Duce, velut fornicationem damnaverant, Legati vero Sedis Apoſtolicæ licitas ſecundum ſe propugnaverant, eaſque œconomiæ cauſa permittendas. Ortam etiam inter *Hilduinum*, & *Richarium* de Epiſcopatu Tungrenſi controverſiam diremit idem Pontifex, & Epiſcopatum Tungrenſem abjudicavit *Richario*, quem Romæ Epiſcopum ordinavit. Sed merito culpatur, quod *Hugonem*, puerum quinquennem, Archiepiſcopum Remenſem confirmaverit, quamvis fuiſſet electus malis artibus patris ſui *Heriberti* Aquitani Comitis, qui *Seulphonem* Archipræſulem Remenſem veneno per ſuos miniſtros propinato ſuſtulerat, & inclinatis ad ſuam voluntatem Clericorum, plebiſque animis ac ſuffragiis, hunc filium ſuum *Hugonem* adhuc puerulum contra Canones eligi curaverat, ſicut refert *Flodoardus* l. IV. Eccleſiæ Remenſis c. 20. Hinc, permittente Deo, *Joannes* X. Romanus Pontifex anno nongenteſimo viceſimo octavo dignitate Pontificia depoſitus eſt a *Widone* Tuſciæ Marchione, impulſu conjugis *Maroziæ* impudentis fœminæ, & anno ſequenti nongenteſimo viceſimo nono, *vel vi, vel actus angore defunctus eſt*, ut ait idem *Flodoardus* ad hunc annum. Multi ſcriptores tradunt, *Joannem* X. cervicali ſuper os ejus injecto, crudeliter fuiſſe ſuffocatum, Pontificem aliunde, teſte *Rubeo* l. 5. Hiſtoriæ Ravenn. *five ſacroſanctam ſummæ dignitatis majeſtatem, vel ejus præclare Acta omni Italiæ hoc tempore admodum ſalutifera ſpectemus, hoc nequaquam exitu dignum*, juſto tamen Dei vindicis judicio, quem impudentis fœminæ Theodoræ ſtudium extulerat, odium alterius non minus impudentis fœminæ, *Maroziæ* ſcilicet filiæ *Theodoræ*, ſuſtulit. Sedit Joannes X. non annos ſexdecim, ſicut ei aſſignat *Baronius*, ſed annos quatuordecim, paucos menſes & dies aliquot, ſicut legitur in *Flodoardo*, in *Hermanno Contracto*, *Mariano Scoto*, & in omnibus fere Catalogis. *Marianus Scotus*, & *Honorius* Auguſtodunenſis ſupra annos quatuordecim addunt menſes duos, & dies tres, quod etiam in pleriſque Catalogis legitur. Cum igitur *Joannes* X. anno nongenteſimo decimo quarto, circa diem viceſimum ſeptimum Aprilis ordinatus fuerit Pontifex Romanus, ſequitur, eum a Sede Pontificia fuiſſe dejectum circa diem viceſimum nonum menſis Junii anni nongenteſimi viceſimi octavi. In locum depoſiti *Joannis* X. ſuffectus eſt *Leo* hujus nominis VI. quem *Onuphrius*, *Baronius*, & *Papebrochius* ajunt fuiſſe *Chriſtophori* Primicerii filium, quod tamen in dubium revocat *Antonius Pagius* in ſua Critica ad annum nongenteſimum vigeſimum octavum. Hic Pontifex æmulorum factione oppreſſus & in carcerem truſus diem ſupremum obiit anno nongenteſimo viceſimo nono, poſtquam menſes ſeptem & dies quinque, non vero menſes ſex & dies quindecim, ut habet Baronius, Eccleſiam Romanam tenuiſſet; *Flodardus* enim in libello *De Pontificibus Romanis*, poſtquam de *Joanne* X. locutus eſt, hæc de *Leone* VI. ſubdit.

Pro quo celſa Petri ſextus Leo regimina ſumens.
Menſibus hæc ſeptem ſervans quiniſque diebus;
Prædeceſſorumque petis conſortia Vatum.

cum itaque *Leo* VI. ex hac vita migraſſet circa diem tertium menſis Februarii anni nongenteſimi vigeſimi noni (*a*), *Stephanus* VIII. quem alii dicunt VII. ei in Sede Pontificia ſucceſſit, qui, poſtquam ſediſſet annos duos, menſem unum & dies duodecim, ſicut legitur in *Flodoardo*, *Honorio* Auguſtodunenſi, *Martino Polono*, & in variis Catalogis, finem vivendi fecit anno nongenteſimo triceſimo primo, & in ejus locum ſubrogatus eſt

Joan-

Joannes XI. qui potentia *Widonis* Tuſciæ Marchionis, & *Maroziæ* matris, quæ illum (teſte *Luitprando* l. 3. c. 12.) ex *Sergio III.* meretricio concubitu genuerat, Pontifex Romanus conſtitutus eſt circa diem quintum menſis Martii anni nongenteſimi trigeſimi primi, cum ætatis ſuæ annum triceſimum quintum vix attigiſſet. Hic Pontifex nunquam fuit ſui juris, ſed partim fuit in poteſtate matris ſuæ *Maroziæ*, partim in cuſtodia *Alberici* fratris ſui, qui Patricius erat, & Romæ tum temporis dominabatur; partim in arbitrio *Hugonis* Italiæ Regis Vitrici ſui. Mortuo ſiquidem *Widone* Tuſciæ Marchione Senioris Alberti filio, cui *Marozia* juniorem *Albericum* genuerat, ad alias ſtatim nuptias convolavit ſalaciſſima illa mulier, quas inivit cum *Hugone* Italiæ Rege, & *Widonis* demortui mariti ſui uterino fratre, cui dotem inceſtus dominium Romanæ urbis attulit. At cum novo Vitrico, *Hugoni* videlicet Italiæ Regi, aquam minus commode infudiſſet *Albericus* junior filius *Maroziæ*, impactæ ſibi ab eo alapæ contumelia provocatus, *Hugonem* Vitricum ſuum Roma expulit, *Joannem* XI. fratrem ſuum *ſub cuſtodia detinuit, matrem quoque ſuam Maroziam clauſam ſervans, & Romam contra Hugonem Regem tenens*, inquit *Flodoardus* ad annum nongenteſimum triceſimum tertium. Sic *Joannes XI.* in carcere a fratre detentus obiit initio menſis Januarii anni nongenteſimi triceſimi ſexti poſtquam Romanam rexiſſet Eccleſiam annos quatuor & menſes decem, ut habent omnes fere Catalogi. Mortuo *Joanni* XI. ſucceſſit *Leo* hujus nominis VII. Pontifex bonus ac pius, atque ſedatioribus temporibus dignior. Quanto enim in rem Monaſticam ferveret ſtudio Romanus iſte Pontifex, quantumque doloris ex miſerabili Eccleſiæ ſtatu conceperit, atque pro collata ſibi a Deo poteſtate graſſantibus undique malis ſtrenue mederi connixus fuerit, ſatis ſuperque probant ejus litteræ, quas doctiſſimus *Mabillonius* recitat ſæculo V. Benedictino pag. 907. Mortuus eſt *Leo* VII. circa diem decimum octavum menſis Julii anni nongenteſimi triceſimi noni, cum ſediſſet annos tres, menſes ſex, dies decem, ſicut teſtantur *Honorius* Auguſtodunenſis, *Martinus Polonus*, & *Platina* in vitis Pontificum, quibus ſuffragantur multi Catalogi. *Flodoardus*, qui libellum ſuum de Romanis Pontificibus in *Leone* VII. abſolvit, hęc de illo habet.

Septimus exurgit Leo, nec tamen iſta voluntas,
Nec curans apices mundi, nec celſa requirens:
Sola Dei quæ ſunt, alacri ſub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata ſubire renutans.
Raptus at erigitur, dignuſque nitore probatur
Regiminis eximii, Petrique in Sede locatur.
Sed minime adſuetam linquit decoramine curam,
Deditus aſſiduis precibus, ſpeculamine celſus,
Affatu lætus, ſapiens, atque ore ſerenus.

In *Leonis* XII. demortui locum ſubſtitutus eſt die XVIII. menſis Julii anni nongenteſimi triceſimi noni *Stephanus* IX. quem alii appellant VIII. natione Germanus, a quo *Petrus* Archiepiſcopus Ravennas jurium ſuorum confirmationem obtinuit, ut refert *Rubeus* l. 5. Hiſt. Ravenn. Hic Pontifex a factione *Alberici* Romæ tyranni, cui inviſus erat, captus, & tota facie a ſacrilegis illius factionis hominibus ſic compunctus, laceratus ac deformatus eſt, ut deinceps, ob ſibi inhoneſta inflicta vulnera prodire in publicum non poſſet. (*b*). Non deſtitit tamen Eccleſiaſtica tractare negotia, & componere diſſidia quæ inter Chriſtianos Principes identidem exoriebantur. Hinc, audita rebellione *Hugonis Magni*, *Heriberti* Comitis, & aliorum Galliæ procerum adverſus *Ludovicum IV.* dictum *Tranſmarinum*, Regem Chriſtianiſſimum, illico *Damaſum* Epiſcopum in Gallias Legatum miſit, fecitque, ut hi, qui contra prædictum *Ludovicum* Galliarum Regem rebellarant, aut eum necdum ſuſceperant, ad saniorem mentem, ſuumque officium redirent. Sedit *Stephanus* IX. annos tres, menſes quatuor, & dies quindecim, ut legitur in *Martino Polono*, & in multis Catalogis, obiitque ineunte circiter menſe Decembri anni nongenteſimi quadrageſimi ſecundi, ut *Sigebertus* in Chronico, & *Hermannus Contractus* tam ex editione Piſtoriana, quam Caniſiana recte annotarunt. *Stephano* IX. ſucceſſit *Marinus* hujus nominis II. patria Romanus, qui curandæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Templis reſtaurandis, & pauperum miſeriæ ſublevandæ totum ſe dedidit. Eum etiam Prophetiæ dono inſignem fuiſſe affirmat *Baronius*, eo quod in vita *S. Ulderici* legatur, *Marinum* prædixiſſe *S. Uldarico* futuram ejus ad Epiſcopatum Auguſtanum electionem. Sed doctiſſimus *Pagius* in ſua Critica ad annum nongenteſimum decimum, & ad annum nongenteſimum quadrageſimum tertium invictis momentis oſtendit nomen *Marini*, loco *Sergii* III. in acta *S. Uldarici* ab eorum ſcriptore fuiſſe intruſum. *Uldaricus* quippe, non *Marino*, ſed *Sergio* III. Eccleſiæ Romanæ Præſidente, Romam venit, eique *Sergius* III. futuram ejus ad Inſulas Auguſtanas electionem prædixit. Sedit *Marinus* annos tres, menſes ſex, & dies tredecim, ſupremumque diem obiit paulo ante medium menſem Junium anni nongenteſimi quadrageſimi ſexti. *Marino* demortuo ſubrogatus eſt *Agapetus* hujus nominis II. qui ſtatim ac rerum adminiſtrationem ſuſcepit, conatus eſt *Albericum*, qui Romanæ Urbis dominium ſibi arrogabat, cum *Hugone* Italiæ Rege in concordiam adducere. Sed quem exitum illa pacis tractatio habuerit, incertum omnino eſt. (*c*) Miſit idem Summus Pontifex *Pallium* ad *Brunonem* Archiepiſcopum Colonienſem, poteſtatem ei permittens illo utendi *quoties vellet*, ut teſtatur *Rotgerus* Monachus in ejuſdem *S. Brunonis* vita, quæ extat apud *Surium* ad diem XI. menſis Octobris. Sedente *Agapeto*, quædam celebrata ſunt Concilia, de quibus in Colloquio quarto commodius diſſeremus: obiit optimus ille Pontifex anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto, cum ſediſſet annos decem, & aliquor menſes. Mortuo *Agapeto* Romanam Sedem invaſit *Octavianus* vix natus annos duodeviginti, *Alberici* Romæ tyranni filius; accedente tamen Eccleſię conſenſu, ne ſchiſma fieret, tamquam verus, & legitimus Pontifex admiſſus eſt, dictuſque *Joannes* XII. Primus ille ex Romanis

Pon-

Digitized by Google

Pontificibus fuit, qui nomen mutaverit, teſte Baronio, qui etiam pravos mores, quibus hic Pontifex imbutus erar, deſcribit ad annum nongenteſimum ſexageſimum tertium. *Ottonem* hujus nominis I. Germaniæ Regem *Joannes* XII. Imperatorem inauguravit Romæ anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, ſed anno ſequenti ab eodem *Ottone* cum alienatus fuiſſet, & *Alberico* Romæ tyranno nimium faveret, Romam venit Otto cum exercitu, & fuga elapſo *Joanne* XII. ſuſceptus eſt Imperator a Populo Romano, qui ei imprudentiſſime juramento promiſit, ſe electurum Pontificem nullum niſi ex conſenſu Imperatoris. Triduo poſt ingreſſum Imperatoris congregata eſt in Baſilica S. Petri Synodus ex pleriſque Romanæ Diœceſeos, & Italiæ Epiſcopis, cum quibus ſedit ipſemet *Otto* Imperator. In eo Conciliabulo *Joannes* XII. Papa atrocium Criminum inſimulatus, ſacrilegii videlicet, homicidii, perjurii, & aliorum id genus, depoſitus eſt, ejuſque loco in Sede Petri collocatus *Leo* hujus nominis VIII. qui fuit Antipapa, eo quod exauctoratio *Joannis* XII. ab *Ottone* Imperatore, & pſeudo Synodo Romana tentata, nulla, irrita & prorſus illegitima fuit, ſicut *Baronius* ad annum nongenteſimum ſexageſimum tertium Num. XXXI. & ſeq. nec non Illuſtriſſimus *Petrus de Marca* Archipræſul Pariſienſis l. I. *de concordia Sacerdotii*, *& Imperii* c. XI. pluribus momentis demonſtrant. Interim, *Leo* VIII. Antipapa Roma, tanquam Sedis Apoſtolicæ invaſor poſt duos menſes pulſus eſt, & ſedi ſuæ reſtitutus *Joannes* XII. qui ſtatim *Joannem Diaconum*, *& Azonem ſcrinarium crudeliter detruncavit*, ut ſcribit continuator *Reginonis*, habuitque Synodum anno nongenteſimo ſexageſimo quarto, in qua damnati ſunt *Leo* Antipapa, & Epiſcopi, qui illum ordinaverant, omnique honore privati hi, qui ab iſto Antipapa fuerant ad ſacros ordines promoti. Poſt celebratam hanc Synodum *Joannes* XII. (ſi fides adhibenda eſt *Luitprando*) dum extra urbem eodem anno nongenteſimo ſexageſimo quarto cum uxore cujuſdam civis Romani volutaretur, in temporibus a malo genio graviter perculſus eſt, & ex ea plaga intra octiduum obiit die XXV. menſis Maji, poſtquam ſediſſet annos ſeptem & aliquot menſes. Verum, cum certiſſime conſtet, *Luitprandum*, qui fuit Epiſcopus Cremonenſis, *Ottoni* Imperatori, & *Leoni* VIII. Antipapæ fuiſſe addictiſſimum, non immerito in dubium revocari debent plurima, quæ de *Joanne* XII. & de infauſto iſtius obitu memorat. Sublato e vivis *Joanne* XII. Romani non modice metuentes *Ottonis* Imperatoris adventum, *Benedictum* Romanæ Eccleſiæ Diaconum elegerunt Pontificem Romanum, qui dictus eſt *Benedictus* V. cujus electionem cum audiſſet *Otto* Imperator, Romam abſque mora ſe contulit, ut de Romanis, qui Sacramentum ei præſtitum de non creando, abſque ipſius conſenſu, Pontifice, violaverant, ultionem ſumeret. Reſiſtere aliquandiu Romani, ſed tandem fame, & obſidione conſtricti ceſſerunt poteſtati Imperatoris, qui urbe potitus *Leonem VIII.* Antipapam in Sedem S. Petri denuo intruſit, & *Benedictum V.* legitimum Pontificem cepit, depoſuit, perpetuoque exilio in Germaniam mandavit, ubi Sanctus ille Pontifex in pace quievit Hamburgi anno nongenteſimo ſexageſimo quinto, ejuſque oſſa poſtea juſſu Imperatoris Hamburgo Romam religioſe tranſlata ſunt. *Leo* itaque VIII. Antipapa, & Sedi Apoſtolicæ tanquam lupus incubans, Pſeudo-Synodum convocavit, in qua, præter nonnulla quæ ſtatuit ad ſtabiliendam auctoritatem ſuam, fertur inſuper ab ipſo editam fuiſſe Conſtitutionem, qua *Ottoni* Imperatori, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit in perpetuum facultatem eligendi Romanum Pontificem, & *Inveſtituras*, ut ajunt, Epiſcopis tribuendi. Hanc *Leonis* VIII. Antipapæ Conſtitutionem *Golſtadus* tomo I. *Conſt. Imper.* p. 29. & ſeqq. ex *Gratiano* diſt. 63. c. 23. refert, pluribuſque defendit. Immo, Illuſtriſſimus *Petrus de Marca* l. 8. *De Concordia Sacerdotii*, *& Imperii* eamdem Conſtitutionem a *Leone* VIII. Antipapa revera datam fuiſſe pertendit. Verum, conjecturis utriuſque laudati Scriptoris longe præferenda eſt ſententia doctiſſimi Cardinalis *Baronii*, qui in ſuis Annalibus evincit multis ac ſolidis argumenris (quibus non reſpondet *Petrus de Marca*) falſam ac plane ſuppoſititiam eſſe, hanc quæ *Leoni* VIII. Pſeudo-Pontifici attribuitur, Conſtitutionem. Mortuus eſt *Leo* VIII. Antipapa eodem anno, quo *Benedictus* V. legitimus Pontifex, hoc eſt, anno nongenteſimo ſexageſimo quinto, & quamvis non fuerit verus & legitimus Papa, dicendus eſt tamen *Leo* ordine VIII. ut antiqui & ſequentes ejuſdem nominis Pontifices nos dubitare non ſinunt. Mortuo *Leone* VIII. Antipapa, & *Benedicto* V. vero Pontifice pariter defuncto, *Joannes* XII. patria Romanus, & Epiſcopus Narnienſis conſecratus eſt Pontifex Romanus die I. menſis Octobris anni nongenteſimi ſexageſimi quinti. *Ottonem* juniorem Magni Ottonis filium Germaniæ Regem Romæ coronavit Imperatorem *Joannes* XIII. eoque ſedente, Poloni ad fidem Chriſti converſi ſunt. Sedit annos ſex, menſes undecim, & dies quinque, ut paſſim in Catalogis habetur, obiitque VIII. Idus Septembris anni nongenteſimi ſeptuageſimi ſecundi. Optime doctiſſimus *Pagius* in ſua Critica ad ann. 972. & 974. obſervat, Cardinalem *Baronium*, & ante eum *Onuphrium* in Chronico Eccleſiaſtico ordinem Romanorum Pontificum immutaſſe, dum poſt *Joannem* XIII. collocant *Donum*, *Benedictum* VI. & poſtea Antipapam *Bonifacium* VII. cum tamen *Sigebertus* in Chronico, & antiquiores Romanorum Pontificum Catalogi poſt *Joannem* XIII. exhibeanr *Benedictum* VI. Quapropter, ad reſtituendam Chronotaxim Pontificiam, poſt Joannem decimum tertium locandus eſt *Benedictus* VI. qui poſt Interpontificium trium circiter menſium ab obitu *Joannis XIII.* electus eſt Pontifex Romanus ſub finem menſis Decembris anni nongenteſimi ſeptuageſimi ſecundi. Sed, cum ſediſſet annum unum, & menſes tres, uti teſtantur *Onuphrius*, & *Baronius*, a *Francone*, Cardinali nequiſſimo, in carcerem detruſus, & crudeliter ſtrangulatus eſt anno nongenteſimo ſeptuageſimo quarto. Poſt ejus necem idem *Franco* parricida Sedem Romanam invaſit, eamque teſte *Hermanno Contracto*, per menſem unum tenuit, dictus *Bonifacius* VII. Verum, eo Antipapa a Factione Comitum Tuſculanorum, qui illum æquo ani-

Digitized by Google

animo ferre haud poterant, Roma expulſo, Sedem Romanam obtinuit *Donus*, hujus nominis II. patria Romanus, uti narrant *Marianus Scotus*, *Sigebertus*, & Authores veterum Catalogorum. Sed quo menſe, quove die ordinatus, vel Pontifex Romanus renunciatus fuerit, ſciri non poteſt, quia antiqua monumenta deficiunt, & valde per hæc tempora confuſæ ac perturbatæ ſunt Hiſtoria & Chronotaxis Romanorum Pontificum. Hoc unum apud omnes conſtat, breviſſimum fuiſſe *Doni* Pontificatum. Obiit quippe anno nongenteſimo ſeptuageſimo quinto. Interjecto poſt illius mortem Interpontificio duorum circiter menſium, *Benedictus* hujus nominis VII. ad Solium Pontificium ſublimatus eſt ante diem viceſimum quintum menſis Martii ejuſdem anni, ſicut ex Diplomatibus ab iſto Summo Pontifice datis evincit Cl. *Pagius* ad annum 937. Synodum Romæ celebravit *Benedictus* VII. in qua *Bonifacium* VII. Antipapam excommunicationis ſententia perculit, ut compertum habemus ex epiſtola *Adalberonis* Archiepiſcopi Remenſis, & *Stephani* Romani Diaconi ad *Theobaldum* Ambianenſem Epiſcopum, quæ a *Sirmondo* edita eſt tom. 3. Concil. Galliæ. Ejuſdem etiam Synodi meminit *Gerbertus*, Remenſis Archiepiſcopatus invaſor, in Actis Remenſis Synodi, ubi hæc habet: *Succedit Romæ in Pontificatum horrendum monſtrum* (nempe Benedicto VII.) *maleficius* (ſic *Bonifacium VIII.* Antipapam appellat) *cunctos mortales nequitia ſuperans, & jam prioris Pontificis ſanguine cruentus. Sed etiam hic fugatus, & in magna Synodo damnatus eſt.* Eccleſiam Romanam rexit *Benedicto VII.* annos novem & aliquor menſes, obiitque die x. menſis Julii anni nongenteſimi octogeſimi quarti, ut conſtat ex ejus Epitaphio, quod etiamnum Romæ legitur in lapide corroſo inſcriptum in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem. *Benedictus* VII. ſucceſſit *Petrus* Epiſcopus Oſtienſis *Ottonis II.* Imperatoris Archicancellarius, qui in Pontificatu appellatus eſt *Joannes XIV.* Hunc Pontificem *Bonifacius VII.* Antipapa, qui, ut mox diximus, Roma expulſus, expilata Vaticana Baſilica Conſtantinopolim fugerat, Romam poſtea reverſus in Caſtrum S. Angeli incluſit, ubi eum per ſummam immanitatem fame aut veneno necavit anno nongenteſimo octogeſimo quinto. Denuo itaque *Bonifacius VII.* nefarius Antipapa Sedem Apoſtolicam invaſit, ſed repentina morte, Deo vindice, ſublatus eſt eodem anno. *Baronius*, & alii eum ſecuti affirmant, in *Joannis XIV.* locum immediate ſubrogatum eſſe *Joannem XV.* patria Romanum. At, Cl. *Pagius* probat ex *Mariano Scoto*, *Gotfrido Viterbienſi*, & ex variis Romanorum Pontificum Catalogis, poſt obitum *Joannis XIV.* alium quemdam *Joannem* filium *Roberti* diſtinctum a *Joanne XV.* per quatuor menſes Sedem Apoſtolicam occupaſſe, & mortuum eſſe anno nongenteſimo octogeſimo quinto. Verum, *Joannes* iſte *Roberti* filius, etſi poſt obitum *Joannis XIV.* per quatuor menſes Pontificatum geſſerit, appellari tamen non debet *Joannes XV.* tum quia, ut ait *Papebrochius* in *Conatu Chronico-Hiſtorico*, electus tantum fuit Pontifex Romanus, ſed non ordinatus; tum quia etiam, ut probabilius cenſet *Pagius*, iſte *Joannes* filius *Roberti* non fuit verus & legitimus Pontifex, ac ſubinde in ſerie Romanorum Pontificum, ne turbetur Chronologia Pontificia, omnino prætermittendus. Juxta igitur Chronologiam Pontificiam, poſt *Joannem XIV.* ſequitur *Joannes XV.* patria Romanus, qui menſe Decembri anni nongenteſimi octogeſimi quinti ordinatus eſt Pontifex Maximus. Ut pacem *Ethelredum* Angliæ Regem inter & *Richardum* Normannorum Ducem conciliaret *Joannes XV.* miſit ad illos Legatum *Leonem* Choropiſcopum Trevirenſem, qui eos in concordiam revocavit, teſte *Willelmo* Malmesburienſi lib. 2. *de geſtis Regum Angliæ* cap. 10. Legatum etiam miſit in Gallias pro cauſa *Arnulphi* Remenſis Archiepiſcopi, & Epiſcopos, qui prædictum *Arnulphum* ſede depoſuerant, ſacris interdixit; authoritate Apoſtolicæ Sedis eum in priſtinum gradum reſtituit, atque *Gerbertum*, qui in Sedem Remenſem intruſus fuerat, dejecit. Obiit *Joannes* XV. anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, cum undecimum Pontificatus annum inchoaſſet, ſicut *Marianus Scotus*, *Martinus Polonus*, & Author Catalogorum Pontificum Romanorum unanimi conſenſu docent. Poſt obitum Joannis XV. *Bruno*, quem alii ab *Ottone Magno* Imperatore, alii a *Liudgarda* magni Ottonis filia *Conrado* Lothatingiæ & Wormatiæ Duci nupta originem ducere dicunt, conſecratus eſt Pontifex Romanus, dictuſque *Gregorius* V. Contra hunc legitimum Pontificem *Creſcentius*, qui Romæ tyrannidem exercebat, creavit Antipapam *Joannem* Placentinum Epiſcopum, quem *Otto* Imperator, cum exercitu Romam veniens, Pontificis *Gregorii* V. ulturus injuriam, erutis oculis, auribus, naribuſque mutilatum aſello ad ludibrium impoſuit, facie ad caudam animalis verſa, & per Urbem circumduci juſſit. Præterea, *Creſcentium* tyrannum ultimo affecit ſupplicio, hoc pacto Antipapa ſublato, *Gregorius* V. pacifice ſedit, & *Ottonem* III. Imperatorem, *Mariamque* Auguſtam ejus conjugem ſolemni ritu coronavit. Fuit æquiſſimus Pontifex & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus. Placentinam Eccleſiam, quam *Joannes* XV. e Ravennatis Archiepiſcopi juriſdictione exemerat, & in gratiam *Joannis* Placentini Epiſcopi in Metropolim erexerat, eidem Ravennati Archiepiſcopo de injuſtitia ſibi illata conquerenti reſtituit, ejuſque juriſdictioni ſubjecit. Duas Romæ *Gregorius V.* Synodos celebravit. In una nuptias, quas *Robertus* Galliarum Rex cum *Berta* conſanguinea ſua inierat, inceſtas declaravit ac reſcidit, nec Regem ad communionem prius admiſit, quam *Bertam* repudiaſſet. Ad alteram Synodum a Gregorio V. celebratam *Baronius*, Conciliorum Collectores, & multi alii viri doctiſſimi referunt inſtitutionem ab eodem Summo Pontifice factam *Electoralis Collegii*, ſeu *Septemvirum*, penes quos ſolos Imperatorem eligendi eſſet poteſtas. Sed cum de ea ſeptem Electorum inſtitutione a *Gregorio V.* facta non conſentiant Scriptores præſertim Germaniæ, quid de ea ſentiendum ſit, commodius oſtendemus in Colloquio IV. ubi

ag

agemus de Conciliis, quæ ſæculis X. & XI. fuerunt convocata. Obiit *Gregorius* V. anno nongenteſimo nono XII. Kal. Martii, ut videre eſt in ejus Epitaphio ad ejus Sepulcrum in Baſilica S. Petri exarato. Mortuo *Gregorio* V. ſucceſſit *Gerbertus* natione Gallus, patria Aquitanus, humili genere natus; Monachus primum Aureliacenſis, tum poſtea Monaſterii Bobienſis Abbas, *Ottonis* III. Germaniæ Regis, & *Roberti* Francorum Regis præceptor, Archiepiſcopus Remenſis, deinde Ravennatenſis, ac tandem Pontifex Romanus conſecratus, dictuſque *Silveſter* II. Eo ſedente Pontifice, *Stephanus* Hungarorum Rex ſanctiſſimus Pannoniam ad fidem Chriſti perduxit, & eam ob rem nomine Regis, Diademate Regio, & Crucem, ſeu Apoſtolatus ſui Inſigne, ante ſe geſtandi ſingulari privilegio cohoneſtatus eſt a *Silveſtro* II. Pontifice Maximo. Fabulam, quam de hujus Pontificis Romani magia ac necromantia tradiderunt varii Scriptores, *Sigebertus*, *Martinus*, *S. Antoninus*, *Vincentius Bellovacenſis*, *Willelmus Malmeſburienſis*, & *Platina* in Vitis Rom. Pontificum, primus in Orbem invexit ac venditavit aliis *Benno* Pſeudo-Cardinalis, & Schiſmaticus Scriptor. Ad quam ineptiſſimam fabellam confutandam abunde ſufficiunt tum antiquorum Scriptorum altum ea de re ſilentium; tum etiam Epiraphium, quod, ad celebrandas præclaras *Silveſtri* II. dotes, *Sergius* IV. Pontifex Maximus ejus Sepulchro appoſuit, quodque in Vaticana Baſilica etiamnum legitur. Certe convenit modo inter omnes viros eruditos, hanc male conſarcinatam fabulam de Magia *Silveſtri* II. Romani Pontificis inde natam eſſe, quod ille mathematicas diſciplinas cum liberalibus artibus perfecte calluerit, ut eas pene mortuas in Galliis reſuſcitarit, quod nova horologia, aliaſque id genus machinas rotulis & elateriis tam eleganter, tamque affabre contextas elaboraret, ut rudi ſæculo ac ineruditis hominibus abſque familiari genio, & dæmonis ope fieri haudquaquam poſſe viderentur. Eccleſiam Romanam rexit *Silveſter* II. annos quatuor, menſem unum, & dies novem, ut legitur in Catalogis Romanorum Pontificum, quos ante hac ineditos in fronte ſuæ Criticæ in Baronium edidit *Cl. Pagius*, obiitque die XII. menſis Maij anni milleſimi tertii. Nonnulla ingenii & eruditionis ſuæ monumenta reliquit *Silveſter* II. quæ ſuo loco referemus, videlicet in Colloquio V. ubi diſſeremus *De Viris Illuſtribus*, qui ſæculis X. & XI. floruerunt. Plura non addam de Summis Pontificibus, qui ſæculo X. Sedem Romanam tenuerunt, & quorum nonnullæ pro variis Eccleſiæ negotiis ſcriptæ extant adhuc epiſtolæ. *Baronius* ad annum nongenteſimum quintum integram recitat epiſtolam *Joannis* IX. ad *Heriveum* Remorum Archiepiſcopum, a quo de Normannis nuper ad fidem converſis conſultus fuerat, quorum plurimi baptizati fuerant, & poſt Baptiſmum gentiliter vixerant, atque paganorum more Chriſtianos interfecerant, Sacerdotes trucidarant, atque ſimulacris immolantes, Idolothyta comederant. Ad hæc conſulta reſpondet *Joannes* IX. quod ſi prædicti Normanni tyrones non eſſent in ſchola Chriſtianæ fidei, canonica deberent experiri judicia, ſed quia rudes erant, mitius cum eis agendum quam ſacri ſtatuant Canones: *ne forte inſueta onera portantes, importabilia illis fore, quod abſit, videantur, & ad prioris vitæ veterem quem expoliaverunt hominem, antiquo inſidiante adverſario, relabantur*. Verum, hanc *Joannis* IX. epiſtolam, cujus etiam meminit *Flodoardus*, tardius ad annum nongenteſimum quintum retulit Baronius, cum juxta accuratiorem doctiſſimi *Pagii* calculum, *Joannes* IX. obierit, non anno nongenteſimo quinto, ut viſum eſt Baronio, ſed anno nongenteſimo, ut jam obſervavimus.

„ (*a*) De hoc Leone VI. Ptolomæus Lucenſis
„ Hiſt. Eccl. *de hoc nullæ hiſtoriæ aliqua geſta*
„ *tradunt, quia modicum ſedit, ſed quod in pa-*
„ *ce quievit, nullam tamen tyrannidem exercuit*.

„ (*b*) Stephanus VIII. natione Romanus,
„ ut catalogi plures, & pene dixerim omnes te-
„ ſtantur, non vero Germanus, ut ex fide unius
„ Martini Poloni hic ſcribitur, fœde a Deo vul-
„ neratus fuiſſe, ut hic habet noſter, ex una
„ Martini Poloni fide vix ac ne vix quidem cre-
„ deretur ſilentibus rem tantam omnibus ejus æ-
„ tatis vel vicinorum ſeculorum Scriptoribus.

„ (*c*) Felicem exitum habuiſſe tractationem
„ illam pacis inter Hugonem regem & Roma-
„ nos intermedio Agapito II. Pont. indicat Fro-
„ doardus ſcribens: *Marinus Papa deceſſit, & pax*
„ *inter Albericum patricium & Hugonem Italiæ*
„ *regem depaciſcitur*, nempe coaleſcit. Vide Mu-
„ rat. Annal. Ital. T. V. pag. 360.

D. O tempora, o mores: certe tot mala, quibus decimo ſæculo, heu nimium conflictata eſt Eccleſia, animum meum fodicant, ſtimulant, ac pungunt. At me, ut ſpero, mox alacriorem reddet, omnemque plane mœrorem excutiet jucundior illa ac multo ſerenior, quæ undecimo ſæculo ſeſe explicat rerum facies ſub Romanis Pontificibus, quorum cura ac vigilantia, ut obiter jam inſinuaſti, reſtitutus eſt Eccleſiæ ſplendor. Horum itaque Romanorum Pontificum, per quos ſtetit Religio, & refloruit Eccleſiæ diſciplina, ſeriem, geſtaque lubentiſſime in præſentia auſcultabo.

M. Mortuo *Silveſtro* II. Romano Pontifice die duodecima menſis Maij anni milleſimi tertii, ceſſavit Pontificatus dies triginta, & *Joannes* XVII. qui dicebatur *Sicco*, natione Romanus, die XIII. menſis Maij ejuſdem anni ordinatus eſt Pontifex Romanus, de hoc Pontifice nihil memoratu dignum habetur, quia menſes dumtaxat quinque & dies viginti quinque ſedit, ſicut legitur in ſex Catalogis Romanorum Pontificum. Quapropter obiit die VII. menſis Decembris ejuſdem anni. Hic autem obiter obſervare debes, hunc Summum Pontificem *Silveſtri* II. ſucceſſorem, merito *Joannem* XVII. eſſe appellandum, quamvis in ſerie Romanorum Pontificum, qui *Joannis* nomine inſigniuntur, ſit tantum ordine decimus ſextus. Extant enim aliqua iſtius Summi Pontificis Reſcripta, in quibus ſeſe appellat *Joannem* XVII. non vero XVI. Pontifices autem Romani eodem modo ab Hiſtoricis ſunt appellandi, quo ipſimet in ſuis

Re-

Digitized by Google

Reſcriptis ſeſe vocarunt. Sic, exempli gratia, *Martinum Papam* V. appellare ſolemus, quia ipſemet in ſuis Reſcriptis ſeſe *Martinum* V. nuncupavit, etſi in ſerie Romanorum Pontificum, qui *Martini* nomen habuerunt, ſit tantum ordine *Martinus* III. non vero *Martinus* V. Cur autem iſte *Joannes* Summus Pontifex *Silveſtri* II. ſucceſſor permiſerit ut appellaretur Joannes XVII. cum tamen ordine eſſet tantum XVI. hanc plauſibilem rationem affert *Papebrochius* in *conatu Hiſtorico Chronologico*: Licet enim, inquit, *Joannes* Placentinus (qui ut ſuperius diximus, a *Creſcentio* Romæ tyranno contra Gregorium V. legitimum Pontificem creatus eſt Antipapa) nunquam fuerit legitimus Pontifex, attamen cum iſte *Joannes* Placentinus Antipapa, qui per decem menſes Sedem Romanam occupavit, dictus fuerit Joannes XVI. ac multæ ſub eo nominis numero ſparſæ eſſent toto Orbe pro occaſionum diverſitate Epiſtolæ & Bullæ, neceſſe habuit *Silveſtri* II. in Sede Romana ſucceſſor permittere, ut vocaretur *Joannes* XVII. ne videlicet, ſi nomen *Joannis* XVI. aſſumpſiſſet, Bullæ, & Epiſtolæ ſuæ fuiſſent progreſſu temporis confuſæ cum Actis iſtius *Joannis* a *Creſcentio* Romæ tyranno Antipapæ creati, qui ſe *Joannem* XVI. appellitabat. Ob hanc rationem ſucceſſor *Silveſtri* II. noluit appellari *Joannes* XVI. ſed *Joannes* XVII. quamvis inter veros & legitimos Pontifices Romanos, qui hoc *Joannis* nomine donati ſunt, revera tantum ordine ſit *Joannes* XVI. Hunc igitur Summum Pontificem ſucceſſorem *Silveſtri* II. nos etiam appellabimus *Joannem* XVII. ne, ſi cum *Platina*, *Baronio*, & aliis paſſim recentioribus hunc ordinem perturbare velimus, ſequentium Romanorum Pontificum publicis ac privatis Actis adverſemur.

Mortuo *Joanne* XVII. Silveſtri II. ſucceſſore, fuit Interpontificium novemdecim dierum, & *Joannes* XVIII. qui dicebatur *Faſanus*, ratione Romanus, die viceſima ſexta menſis Decembris anni milleſimi tertii ordinatus eſt Pontifex Maximus. Is Bambergenſem Epiſcopatum in Synodo Francofordienſi, agente *Henrico* Germaniæ Rege ſanctiſſimo, erectum auctoritate Apoſtolica confirmavit. Legatum Apoſtolicum miſit in Germaniam ut Magdeburgenſem Epiſcopum conſecraret. Alterum Legatum miſit idem Summus Pontifex in Gallias, ut conſecraret Eccleſiam Monaſterii Bellilocenſis, quod *Fulco Nerra* Comes Andegavenſis reverſus Hieroſolymis ultra Augerem fluvium Belliloco prope Caſtrum Lochiarum Sanctiſſimæ Trinitati dicatum conſtruxit anno milleſimo decimo, ut docent Chronicon Turonenſe MS. ac Diploma Pontificis eodem anno datum. Cum vero prædictæ Eccleſiæ conſecrationis ritum *Hugo* Turonenſis Archiepiſcopus, in cujus Diœceſi Monaſterium illud conditum erat, celebrare detrectaſſet, eo quod votum *Fulconis* Deo haud gratum eſſe poſſe conteſtaretur, niſi prædia, & mancipia Eccleſiæ Turonicę, quæ ſurripuerat, prius reſtituiſſet; Joannes XVIII. Summus Pontifex hoc Bellilocenſe Monaſterium *ſub tuitione, & defenſione Apoſtolorum, & Sanctæ Sedis Pontificum poſuit, interdixitque omnibus Epiſcopis ne quam ibi juriſdictionem exercerent*, ut videre eſt in ejus Diplomate. Tam inſoliti privilegii Reſcriptum haud parum commovit animum *Hugonis* Turonenſis Archipræſulis, qui ſtatim Romam veniens a *Sergio* IV. qui *Joanni* XVIII. nuper ſucceſſerat, obnixe poſtulavit, ut ipſi, juxta Canones, & *Juſtiniani* legem hujuſce Eccleſię conſecrationem permitteret. Sed *Hugo* repulſam paſſus eſt, & *Sergius* IV. Pontifex Maximus direxit in Gallias *Petrum* Viterbienſem Epiſcopum, ut illius vice hanc Eccleſiam conſecraret. De iſta Eccleſiæ Monaſterii Bellilocenſis conſecratione legendi ſunt *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Pariſienſis l. 4. *De concordia Sacerdotii & Imperii* cap. 8. ubi illam ex veteribus Tabulis præfati Monaſterii deprompta refert, & Clariſſimi *Sammarthani* fratres, qui tom. 4. *Galliæ Chriſtianæ* inſeruerunt Diplomata *Joannis* XVIII. & *Sergii* IV. ex Chartophylacio ejuſdem Monaſterii deſcripta. Hic duo duntaxat, ne ultra Hiſtorici metas divagari videar, obiter velim obſerves, primum eſt: a vero deflexiſſe *Baronium*, dum Eccleſiæ Monaſterii Bellilocenſis conſecrationem aſſerit factam eſſe juſſu *Joannis* Placentini a *Creſcentio* Romæ tyranno creati Antipapæ, quique, ut jam obſervavimus, dictus eſt *Joannes* XVI. cum tamen ex Pontificiis Diplomatibus relatis a *Sammarthanis* fratribus, loco mox a me memorato, certiſſime conſtet, id contigiſſe temporibus *Joannis* Papæ hujus nominis XVIII. & tam ipſum, quam *Sergium* IV. ejus ſucceſſorem hujus Monaſterii Bellilocenſis exemptionem conſtituiſſe. Alterum eſt: nullam prorſus habendam eſſe fidem *Glabro* Monacho, qui lib. 2. *Hiſtoriæ* cap. 4. perperam & inſcite aſſerit, hanc Monaſterii Bellilocenſis Eccleſiam, ipſo conſecrationis die, miraculo corruiſſe eo ſolo nomine, quod Romanus Pontifex hujus Eccleſiæ conſecrationem contra tenorem Canonum ſuſcepiſſet, ſuam videlicet in aliena Diœceſi auctoritatem exercendo. Quis, amabo, tam inſulſum *Glabri* commentum non rideat, non exſibilet? maxime cum a nullo Catholico negari, aut in dubium vocari poſſit, Romanum Pontificem, ratione ſui primatus in univerſa Eccleſia, omnia Epiſcopalia munia ubique Chriſtianorum gentium in aliorum Epiſcoporum Diœceſibus obire poſſe, ſicut diſerte aſſerit *S. Bernardus* l. 2. *De Conſideratione* his verbis, quibus *Eugenium* Papam alloquitur: *Tu poteſtate Petrus, unctione Chriſtus... ſunt & alii gregum Paſtores... Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: Tibi univerſi crediti, uni unus. Non modo ovium ſed & Paſtorum, tu unus Paſtor. Paſce oves meas, inquit. Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis aut certi Regni? cui non planum eſt non deſignaſſe aliquos, ſed aſſignaſſe omnes, nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.* Ex quibus *S. Bernardi* verbis, & ex Pontificis Diplomatibus a *Sammarthanis* fratribus relatis manifeſtum eſt, hanc de caſu, & ruina Eccleſiæ Monaſterii Bellilocenſis, eadem die qua conſecrata eſt, narratiunculam a *Glabro* excogitatam, haud diſſimilem eſſe his geſtis, quas vetulæ rotantes fuſum ſimplicibus puellis narrare ſolent,

ne

Digitized by Google

ne dormiant ad lucem lucernæ. Hoc itaque *Glabri* commentum in unum faſciculum addas velim cum aliis, quas jam confutavimus, fabulis *de Papiſſa Joanna*, & de magia, ſeu necromantia *Silveſtri* II.

Sed redeamus ad ſeriem Romanorum Pontificum. *Joannes* XVIII. mortuus eſt anno MIX. die & menſe incertis, cum ſediſſet annos quinque integros & aliquot menſes, ut in variis Catalogis legitur (*a*). Ei in Sede Pontificia ſucceſſit *Sergius* IX. qui ante Pontificatum vocabatur *Os porci*, vel *Bucca porci*, ſicut *Ditmarus*, qui hoc tempore vivebat, aſſerit libro VI. Sedente *Sergio* IV. oleum Romæ in quadam Eccleſia miraculo ſcaturiiſſe, & ex eo vas impletum ad *Henricum* Germaniæ Regem miſſum fuiſſe teſtatur idem *Ditmarus* l. 7. Gravem ſub *Sergii* IV. Pontificatu in Chriſtianos perſecutionem excitarunt Judæi Occidentales & Saraceni Hiſpaniæ. Miſerunt quippe epiſtolas in orientem, accuſantes Chriſtianos, & mandantes *Caliphæ* Ægypti, qui eo tempore erat *Hakemus*, ejus Regnum cum tota gente propediem a Chriſtianis excindendum, niſi quam primum ſubverteret Templum Hieroſolymitanum. His iniquiſſimis ſuggeſtionibus inſtigatus *Hakemus* Ægypti Caliphas, Templum Hieroſolymitanum evertit, ſeu Baſilicam Sepulchri Chriſti Domini ad ſolum uſque dirui juſſit, multaſque in Chriſtianos exercuit crudelitates, quas deſcripſit *Ademarus* in Chronico. Hæc ubi in Occidentem perlata ſunt, communi conſenſu decretum eſt, ut Judæi expellerentur, & nullus eos ſocietate, nullus commercio dignaretur. Nec diu etiam Judæi fructu malitiæ ſuæ potiti ſunt, nec Chriſtiani diu Templi ſui ruinam luxere. Saraceni ſiquidem conterriti prodigiis, quæ, dum Eccleſiam Bethleemiticam, & Monaſterium Montis Sinai deſtruere volebant, factam propriis oculis inſpexerant, permiſerunt Chriſtianis, ut reædificarent Eccleſiam Sepulchri glorioſi, quæ confeſtim a Chriſtianis reſtaurata quidem eſt, ſed tamen *non fuit amplius ſimilis priori, pulchritudine, vel magnitudine, quam Helena mater Conſtantini Regali ſumptu perfecerat*, ait *Ademarus*, qui etiam refert, Saracenos, ob eam in Chriſtianos motam perſecutionem, a Deo ita fuiſſe punitos, ut innumerabilis eorum multitudo fame & gladiis interierit. Hæc contigerunt ſub Pontificatu *Sergii* IV. qui Sedem tenuit uſque ad annum MXII. quo naturæ debitum ſolvit, eique ſucceſſit *Benedictus* VIII. patria Tuſculanus, antea dictus *Joannes* Epiſcopus Portuenſis, adverſus quem *Gregorius* quidam cum in Sedem Apoſtolicam fuiſſet intruſus, ad Sanctum *Henricum* Germaniæ Regem confugit *Benedictus* VIII. legitimus Pontifex, & ab eodem Imperatore, pulſo Antipapa, in ſuam Sedem fuit reſtitutus. Hunc Sanctum *Henricum* Germaniæ Regem inauguravit Imperatorem, & *Cunegundem* ſanctiſſimam ejus conjugem itidem coronavit *Benedictus* VIII. Saracenos ſtatus Eccleſiæ littora infeſtantes indicto bello fugavit. Græcos, qui in Apulia graſſabantur, debellavit adjutus a Normannis, quorum ad Eccleſiæ Imperiique defenſionem præclara in Italia facinora referunt *Glaber Rodulphus* Ord. S. Benedicti in Cœnobio *S. Germani* Antiſiodorenſis Monachus l. 3. Hiſtoriæ c. 1. & *Leo* Oſtienſis Epiſcopus & Cardinalis l. 2. Hiſtoriæ Monaſterii Caſinenſis. Judæos qui Chriſti ſervatoris noſtri imaginem die Paraſceves impie deluſerant, capite plecti juſſit *Benedictus* VIII. Sanctiſſimos viros *Odilonem*, & *Romualdum* in primis coluit, & *Henrico* Imperatore ſuadente, Symbolum in ſacris Miſſarum ſolemniis in Romana Eccleſia cani juſſit, quod antea factum non fuerat, eo quod (ut refert *Berno* Augienſis Abbas in l. *De Rebus ad Miſſam ſpectantibus* c. 2.) Romana Eccleſia nulla unquam Hæreſi fœdata eſt, ſicut aliæ, quibus propterea neceſſe fuerat Fidei Symbolum ſæpius cantando frequentare. Duo Concilia, *Romanum* videlicet & *Ticinenſe* celebravit *Benedictus* VIII. de quibus ſuo loco, ſeu in Colloquio quarto opportunius diſſeremus. Obiit Summus iſte Pontifex anno MXXIV. cum ſediſſet annos XI. menſes XI. & dies XXI. ut legitur in fuſiori Chronico *Hermanni Contracti*, in *Mariano Scoto*, *Sigeberto*, & in pleriſque Romanorum Pontificum Catalogis. Eodem anno MXXIV. in locum *Benedicti* VIII. ſuffectus eſt *Joannes* XIX. germanus *Benedicti* VIII. frater, quem *Hermannus Contractus* in auctiori Chronico, *Glaber* l. 4. Hiſtoriæ c. 1. *Platina* in vitis Pontificum, aliique ajunt, ex laico factum fuiſſe Romanum Pontificem. Patriarcha Conſtantinopolitanus petiit a *Joanne XIX.* ut ei titulum *Univerſalis* concederet, cui ambitioſæ petitioni non conſenſit Summus Pontifex admonitus, & ne id faceret, rogatus litteris Gallicanorum Præſulum & Abbatum, præſertim *Willelmi* Abbatis, *S. Benigni* Divionenſis, & *Richardi* Abbatis, *S. Wintoni* Virdunenſis, quorum ea de re litteras referunt *Hugo* Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi, & *Glaber Rodulphus* l. 4. Hiſtoriæ c. 1. *Conradum* poſt mortem S. *Henrici* electum Imperatorem Romæ coronavit *Joannes XIX.* Apoſtolatum S. *Martialis* aſſeruit, Eccleſiæque Lemovicenſis in Galliis traditionem de S. *Martialis* a S. Petro miſſione approbavit, data ad *Jordanem* Lemovicenſem Antiſtitem, & ad cæteros Galliarum Epiſcopos ea de re epiſtola. Obiit *Joannes* XIX. anno MXXXIII. ſicut *Hermannus Contractus* in utraque editione ſui Chronici, & *Sigebertus* tradiderunt, cum ſediſſet annos novem, ut legitur in pleriſque Romanorum Pontificum Catalogis, niſi quod in quibuſdam, errore Librariorum, loco dierum IX. habetur menſium IX. Mortuo *Joanni* XIX. ſubſtitutus eſt *Benedictus* IX. decem annorum adoleſcens, *Alberici* Tuſculani Comitis filius, quem in electione ſua ſimoniacum, & pravis moribus imbutum Eccleſiam male adminiſtraſſe aſſerit *Victor* III. Papa, qui eo tempore vivebat. Eccleſia tamen gemens & oppreſſa, ne ſchiſma fieret, eum, ut verum Pontificem agnovit & coluit. Eo ſedente, Poloni bellis extraneis a finitimis laceſſiti, ſimulque civilibus diſcordiis ob procerum ambitionem, mutuamque æmulationem conflictati Romam Legatos miſerunt, qui a *Benedicto* XI. impetrarunt, ut *Caſimirus*, qui ab illis paterno

Re-

Digitized by Google

Regno injuſte expulſus, ad Cluniacenſes Monaſticam vitam profeſſus fuerat, & ſacrum Diaconatus ordinem, hortatu Abbatis, huſceperat, ad Regnum Majorum ſuorum rediret, & uxorem duceret, ut fuſe *Baronius ex Joanne Longino* accuratiſſimo Polonorum Hiſtoriæ ſcriptore narrat; annos decem & amplius ſederat *Benedictus* IX. cum Romani, anno MXLIV. illius vitiorum pertæſi, eum opera *Ptolomæi* Conſulis expulerunt, & in Sedem Apoſtolicam, canonica parvi pendentes Decreta, intruſerunt *Joannem* Epiſcopum Sabinenſem, qui multis artibus, & profuſa pecunia, ſibi ad ſupremam Eccleſiæ dignitatem aditum aperuit, & appellatus eſt *Silveſter* III. Hunc Antipapam poſt tres menſes *Benedictus* IX. Tuſculanorum Comitum auxilio a Pontificatus Cathedra exturbavit, Urbe expulit, & ſummum, quod amiſerat, Sacerdotium recepit, priſtinos tamen mores minime mutavit. Hoc interim temporis ſpatio presbyter quidam *Gratianus* perſuaſit tam *Benedicto* IX. quam *Silveſtro* III. ut numerata pecunia, Pontificatu cederent, & *Benedicto* IX. qui majoris videbatur auctoritatis, redditus Angliæ reliquit. Hoc pacto *Gratianus* electus eſt Pontifex Romanus, dictuſque *Gregorius* VI. Nonnulli Scriptores Eccleſiaſtici, quos inter cenſentur *Baronius*, *Natalis Alexander*, aliique ſecuti *Ottonem Friſingenſem*, affirmant, quatuor tum temporis Pontifices Sedem Romanam tenuiſſe, videlicet *Benedictum IX. Silveſtrum III.* & alium quemdam *Joannem*, quos ſimoniacos fuiſſe ultro fatentur, ſed illis addunt *Gregorium* VI. eumque diſtinguunt a tribus iſtis ſimoniacis Pontificibus, qui per hæc tempora Romanam afflixerunt Eccleſiam, nec ſolum a ſimoniæ labe *Gregorium* VI. vindicant, verum etiam illum exhibent tanquam Eccleſiæ liberatorem, utpote, qui pecuniam ad redimendam dumtaxat Eccleſiæ quietem tribus hiſce Pontificibus ſimoniacis dederit, ut dignitate cederent. At, doctiſſimus *Pagius* in ſua Critica ad annum MXLIV. probat ex Scriptoribus antiquioribus *Ottone Friſingenſi* (qui centum circiter annis poſt *Gregorii VI.* depoſitionem Chronicon ſuum lucubravit) tres tantum id temporis fuiſſe Pontifices, videlicet *Benedictum* IX. *Silveſtrum* III. & *Gregorium* VI. cujus poſtremi electionem pariter ſimoniacam fuiſſe, evincit idem *Pagius* ex *Hermanno Contracto*, ex *Victore* III. Romano Pontifice, & ex *Clemente II.* Papa, qui in *Gregorii VI.* in Synodo Sutrienſi depoſiti, locum ſuffectus eſt. At enim, *Hermannus Contractus* in ſuo Chronico ſcribit, in Synodo Sutrienſi, *cauſa erroneorum Pontificum diligentius ventilata*, *Gregorium VI. convictum*, *paſtorali baculo fuiſſe privatum*, *& omnium tam Romanorum, quam aliorum aſſenſu* Clementem II. *Pontificem Romanum* eſſe electum. *Victor* III. Papa libro 3. Dialogorum refert, *Benedictum* IX. non parva pecunia a *Gregorio* VI. accepta Summum Sacerdotium ei reliquiſſe, & *Henricum* Germaniæ Regem *tres illos*, *qui injuſte Apoſtolicam Sedem invaſerant*, *cum conſilio & auctoritate Concilii juſte depuliſſe*, & ipſummet *Gregorium* VI. poſt rem a Synodo Sutrienſi diſcuſſam, agnoviſſe, *ſe non poſſe juſte honorem tanti Sacerdotii adminiſtrare*, *ac ſemetipſum Pontificalibus indumentis exuiſſe*. Denique, *Clemens* II. qui, depoſito *Gregorio* VI. electus eſt in Synodo Sutrienſi Romanus Pontifex, in *Brevi* Pontificio, quod ad Eccleſiam Bambergenſem (cujus antea erat Epiſcopus) ſtatim a ſua coronatione miſit, extatque in libro, quem *de Divis* Bambergenſibus *Gretzerus* edidit Ingolſtadii, anno MDXI. *Clemens*, inquam, II. Pontifex Maximus, ac teſtis oculatus, loquens de iſtis tribus Pontificibus *Benedicto* IX. *Silveſtro* III. & *Gregorio* VI. hæc habet: *exploſis tribus illis*, *quibus idem nomen Papatus rapina dederat*, *inter tot agmina Sanctorum*, *qui aderant*, *Patrum*, *dignatio cæleſtis gratiæ noſtram indigniſſimam mediocritatem*, *cunctis niſibus refragantem*, *voluit eligi*, *& Altiſſimi Apoſtolorum Principis vice fungi*. Verum prætermiſſa iſta controverſia, an ſcilicet electio *Gregorii* VI. Simoniaca fuerit, necne? hoc unum apud omnes certiſſimum eſſe debet, quod, ſicut *Benedictus* IX. inter legitimos Pontifices enumeratur, & ut talis habetur, etiamſi inter omnes Hiſtoricos conveniat, illum Simoniacum fuiſſe, ita pari utrobique ratione, *Gregorius* VI. (licet ejus electio Simoniaca fuiſſet) inter legitimos Romanos Pontifices cenſeri, & ut talis haberi debet, qui ea ætate, ſecutiſque temporibus *Gregorium* VI. ceu legitimum Pontificem Romana agnovit Eccleſia, donec tamen fuerit depoſitus in Synodo Sutrienſi anno MXLVI. habita, cui depoſitioni conſenſit *Gregorius* VI. eique ſubrogatus eſt *Suidgerus* natione Saxo, Epiſcopus Bambergenſis, dictus in Pontificatu *Clemens* II. qui regimen univerſæ Eccleſiæ invitus multumque reluctatus ſuſcepit, & eo præclare functus eſt. Concilia ad extirpandam Simoniæ peſtem, quæ tum temporis latiſſime in Italia ſerpebat, celebravit. *Henricum* III. Germaniæ Regem, & ejus uxorem *Agnetem* Imperiali corona inſignivit, & cum eodem Imperatore in Germaniam profectus, dum in Italiam poſtea anno MXLVII. rediret, animam Deo reddidit in *Romanis partibus nono menſe promotionis ſuæ*, inquit *Hermannus Contractus*. Eodem anno poſt *Clementis* II. obitum, *Benedictus* IX. Pontificatum iterum invaſit, illumque per octo menſes & dies decem tenuit, ſicut legitur in antiquiſſimo MS. Codice, cujus hæc verba *Papebrochius*, recitat: *Benedictus tertio reverſus in Pontificatum*, *tenuit eum menſes* VIII. *dies* X. *ideſt*, *a feſtivitate Sanctorum quatuor Coronatorum* (die ſcilicet VIII. Novembris uſque ad Feſtum S. *Alexii*, ideſt, ad diem XVII. menſis Julii anni MXLVIII. S. *Alexio* ſacrum, quo *Poppo* Briſinenſis Epiſcopus (non vero *Brixienſis*, ut Librariorum errore legitur in *Hermanno Contracto*, quem Baronius, aliique exſcripſerunt) electus eſt Pontifex Romanus nutu & ſtudio *Henrici* Imperatoris, dictuſque *Damaſus* II. qui, teſte *Leone Oſtienſi* lib. 2. cap. 81. poſt viginti tres dies apud *Præneſte* vita deceſſit. *Damaſo* II. in Sede Pontificia ſucceſſit *Leo* IX. ante Pontificatum *Bruno* appellatus, Epiſcopus Tullenſis, ex nobiliſſima Dapsburgenſi familia in Alſatia oriundus. In conventu Wormatienſi anno MXLVIII. ab *Henrico* Imperatore, id juris peſſimis illis temporibus ſibi arrogante, Romanus Pontifex deſignatus eſt; Pontificatum tamen ſuſcipere noluit, *donec audiret totius Cleri ac populi Romani communem eſſe ſine diſſidio conſenſum*, inquit *Wibertus* ejus Archidiaconus in ipſius vita. Eam ob rem ſanctiſſimus ille Pontifex *Leo IX.* Romam cum *Hildebrando* Cluniacenſi Monacho (qui poſtea

fuit ſummus Pontifex dictus *Gregorius* VII.) peregrini habitu profectus, nudiſque pedibus eam in urbem ingreſſus, maximo Cleri, populique Romani conſenſu electus eſt Pontifex Romanus die II. menſis Februarii anni MXLIX. & die XII. ejuſdem menſis, quæ erat prima Quadrageſimæ Dominica, ritu ſolemni conſecratus eſt. Non minus doctrina, quam ſanctitate illuſtris fuit *Leo IX.* Pontifex Maximus. Sacra ſtudia jugiter colebat. Pſalterium ſingulis diebus recitabat, Miſſæque Sacrificium offerebat. Humi cubabat, cilicio aſpero ad carnem indutus corpus macerabat. Charitate erat in pauperes incredibili, ita ut ipſummet Chriſtum Dominum ſub forma leproſi, quem in angulo Palatii inventum propriis ſublatum humeris in lecto ſuo collocavit, ſuſcipere meruerit. Quamdiu Romæ verſatus eſt, tribus per Hebdomadam diebus a Lateranenſi Eccleſia ad templum S. Petri privato habitu, nudiſque pedibus cum duobus aut tribus Clericis pſallendo & orando pergebat. Pacem inter Principes conciliare ſummopere ſtuduit. Multa ad collapſam Eccleſiæ reſtaurandam Diſciplinam Concilia celebravit, quæ in Colloquio quarto referemus. Plura alia ejus præclara geſta legi poſſunt in illius vita a *Wiberto* ejus apud Tullenſes Archidiacono duobus libris ſcripta, quæ extant inter Acta Sanctorum menſis Aprilis ab *Henſchenio*, & *Papebrochio* collecta, ac variis obſervationibus a viris illis eruditis illuſtrata. Obiit ſanctiſſimus ille Pontifex anno MLIV. cum ſediſſet annis ſex, menſibus duobus, & diebus novem, vel, ut alii dicunt, diebus ſeptem. Epiſtola, quæ ſub nomine *Leonis* IX. Romani Pontificis circumfertur, & in qua *S. Dionyſii* Reliquias non in Galliis, ſed in Germania apud Monachos Ratiſponenſes aſſervari dicitur, eſt plane commentitia & illius Pontificis ſpuria proles. Quis enim, amabo, ut obiter dicam, ſibi perſuadeat, *Leonem* IX. Pontificem integerrimum cauſam tanti momenti, Gallis inauditis, judicaſſe, & ex ſolis Ratiſponenſium Monachorum reſponſionibus decretorium judicium in favorem illorum ferre voluiſſe? Præterea, Auctor illius Epiſtolæ, quæ *Leoni* IX. Papæ adſcribitur, aſſerit, ſummum illum Pontificem ad preces Legatorum *Henrici*, Francorum Regis, hanc controverſiam de Reliquiis Sancti Dionyſii in Germania diremiſſe, cum tamen certum ſit, Legatos *Henrici* Galliarum Regis obnixe poſtulaſſe, ne iſtud negotium Ratiſponæ conficeretur, quod in Dionyſiano Monaſterio in Galliis peractum eſſe oporteret. Tertio, ejuſdem Epiſtolæ Auctor ſcribit, cauſam illam diutiſſime fuiſſe ventilatam, cum tamen altum ſit apud omnes illorum temporum Scriptores de illa fabula ſilentium. Quarto, fingit illius Epiſtolæ ſcriptor, Oſſa Sancti *Dionyſii* per *Arnulphum* Imperatorem in Sancti *Emmerammi* Monaſterium fuiſſe translata, cum tamen antiqui ſcriptores Germaniæ dicant, manum dumtaxat Sancti *Dionyſii* Henrico *Aucupi* Imperatori datam fuiſſe, adeoque poſt Arnulphi tempora. Quinto, ait ejuſdem Epiſtolæ concinnator, *Leonem* IX. tam Imperialibus, quam Papalibus litteris inſtructum, Sancti Dionyſii Reliquias Monachis Ratiſponenſibus adjudicaſſe, cum tamen ejuſmodi litteræ nunquam viſæ fuerint. Alia hujus Epiſtolæ, quæ *Leoni* IX. perperam tribuitur, ſuppoſitionis indicia legi poſſunt apud *Du Bois* lib. X. *Hiſt. Eccleſiæ Pariſienſis* cap. V. *Natalem Alexandrum*, ſæculo IX. in Vita *Leonis* IX. ſed præſertim apud *Dubletium* in Hiſtoria Monaſterii San-Dionyſiani. Mortuo *Leone* IX. anno MLIV. ut jam diximus, *Hildebrandus* tunc S. R. E. Subdiaconus a Romanis ad *Henricum* Imperatorem miſſus eſt, *ut de illis partibus* (verba ſunt Leonis Oſtienſis lib. 2. cap. 90.) *quem tamen ipſe vice Cleri populique Romani in Pontificem elegiſſet, duceret. Quod cum Imperator fuiſſet aſſenſus, & Gebehardum Aiſtetenſem Epiſcopum Hidelbrandus ex induſtria & conſilio Romanorum expetiviſſet, triſtis ſuper hoc Imperator effectus eſt* (talem ſcilicet Antiſtitem ſuis rebus utiliſſimum ſibi eripi ægre ferens) *hunc ergo*, Gebeardum videlicet, *Hildebrandus, invito licet Imperatore, invito etiam Epiſcopo, Romam ſecum adduxit, eique Victoris nomen imponens, Romanum Papam cunctorum aſſenſu conſtituit, cum jam ferme a tranſitu Leonis Papæ annus elaberetur.* Ex quibus *Leonis Oſtienſis* verbis colligitur, *Gebehardum* dictum *Victorem* II. poſt annum ab obitu *Leonis* IX. hoc eſt, anno MLV. fuiſſe Romanum Pontificem ordinatum, & quidem, ut ait continuator *Hermanni Contracti*, Quadrageſima in Cœna Domini, quæ hoc anno incidit in diem decimam tertiam menſis Aprilis. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervationi cum ſedulo invigilaret *Victor* II. venenum in Calice ei propinavit Subdiaconus quidam, a quo tamen vitæ diſcrimine duplici miraculo ereptus eſt Sanctus ille Pontifex, nempe non valens ipſe manibus ſuis attollere calicem ac ponderoſum ſtatim redditum, & Dæmone Subdiaconum invadente, a quo fraus patefacta fuit. Ad graſſantem *Berengarii* profligandam Hæreſim *Victor* II. aliqua celebravit concilia, de quibus ſuo loco, ſeu in quarto Colloquio agemus. Obiit anno MLVII. non Romæ, ut per errorem obrepſit continuatori *Hermanni Contracti*; non Florentiæ etiam, ut putavit *Baronius*; Sed Tuſciæ, ut ſcribit *Leo Oſtienſis* lib. 2. cap. 98. Hic prætermittere haud poſſum eruditam *Onuphrii* de Hiſtoria Eccleſiaſtica optime meriti Notam in *Platinam*, ubi de *Clemente* II. verba faciens, hæc habet: *Quatuor ſequentes Pontifices*, inquit Onuphrius, *nempe Clementem* II. *Damaſum* II. *Leonem* IX. *& Victorem* II. *Viros quidem ſanctiſſimos, optimos, & de Dei Eccleſia bene meritos, ex Imperatoris Henrici* III. *auctoritate creatos ex horum temporum ſcriptoribus Hermanno Contracto in Chronico, Lamberto Schafnaburgenſi in Hiſtoria Germanica, & Ottone Friſingenſi lib.* VI. cap. XXXIII. *& aliis probatis Auctoribus conſtat. Unde miror, Platinam optimi Pontificis Damaſi* II. *famam ita fœdaſſe. Sed venia dignus eſt: nam alios Auctores minus, quam par eſſet, diligentis hac in re forte eſt ſecutus, Martinum dico & Galfridum.* (b)

(a) „ Adnotatione dignum cenſeo Joannem hunc „ monaſticum cucullum circa obitum induiſſe, non „ tamen crederem dignitatem ſuam vivum abdicaſſe cum hoc nemo veterum notaret; ſed forte „ poſt obitum juſſit defuncti cadaver religioſa hac „ veſte

Digitized by Google

„ veſte velatum exponi curaſſe. Porro de religio-
„ ſa veſte hæc tradit catalogus vetuſtiſſimus ab Ec-
„ cardo in corpore hiſtorico tom. 2. col. 1640. vul-
„ gatus: *Phaſianus Cardinalis S. Petri qui & Jo-*
„ *annes de patre Urſo presbytero & matre Stephania*
„ *poſt annos quinque & dimidium in S. Paulo mo-*
„ *nachus diſceſſit*. Catalogus autem iſte, quantum
„ ex conjectura aſſequi poſſumus, per annos illos
„ ſcribebatur.

„ De Sergio IV. hoc mihi occurrit infra Junium
„ & Auguſtum menſes Pontificatus ſui exordia fi-
„ xiſſe ut eſt in meis ad Pagium adnotationibus &
„ ex diplomatum fide demonſtravi.

(*b*) „ Poſt obitum Leonis IX. Romanorum
„ Legatio ad Henricum III. Germaniæ Regem,
„ & Romanorum Imperatorem miſſa eſt, quam
„ obierunt Hildebrandus, Umbertus (deiu Cardi-
„ nalis & Epiſcopus Sylvæ Candidæ) & Bonifacius
„ acturi pro futuri Pontificis electione, teſte Benzo-
„ ne Albenſi Epiſcopo in ſuo libro de rebus Henrici
„ III. qui per hæc tempora vivebat. Altera eſt
„ hæc legatio ab ea quam geſſit Hildebrandus a
„ Victore II. in Germaniam ad Agnetem Impe-
„ ratricem miſſus.

Victore II. e vivis erepto, electus eſt die II. men-
ſis Auguſti Pontifex Romanus, & die ſequenti
ordinatus *Stephanus* X. quem alii appellant IX. eo
quod *Stephanum* II. qui, ut jam obſervavimus in
Colloquio II. in Hiſtoriam ſæculorum ſeptimi &
octavi, triduo tantum poſt ſuam electionem vixit,
cenſent e Catalogo Romanorum Pontificum eſſe
expungendum. At nos, qui poſt *Onuphrium*, &
Baronium in ſerie Romanorum Pontificum hunc
Stephanum II. reponendum eſſe ducimus, ideo *Vi-
ctoris* II. ſucceſſorem *Stephanum* X. appellamus,
qui ante Pontificatum vocabatur *Junianus Friderì-
cus*, eratque natione Lotharingus ac *Gozelonis* Lo-
tharingiæ Ducis filius. A *Leone* IX. Pontifice Ma-
ximo creatus fuerat S. R. E. Cancellarius, & Le-
gatus Conſtantinopolim miſſus ad Imperatorem
Conſtantinum Monomachum, ubi *Michaelem Ceru-
larium* Photiani Schiſmatis reſtauratorem, ejuſque
ſequaces excommunicavit. Dein, Vitam Monaſti-
cam Caſſini profeſſus eſt, & Abbas illius Monaſte-
rii electus, noviſſime a *Victore* II. factus Cardinalis,
ac tandem ejuſdem *Victoris* in Sede Pontificia ſuc-
ceſſor fuit, ejuſque diſciplinam Eccleſiæ reſtituen-
di deſiderii ac ſtudii fervidus æmulator. Synodos
Romæ habuit, quibus inceſtas Conſanguineorum
nuptias, & Clericorum ac Presbyterorum conjugia
diſtricte prohibuit. Vitium proprietatis, quod
apud aliquos Monachos ſenſim ſine ſenſu irrepſe-
rat, radicitus evelli juſſit. *Petrum Damiani* Mo-
nachum ſanctiſſimum creavit, invitum licet, Car-
dinalem Epiſcopum Oſtienſem. Ad procurandam
Eccleſiæ Græcæ cum Latina unionem Conſtanti-
nopolim Legationem decrevit. *Hildebrandum* Ro-
manæ Eccleſiæ Subdiaconum ad *Agnetem* Impera-
tricem pro negotiis Eccleſiæ Legatum miſit. Ve-
tuit tamen ante diſceſſum Hildebrandi Epiſcopis in
Eccleſia congregatis, & Clero, populoque Roma-
no, ne, ſi contingeret ipſum mori, antequam
Hildebrandus ſua Legatione functus eſſet, ullum
omnino Papam eligerent, *ſed uſque ad illius redi-
tum Sedes Apoſtolica intacta vacaret, ejus demum
ordinanda conſilio*, ut refert *Leo Oſtienſis* lib. 2.
cap. 101. ubi etiam ait, eumdem ſummum Pon-
tificem *Stephanum* X. in Tuſciam inde properan-
tem, non multo poſt morbo depreſſum Florentiæ
obiiſſe IV. Kalend. Aprilis anni MLVIII. ibique
digno honore ſepultum multis poſt obitum mira-
culis claruiſſe. *Stephano* X. ad meliorem vitam
translato ſucceſſit *Nicolaus* II. Senis die XXVIII.
menſis Decembris anni MLVIII. electus Pontifex
Romanus. Eodem tamen anno quidam nomine
Gerardus Galeſenſis Sedem Pontificiam invaſit,
ſuitque Antipapa dictus *Benedictus X*. Sed eo pſeu-
do-Pontifice in Synodo Sutrienſi anno ſequenti,
ſeu MLIX. in ordinem redacto, pax Eccleſiæ red-
dita eſt & *Nicolaus* II. pacifice ſedit, fuit opti-
mus Pontifex, cujus eximias dotes *S. Petrus Damia-
ni* laudibus celebrat. De Magnis viris in Colle-
gium Cardinalium cooptandis adeo ſollicitus erat
ſummus iſte Pontifex, ut non ſolum admittere
noluerit demiſſionem *Petri Damiani* Cardinalis
Epiſcopi Oſtienſis, qui libellum ſupplicem ei
porrexerat, de Cardinalitio munere a ſe abdican-
do, ſed etiam *Deſiderium* Abbatem Caſſinenſem
ob præclara illius in Eccleſiam promerita, Car-
dinalem creaverit, ut videre eſt apud Baronium.
Nullus præteribat dies quo duodecim pauperum
pedes non ablueret *Nicolaus* II. teſte *S. Petro Da-
miani* in Opuſculo IX. quod inſcribitur *de Elee-
moſyna* cap. VIII. Multa Concilia celebravit tum
ad proſcribendam ſerpentem *Berengarii* Hæreſim,
tum ad ſanciendam & reſtituendam Eccleſiæ di-
ſciplinam, quæ in quarto Colloquio referemus.
Obiit ſanctiſſimus ille Pontifex Florentiæ anno
MLXI. cum ſediſſet annos duos, menſes ſex, &
dies viginti quinque, ut legitur in omnibus fere
Catalogis. Poſt *Nicolai* II. obitum ceſſavit Sedes
Pontificia *menſes ferme tres*, ſicut teſtatur *Leo* O-
ſtienſis lib. 3. cap. 20. ubi hæc habet: *Defuncto*
(Nicolao II.) *Florentiæ, cum ingens inter Ro-
manos ſeditio de ordinando Pontifice cœpiſſet exori-
ri, Hildebrandus Archidiaconus habito conſilio cum
Cardinalibus, nobilibuſque Romanis, ne diſſenſio
increſceret, Anſelmum Lucenſem Epiſcopum poſt
menſes ferme tres in Romanum Pontificem eligunt,
Alexandrumque* (II.) *vocari decernunt; noſtro
Deſiderio* (Abbate Caſſinenſi, & Presbytero Car-
dinali) *Romam cum Principe* (Nempe Norman-
norum) *proficiſcente. Quod cum Imperatrix*
(Agnes) *audiſſet una cum filio* (Henri-
co) *tulere gravius hoc ſine ſua auctoritate
geſta fuiſſe, Cadaloumque Parmenſem a Placen-
tino dumtaxat, & Vercellenſi Epiſcopis ipſa die Fe-
ſtivitatis Apoſtolorum Simonis & Judæ* (die ſci-
licet XXVIII. menſis Octobris ann. MLXI.) *in
Papam eligi faciunt*. Hinc *Cadalus*, ſeu *Cadalous*
in pſeudo Synodo Baſileenſi Antipapa creatus no-
men *Honorii* II. ſumpſit. Romanos pecunia & ar-
mis ſibi ſubjicere, conatus eſt, Urbemque non
ſemel aggreſſus, magnam Romanorum edidit
ſtragem, teſte *Leone Oſtienſi* loco mox a me lau-
dato. Sed ad nihilum reciderunt illius pſeudo-
Pontificis conatus. Adveniente quippe *Hottefre-
do* Tuſcorum Duce, & *Alexandro* II. legitimo

Digitized by Google

Pontifici ſuppetias ferente, repulſus fuit Antipapa, & in Conciliis *Papienſi*, *Florentino*, *Oſborienſi*, & *Mantuano* damnatus, atque per duos annos in Caſtello S. Angeli tanquam in carcere circumcluſus eſt, ex quo tamen poſtea aufugiens, inglorius & omnium rerum egenus peſſimam mortem incurrit. Quidam tamen poſt *Nicolaum* Cardinalem Aragonenſem dicunt, *Cadalum* Antipapam veniam ab *Alexandro* II. vero Pontifice, *condigna ſatisfactione præſtita*, impetraſſe. Quo tamen mortis genere, quo anno, quove loco iſte *Cadalus* Antipapa vitam ſuam terminaverit? incertum omnino eſt, quia omnes Scriptores de ejus morte ſilent. Ad tollendum iſtud ſchiſma diu multumque laboravit *S. Petrus Damiani*; qui duas ad *Cadalum* Antipapam graviſſimas ſcripſit Epiſtolas, ut ei ſceleris magnitudinem ob oculos poneret, ſed hunc virum flectere haud potuit, qui nihil Deum, multo minus homines verebatur. Extincto hoc ſchiſmate, *Alexander* II. pacifice ſedit, & Sanctiſſime gubernavit Eccleſiam. Ab eo *S. Petrus Damiani* poſt multas adhibitas preces obtinuit, ut Epiſcopatum Oſtienſem deponeret, & ad Eremum Fontis Avellani ſecederet, quem tamen interdum deſerere coactus eſt, ut nomine ſummi Pontificis Legationes ad Principes obiret. *Petrum* Florentinum Epiſcopum ſimoniacum depoſuit *Alexander II.* Primatum inter Cantuarienſem, & Eboracenſem in Anglia Epiſcopos controverſum, Cantuarienſi Archiepiſcopo adjudicavit. Monachos ſingulari affectu complectebatur, & ideo inhibuit, ne in Eccleſiis Cathedralibus Angliæ turbarentur, atque immunitatis privilegia multis Monaſteriis conceſſit, præſertim *Siſebergenſi* in Germania, *Corbejenſi*, *San-Dionyſiano*, & *Cluniacenſi* in Galliis. Ad extinguendum ſchiſma Photianum a *Michaele Cerulario* renovatum Conſtantinopolim Legatum miſit, ſed fruſtra. Viros litteratos impenſe coluit. Plura Concilia tam pro fide, quam pro diſciplina Eccleſiaſtica tuenda celebravit, de quibus ſuo loco, ideſt in quarto Colloquio agemus. Poſtremo, Sanctiſſimus ille Pontifex, cum ſediſſet annos XI. menſes VI. & dies XXI. ad Deum migravit die XXI. menſis Aprilis anni MLXXIII. quem magnis laudibus extollunt *Victor* III. Papa lib. 3. Dialog. *S. Petrus Damiani*, & *Bertoldus Conſtantienſis* in Chronico ad annum MLXI. Mortuo itaque *Alexandro* II. Romano Pontifice, *Hidelbrandus* Monachus Cluniacenſis, qui ſub ſummis Pontificibus *Leone IX.* *Victore* II. *Stephano X.* *Nicolao* II. & *Alexandro* II. præcipuis Eccleſiæ muneribus, & Legationibus perfunctus fuerat, electus eſt, invitus licet ac mœrens ſummus Pontifex die XXI. menſis Aprilis anni MLXXIII. dictuſque *Gregorius VII.* de quo Abbas *Tritbemius* lib. IV. *de Viris Illuſtribus Ordinis S. Benedicti* cap. XI. ſic loquitur: *Vir fuit multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, juſtitiæ, conſtantiæ, & religionis. Multa pro Eccleſiæ defenſione peregit & ſuſtinuit. Gregorium VII.* magnum fuiſſe Pontificem, in vindicandis Eccleſiæ juribus intrepidum, in reſtauranda Eccleſiæ Diſciplina ſtudioſiſſimum, aperte oſtendunt ea, quæ in ſuo Pontificatu præclare geſſit, ſive ad tollendos Eccleſiaſticarum Inveſtiturarum abuſus tanto temporum decurſu, tanta ſæcularium Principum authoritate obfirmatos: ſive ad Simoniam, quæ in Italia, Gallia, & Germania tum temporis latiſſime graſſabatur, penitus eradicandam; ſive denique ad cœlibatum Clericorum pene ab interitu revocandum. Quæ omnia forti ac conſtanti animo aggreſſus, felici exitu perfecit, renitentibus licet ſæculi Principibus, obſtrepentibus undique & inſultantibus adverſariis, Clericis videlicet, Sacerdotibus, & Epiſcopis conjugatis, vel concubinariis, qui, teſte *Lamberto Schafnaburgenſi* in Chronico, clamabant: *malle ſe Sacerdotium, quam conjugem deſerere*, quique vindictæ cupidi Principum animos in ſanctum illum Pontificem vehementer accendebant, præſertim *Henrici* Germaniæ Regis, qui *Gregorium* VII. diuturna ac pene perpetua perſecutione exagitavit, Romæ in cuſtodiam detruſit, *Guibertum* Ravennenſem quondam Epiſcopum Antipapam apud Brixiam creavit, dictum *Clementem* III. & occaſione Eccleſiaſticarum Inveſtiturarum, quas ſimoniace conferebat, funeſtam in Eccleſia excitavit Controverſiam, cujus originem ac progreſſum in proximo Colloquio exponemus. Hic breviter obſervaſſe ſufficiat, *Gregorio* VII. ab Henrico Germaniæ Rege injuſte vexato opem auxiliumque tuliſſe fœminas Principes, & cum primis religioſas, *Agnetem* videlicet Auguſtam, *Henrici* Regis Germaniæ matrem, *Beatricem* Godefridi Lotharingiæ & Tuſciæ Ducis uxorem, & præſertim *Mathildem* Comitiſſam, *Beatricis* filiam, quæ præ cæteris *Gregorium* VII. quem Chriſtianæ perfectionis Magiſtrum ſibi delegerat, conſiliis, opibus, copiis contra ſchiſmaticos juvit, & Liguriam, Tuſciamque Provincias Romanæ Eccleſiæ donavit. Inde orta eſt ſacra illa neceſſitudo, quæ *Gregorio* VII. cum Comitiſſa *Mathilde* de Sede Apoſtolica optime merita interceſſit. Ex qua tamen Clerici, quibus uxorum uſum, vel concubinarium conſortium prohibebat *Gregorius* VII. anſam & occaſionem arripuerunt hujus ſanctiſſimi Pontificis famam proſcindendi, quaſi furtivis *Mathildis* amoribus frueretur. Sed nota omnibus utriuſque caſtitas putidas illas obtrectationes mendaciorumque portenta, quæ noſtri temporis hæretici ad infamandam Sedem Apoſtolicam refricare non erubeſcunt, aperte falſi convincit; *ſigna etiam & prodigia quæ per orationes Papæ* (Gregorii VII.) *frequentius fiebant, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo & Eccleſiaſticis legibus ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant*, inquit *Lambertus Schafnaburgenſis* ad annum MLXXVII. Undecim Concilia celebravit *Gregorius* VII. in quibus multa tam pro fide contra Hæreticum *Berengarium* vindicanda, quam pro reſtituendo Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vigore ſtatuit, quæ in Colloquio quarto agendo de Conciliis referemus. Denique, ſanctiſſimus ille Pontifex ſpiritum Deo reddidit die XXV. menſis Maji anni MLXXXV. Salerni, quæ virtute & induſtria *Roberti Guiſcardi* Siciliæ, Apuliæ,

liæ, & Calabriæ Ducis a furore *Henrici* Germaniæ Regis ereptus confugerat. Propediem moriturus in hæc verba erupit: *Dilexi juſtitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio*. Miraculis poſt mortem claruit, fuitque laudatus non ſolum a *S. Anſelmo* Lucenſi Epiſcopo, a *Willelmo* Abbate Monaſterii Metenſis in Epiſtola a *Mabillonio* Tomo I. *Analectorum* pubblicata, ſed etiam a Scriptoribus illius temporis omnibus, paucis exceptis Henricianæ factioni adhærentibus, quos inter numerari debet *Sigebertus*, quem ſanctiſſimi hujus Pontificis famam calumniis arrodere non puduit. Vitam Gregorii VII. *Paulus Bernriedenſis* Canonicus Regularis circa annum Mcxxxi. edidit, quæ nunc in Actis Bollandianis ad diem xxv. menſis Maji legitur. Nomen *Gregorii* VII. in Martyrologio Romano, cujus correctionem anno Mdlxxxiv. fieri curavit *Gregorius* XIII. ad diem xxv. menſis Maji inſertum eſt, quod retentum eſt in editione ejuſdem Martyrologii a *Baronio* Annotationibus aucti, *Sixto V.* ſedente facta, in qua hæc verba leguntur: *Salerni depoſitio Beati Gregorii Septimi Eccleſiaſticæ Libertatis propugnatoris acerrimi*. *Paulus Bernriedenſis* in vita *Gregorii* VII. cap. 12. refert, Sanctiſſimum illum Pontificem rogatum, antequam moreretur, ut in tanta fidelium perturbatione ſibi ſucceſſorem deſignaret, tum pietate, & doctrina inſignium virorum dediſſe optionem, videlicet *Deſiderii* Cardinalis, & Abbatis Cœnobii Caſſinenſis, *Ottonis* Epiſcopi Oſtienſis, & *Hugonis* Archiepiſcopi Lugdunenſis. Quapropter, defuncto *Gregorio* VII. omnium votis electus eſt anno Mlxxxvi. *Deſiderius* Cardinalis, & Abbas Caſſinenſis, atque per vim Pontificiis inſignibus ornatus, quibus tamen ipſe paulo poſt præ ſingulari modeſtia depoſitis, ad Monaſterium Caſſinenſe perrexit, ubi anno pene integro hanc ſupremam Eccleſiæ dignitatem conſtanter recuſavit, ſed tandem in Concilio Capuano, Cardinalium, Epiſcoporum, Principumque precibus victus, & Eccleſiæ charitate compulſus eam ſuſcepit, Romamque profectus anno Mlxxxvii. ſolemni ritu Pontifex Romanus conſecratus eſt, dictuſque *Victor* III. Ægre admodum tulit *Hugo* Archiepiſcopus Lugdunenſis (unus e tribus, quos *Gregorius* VII. paulo ante mortem ſuam ad Pontificatum deſignaverat) quod *Deſiderius*, ſeu *Victor* III. Pontificatus inſignia reſumpſiſſet, videnſque nullam ſibi amplius affulgere ſpem aſſequendi Pontificatum, cui tamen ardenter inhiabat, in *Victorem* III. blaterare cœpit, ejuſque famam calumniis proſcidit in Epiſtola, quam ad Comitiſſam *Mathildem* ſcripſit, & quæ ab *Hugone Flaviniacenſi* in Chronico Virdunenſi, & tomo 10. Conciliorum refertur. His calumniis injuſte appetitus *Victor* III. Synodum Beneventanam celebravit, in qua *Hugonem* Archiepiſcopum Lugdunenſem, & *Ritbardum* Abbatem Maſſilienſem, qui eodem ſpiritu ferebatur, a Communione ſuſpendit, ut refert *Leo Oſtienſis* lib. 3. cap. 71. Multa etiam a *Guiberto* Antipapa ab Henrico Germaniæ Rege creato paſſus eſt *Victor* III. ſed nihiloſecius animum ad res Eccleſiæ, & Reipublicæ promovendas adjecit. Expeditionem in Saracenos ſuſcepit, miſſoque in Africam ſub vexillo S. Petri ingenti Chriſtianorum exercitu, centum millia Saracenorum cæcidit, cujus inſignis victoriæ, eadem die, qua reportata fuit, nuntius in Italia miraculoſe acceptus eſt, ut ſcribit citatus *Leo Oſtienſis* lib. 3. cap. 70. Beneventi infirmitate correptus *Victor* III. in Cœnobium Caſſinenſe ſe reportari juſſit, ubi, cum morbus ingraveſceret, parato ſibi ſepulchro, obiit xvi. Kalend. Octobris anni Mlxxxvii. admonitis prius Cardinalibus, ut, ſe mortuo, nullum, præter *Ottonem* Epiſcopum Oſtienſem, deligerent Pontificem. Nomen Victoris III. in Martyrologio Benedictino ad diem xvi. menſis Septembris inſcriptum eſt. Quatuor *Dialogorum* libros de Sancti *Benedicti* & Sanctorum Monachorum Caſſinenſium miraculis compoſuit doctiſſimus iſte Pontifex, quorum tres priores editi ſunt tomo 18. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunenſis, ſed deeſt quartus, qui temporum injuria periiſſe videtur. Defuncto *Victore* III. Cardinales anno Mlxxxviii. apud *Terracinam* Campaniæ Oppidum convenientes, *Ottonem* Epiſcopum Oſtienſem, ob vitæ ſanctimoniam, & doctrinam ſingularem, Romanum Pontificem elegerunt, dictum *Urbanum* ii. natione Gallum, profeſſione Monachum Cluniacenſem, qui ut ſcribit *Ordericus* lib. 8. *miſit Legatos & epiſtolas Francis, & Græcis, aliiſque gentibus per orbem conſtitutis, ut in Fide Catbolica irrefragabiliter perſiſterent, & omnem ſciſſuram a lege Dei & Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, callide præcaverent. Solus Henricus Teutonum Princeps, & pediſſequi ejuſdem Guiberto* (Antipapæ) *cohærebant*. Multa Concilia tam in Italia, quam in Galliis, quo ſe tanquam ad aſylum receperat, celebravit *Urbanus* ii. quæ in quarto Colloquio referemus. Fertur, *Urbanum* ii. privilegium *Rogerio* Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Duci conceſſiſſe, quo ipſi indulſit, ut nullum in ſuis Ditionibus Sedis Apoſtolicæ Legatum recipere teneretur, qui præter voluntatem ejus miſſus eſſet; immo, ut ipſemet auctoritate Apoſtolica, quæ per Legatum Sedis Apoſtolicæ cohibenda forent, cohiberet. Verum hoc *Urbani* ii. privilegium (in quo quidam Scriptores Siculi ſuam fundant Monarchiam, & cujus Autographum hactenus lucem non vidit) aut nunquam datum, aut ſaltem interpolatum eſſe, multis momentis evincunt *Baronius* Tomo xi. Annalium ad annum Mxcviii. & *Spondanus* ad eumdem annum, quorum argumentis alia addere velle, aliquid decerpſiſſe eſt. Hic breviter tantum annotabo, paucis abhinc annis gravem de hoc *Urbani* ii. privilegio exarſiſſe contentionem, & hinc inde hoc de argumento libros fuiſſe conſcriptos, quos inter, potiſſimum a viris eruditis commendatur liber italico idiomate editus, cui

Digitized by Google

titulus eſt: *Iſtoria della preteſa Monarchia di Sicilia*. Romæ, anno MDCCXV. Verum hanc controverſiam *Clemens* XI. auctoritate Pontificia diremit, ſolemni publicato Decreto, quo Monarchiam Siculam abolevit, ac in refragantes Siculos Excommunicationis, & *Interdicti* Cenſuris animadvertit. Nun plura addam de Romanis Pontificibus, qui Sæculo undecimo Sedem Romanam tenuerunt, quia *Urbanus* II. Pontifex Maximus, cujus mentionem mox feci, eorum ſeriem claudit, utpote vita functus anno MXCIX. cum ſediſſet annos undecim, menſes quatuor, & dies octodecim.

D. In Colloquio ſecundo in Hiſtoriam noni Sæculi ſeriem Patriarcharum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ terminaſti, ſi bene memini, in *Nicolao* dicto *Myſtico*, qui ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum anno octingenteſimo nonageſimo quinto ſublimatus eſt. Nunc itaque breviter texenda eſt, juxta accuratiorem calculum, ſeries Patriarcharum, qui *Nicolao Myſtico* ſucceſſerunt, & ſæculis X. XI. Conſtantinopolitanam ſedem tenuerunt.

M. Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ab anno octingenteſimo nonageſimo quinto uſque ad annum nongenteſimum ſextum, hoc eſt, per undecim annos, ut inquit *Zonaras*, cum præfuiſſet *Nicolaus* dictus *Myſticus*, a *Leone* Imperatore, dicto *Sapiente*, fuit relegatus in *Hieram*, ubi Monaſterium erat ab hoc Patriarcha conditum, huic exilio occaſionem dedit zelus Sancti illius Patriarchæ, qui quartas nuptias, quas *Leo* Imperator cum *Zoe* inierat, tanquam Orientalis Eccleſiæ legibus omnino contrarias libere ac conſtanter reprehendebat. In locum *Nicolai Myſtici* in exilium pulſi ſubrogatus fuit *Euthymius*. Verum, mortuo *Leone* Imperatore anno nongenteſimo undecimo, & imperante *Alexandro* fratre *Leonis*, e Sede dejectus eſt *Euthymius*, & in Patriarchatum Conſtantinopolitanum reſtitutus *Nicolaus Myſticus*, quem poſt reſtitutionem ſuam per annos quatuordecim optime geſſit, & obiit anno nongenteſimo vigeſimo quinto, ejuſque nomen in Menæis Græcorum inſcriptum eſt, ut videre eſt apud *Bollandum* ad diem XV. menſis Maji. Mortuo *Nicolao Myſtico* anno nongenteſimo vigeſimo quinto ſucceſſit in Sede Conſtantinopolitana *Stephanus* Amaſeæ Metropolita, qui, ut ſcribunt Hiſtorici Byzantini, Patriarchatu Conſtantinopolitano potitus eſt annos duos, menſes undecim, & e vivis exceſſit anno nongenteſimo vigeſimo octavo. *Stephanum* in Sede Conſtantinopolitana excepit *Tryphon* Monachus religioſis moribus ac ſanctitate probatus, qui tamen ad certum dumtaxat tempus Patriarcha Conſtantinopolitanus ordinatus eſt, donec videlicet *Theophylactus*, filius *Romani Lacapeni* Imperatoris, maturæ ætatis annos attingeret, & ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum promoveri poſſet. Sedit *Tryphon* annos tres, juxta Catalogum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, qui legitur libro 4. Juris Græco-Romani, donec videlicet *Theophylactus* ætatem legitimam attigiſſet, hoc eſt, uſque ad annum nongenteſimum trigeſimum primum, quo *Tryphon* per dolum, ſeu per reſignationem, quam ab ipſo *Theophanes* Cæſareæ Epiſcopus aſtu, maliſque artibus extorſit, ſolio Patriarchali a *Romano Lacapeno* Imperatore exturbatus eſt, ut *Curopalates*, aliique Hiſtorici Byzantini narrant, Sanctum *Tryphonem* Patriarcham Conſtatinopolitanum colunt Græci die XIX. Aprilis, ut videre eſt in eorum Menæis, quæ ad eamdem diem XIX. Aprilis in Actis Sanctorum Bollandianis citata reperiuntur. Amoto Sancto *Tryphone* e Sede Conſtantinopolitana anno nongenteſimo trigeſimo primo, juſſu *Romani Lacapeni* Imperatoris; *Theophylactus* ejus filius annos licet natus dumtaxat ſexdecim ordinatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno nongenteſimo trigeſimo tertio, & ob juvenilem adhuc ætatem, ut ait Cedrenus, *ſub pædagogis (proh indignam rem!) aliquandiu egit*. Unde non mirum quod ille Aulicus Patriarcha curandis equis, mollitiei, & luxuriæ ſtudium omne, operamque poſuerit, ut teſtatur incertus Continuator Theophanis. Mortuus eſt indignus ille Patriarcha anno nongenteſimo quinquageſimo quinto poſtquam Patriarchatu Conſtantinopolitano functus fuiſſet annos tres ſupra viginti & dies viginti quinque; ut tradunt Hiſtorici Byzantini. Ejus loco ſuffectus eſt *Polyeuctus* Monachus, qui a teneris unguiculis ſanctioris vitæ inſtitutum ſectatus omni virtute, ſanaque doctrina excellebat. *Nicephorum Phocam* Imperatorem coronavit, & *Theodorum* ſanctiſſimum Eremitam Antiochenum Patriarcham conſecravit. Obiit *Polyeuctus* anno nongenteſimo ſeptuageſimo, ejuſque nomen in Græcorum Menæis adſcriptum eſt ad diem V. menſis Februarii. Poſt obitum Sancti *Polyeucti* Thronum Conſtantinopolitanum conſcendit *Baſilius*, vir omnis generis excellentiis clarus, qui tamen anno nongenteſimo ſeptuageſimo quarto invidia Epiſcoporum apud *Joannem Tzmiſcem* Imperatorem calumniam paſſus, ab eo in exilium miſſus eſt, teſte *Leone* Diacono, & in ejus locum ſubſtitutus fuit *Antonius Studita*, qui, ut ſcribit idem *Leo* Diaconus, in *Studii* Monaſterio a juventute aſceticam profeſſus diſciplinam, vitam ducebat Apoſtolicam. Sed vir ille præclaris virtutibus cumulatiſſime inſtructus Patriarchatui Conſtantinopolitano ineunte anno nongenteſimo ſeptuageſimo nono nuncium ultro remiſit, & Eccleſia Conſtantinopolitana poſt illius abdicationem per annos quatuor & dimidium manſit viduata paſtore, ſicut teſtantur *Cedrenus* & *Zonaras*. Quapropter, *Nicolaus* II. dictus *Chryſoberges* fuit tantum Patriarcha Conſtantinopolitanus conſtitutus paulo poſt medium anni nongenteſimi octogeſimi tertii. Patriarchatum Conſtantinopolitanum tenuit *Nicolaus Chryſoberges* per an. XII. & menſes VIII. ut ſcribit *Cedrenus*, ac ſubinde vita functus eſt anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, quo anno ei in Sede Conſtantinopolitana ſucceſſit *Siſinnius*, vir inſignis, & medicæ artis peritiſſimus, ut ait idem *Cedrenus*. Fuit tamen Patriarcha *Siſinnius* valde infenſus Eccleſiæ Latinæ quippe qui, ut jam obſervavimus in Colloquio tertio in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi, nihil non egit, ut ſchiſma Photianum renovaret, ſed nec conſilium, quod meditabatur, executioni

manda-

Digitized by Google

mandare, nec pacem, quæ vigebat Eccleſiam Orientalem inter & Occidentalem, perturbare potuit. Præfuit *Siſinnius* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ annis tribus, teſte *Cedreno*, & vitam cum morte commutavit anno nongenteſimo nonageſimo nono, quo ſucceſſorem habuit *Sergium*, qui a *Photio* Patriarcha quondam Conſtantinopolitano cum ſuum genus duceret, ad illum defendendum Byzantii Synodum coegit, ejuſque calumnias in Eccleſiam Latinam refricuit; Schiſmate tamen, ut maxime in votis habebat, Orientalem Eccleſiam a Latina ſeparare minime potuit. Abiit e vivis *Sergius* anno MXIX. cum per viginti annos Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexiſſet, ſicut fidem faciunt *Curopalates*, *Cedrenus*, *Zonaras*, & auctor Catalogi Epiſcoporum Byzantinorum libro 4. Juris Græco-Romani. Eodem anno MXIX. *Euſtathius* conſecratus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus. Hic ille eſt Patriarcha, qui a *Joanne* XIX. Pontifice Romano obtinere conatus eſt, ut Eccleſia Conſtantinopolitana diceretur *Univerſalis*, ſicut Eccleſia Romana. Qua in petitione repulſam jure merito paſſus eſt. Patriarchatu Conſtantinopolitano potitus eſt *Euſtathius* uſque ad annum MXXV. quo mortuus eſt, & poſt ipſius obitum *Baſilius* Imperator *Alexium* Studiani Collegii Magiſtrum in ſolio Patriarchali collocavit. Hic Patriarcha *Alexius* coronavit Imperatorem *Conſtantinum Monomachum*, & præfuit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ uſque ad annum MXLIII. quo rebus humanis exceſſit, eique ſuffectus eſt *Michael Cerularius* qui renovavit, ac firmavit ſchiſma Photianum, & pacis vinculum Eccleſiam Orientalem inter & Occidentalem penitus abrupit. Teſtatur ſiquidem *Michael Calecas* lib. 4. adverſus Græcos, unitatem Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali duraſſe poſt Photium per decem & ſeptem Patriarchas uſque ad *Michaelem Cerularium*, quo Romani Pontificis nomen propter Azyma e Diptychis Eccleſiaſticis expunxit. Sed de hoc *Michaelis Cerularii* ſchiſmate, quod etiamnum durat, opportunius in proximo Colloquio diſſeremus. Satis ſit hic obſervaſſe, *Michaelem Cerularium* Patriarchatu Conſtantinopolitano ab *Alexio Comneno* Imperatore dejectum in exilium fuiſſe relegatum anno milleſimo quinquageſimo nono, ubi diem clauſit ultimum, poſtquam, juxta accuratiorem calculum, annos ſexdecim & menſes circiter tres Eccleſiam Conſtantinopolitanam adminiſtraſſet. Mortuo *Michaele Cerulario*, Patriarchatum Conſtantinopolitanum adeptus eſt *Conſtantinus Lichudes*, eumque tenuit uſque ad annum MLXIV. quo ex hac vita migravit, cum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfuiſſet annos quatuor, & menſes ſex, ut legitur in *Zonara*, & in ſerie Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum edita in Codice Juris Græco-Romani. Poſt Patriarchæ *Lichudis* obitum in Pontificiam Conſtantinopoleos ſedem, evectus eſt *Joannes Xiphilinus*, Vir, teſte *Zonara*, omni doctrinæ genere eruditus, qui tamen cum alio *Xiphilino*, qui *Dionem* in compendium redegit, confundi haud debet, ut oſtendam in Colloquio quinto agendo de viris illuſtribus, qui X. & XI. Eccleſiæ ſæculis floruerunt. *Gretzerus*, Tom. 2. *de Cruce* aliquas *Xiphilini* Patriarchæ Conſtantinopolitani Homilias exhibet. Clariſſimus etiam *Pagius* ad annum MLXXV. aſſerit, alias Homilias in Evangelia Dominicalia totius anni ab eodem *Xiphilino* Patriarcha Conſtantinopolitano ſcriptas fuiſſe, quæ MSS. adhuc extant in Bibliotheca Vaticana. Mortuus eſt *Joannes Xiphilinus* Patriarcha Conſtantinopolitanus die ſecunda menſis Auguſti anni milleſimi ſeptuageſimi quinti, eique ſucceſſit *Coſmas* Monachus pietate inſignis, qui, ut ſcribit *Anna Comnena* libro 3. *Alexiados*, Imperatorem *Alexium Comnenum* coronavit, & Patriarchalem dignitatem ultro abdicavit, anno milleſimo octogeſimo primo, *poſtquam eam tenuiſſet annos quinque & menſes novem, ſeceſſitque in Monaſterium Galliæ*. Anno itaque milleſimo octogeſimo primo *Coſmæ* Patriarchalem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dignitatem abdicanti ſucceſſit *Euſtratius Garida*, ſeu potius, ut ſcribit *Zonaras*, hanc Patriarchicam dignitatem invaſit, quam per annos tres cum uſurpaſſet, ea dejectus eſt anno milleſimo octogeſimo quarto, *atque in ejus locum ſuffectus fuit Nicolaus Monachus, cognomento Gramaticus, qui in ſtudio virtutis ætate acta litterarum non rudis erat*, inquit idem *Zonaras* in Alexio Comneno. Porro, hic Nicolaus hujus nominis III. Patriarcha Conſtantinopolitanus e vivis ſublatus eſt anno milleſimo centeſimo undecimo, poſtquam per viginti & ſeptem annos præfuiſſet Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut teſtatur idem *Zonaras* loco mox a melaudato his verbis: *Patriarcha Nicolaus, Eccleſia per annos viginti ſeptem gubernata, ſenex ad modum deceſſit, cujus funus Imperator* (ideſt, *Alexius Comnenus*) *magnificis honoribus proſecutus eſt*. Hi ſunt in ſumma omnes Patriarchæ, qui ſæculis Eccleſiæ X. & XI. Sedem Conſtantinopolitanam tenuerunt. (*a*)

„ (*a*) Mendum aliquod chronologicum in anno „ obitus Teophylacti Graveſonio hic obrepſit, „ nam ſi Patriarchatus ejus initium aſſignemus „ anno Chriſti 933. die 2. Februarii, atque inde „ ſupputemus annos 23. & dies vigintiquinque, „ quot in ea cathedra ſedit juxta omnes catalogos, pertingemus ad annum 956. menſis Februarii, die 25.

„ Antonius Studita ex ſupputatione Bollandianorum in præliminaribus ad to. 1. Auguſti anno 978. nuncium epiſcopatui remiſit; tum ſedes Conſtantinopolitana annis quatuor cum dimidio vacavit; quibus expletis anno 982. Nicolaus II. aſſumptus eſt, tenuitque ſedem uſque ad annos 995.

„ Dein ſedit Siſinnius II. uſque ad annum 999. „ cum catalogi eidem aſſignent annos tres, „ nec eſt incongruum menſes aliquot, a catalogis „ neglectos ut interdum accidit, adjungere. Hunc „ excepit Sergius II. qui cum annos viginti in „ cathedras ſederit completos, ut Cedrenus ſcribit, & forte menſes aliquot, obiiſſe oportet anno 1019. Ejus in loco ſuffectus eſt Euſtathius „ qui uſque ad annum 1025. vixit Patriarcha. „ Succeſſor ei datus eſt Alexius uſque ad annum „ 1043. quo & Michael Cerularius in cathedram „ aſcendit. Exactus eſt e Throno Cerularius anno „ 1058. cum ex catalogis annos quindecim ſederit.

Digitized by Google

,, Sequenti anno 1059. aſſumptus eſt Conſtantinus
,, III. cognomento Lichudes; ac tandem anno
,, 1063. vitam cum morte commutavit. Poſt Li-
,, chudem venit Xiphilinus ab anno 1064. uſ-
,, que ad 1075. Venit poſt illum Coſmas I. ab an-
,, no 1075. ad 1081. Patriarcha, quo tandem an-
,, no Euſtratius Garida occepit, & anno 1083.
,, exauctoratus eſt. Pone ſecutus eſt Nicolaus III.
,, qui anno 1111. & cathedra, & vita deceſſit.
,, Hæc deſumpta ſunt ex Continuatoribus Bollan-
,, dianis, qui omnium poſtremi Chronotaxim Præ-
,, ſulum Conſtantinopol. accurate diſcuſſerunt in
,, Prolegomenis ad diem 1. Auguſti.

D. Hæc quæ hactenus dixiſti de ſerie Epiſcoporum, qui præcipuas Sedes, Romanam ſcilicet & Conſtantinopolitanam, Sæculis Eccleſiæ X. & XI. tenuerunt, attente hodie cogitabo. Soleo ſiquidem, Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratia, quid quoquo die dixerim, audiverim, egerim commemorare veſperi. Sic firmior redditur memoria, quam *Cicero* merito appellat *Theſaurum omnium rerum*, quæ niſi cuſtos inventis excogitatiſque rebus & verbis adhibeatur, experientia intelligimus, omnia, etiamſi præclara fuerint, diu conſervari non poſſe.

COLLOQUIUM III.

De Schiſmatibus & Hæreſibus, quæ ſæculis decimo & undecimo Eccleſiam funeſtarunt.

M. Quamvis decimo Sæculo, ut jam præmonuimus, fœdiſſimas Eccleſiæ maculas aſperſerit quorumdam Romanorum Pontificum, & diverſis in locis Epiſcoporum vita; nulla tamen (quod ſingulare divinæ providentiæ beneficium fuit) errorum, ſchiſmatum, & Hæreſum monſtra eo ſæculo prodierunt. At Sæculo undecimo, quo, depulſis ignorantiæ tenebris, litteræ reviviſcere, & doctrina poſtliminio revocari cœperunt, Infernus evomuit Hæreſes, & Eccleſiæ ſinum Schiſmata dilacerarunt, præſertim illud, cujus auctor fuit *Michael Cerularius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Orientalem Eccleſiam ab Occidentali penitus divulſit, & faciem Orientalis Eccleſiæ olim ſanctitate & doctrina celeberrimæ funeſta illa ſeparatione, quæ ad noſtra uſque tempora perſeverat, ſic lugubrem reddidit, ut nullus ſit tam durus ac ferreus, qui tot Chriſtianorum, Schiſmaticorum, qui in Oriente pereunt, vel duro Turcarum jugo oppreſſi ingemiſcunt, miſeriis non commoveatur, ac multam lacrymarum vim profundat?

D. Cum ex ignorantia, diſſenſionibus, morumque corruptela Hæreſes & Schiſmata ſuam ut plurimum originem habere ſoleant, juraſſem profecto multas Hæreſes, diraque ſchiſmata erupiſſe decimo Eccleſiæ Sæculo, cujus craſſam ignorantiam, neglectum litterarum, morum depravationem, bellorum exitia, raros, & hoc nomine parum dignos Pontifices, immanem demum & ubique graſſantem quidvis audendi & agendi licentiam in ſuperiori noſtro Colloquio deſcripſiſti. Cum itaque, volente, & in rem Eccleſiæ ſuæ ita mirabiliter diſponente Deo, nullæ decimo ſæculo enatæ ſint Hæreſes, nullave ſuborta ſchiſmata, in eas Hæreſes, & ſchiſmata in præſenti noſtro Colloquio inquirere debemus, quæ undecimum Eccleſiæ Sæculum infeſtarunt.

M. Deſcripturus Hiſtoriam Hæreſum, quibus Eccleſia undecimo ſæculo fuit exagitata, incipiam, ac breviter me expediam ab illis Hæreſibus, quæ minus celebres fuerunt, & in referenda *Berengarii* Sacramentariorum parentis hæreſi, quæ graviores in Eccleſia tumultus excitavit; conſulto diutius immorabor. In primis ineunte undecimo Eccleſiæ Sæculo, hoc eſt, circa annum MXXII. Regnante in Galliis *Roberto* filio *Hugonis Capeti*, detecta eſt in Urbe Aurelianenſi, *cruda nimium atque inſolens hæreſis, quæ licet diutius occulte germinata, in perditionis ſegetem male pullulans, plures in ſuæ cæcitatis præcipitavit laqueum*, ut ait *Gaber Rodulphus* Monachus lib. 3. Hiſtoriæ cap. 8. Hæc autem Hæreſis, quæ erat Manicheæ propago *Stephano* Aurelianenſis Eccleſiæ S. Petri Puellaris ſcholaſtico, & *Liſojo* Eccleſiæ ſanctæ Crucis ejuſdem urbis Canonico, viris religioſis & ſapientiæ opinione magno in honore habitis, ac per illos compluribus aliis tam ex Clero, quam ex populo Aurelianenſi peſtiferum virus afflavit. De hac peſte in ſuo Regno adhuc latitante & occulte ſerpente *Robertus* Gallorum Rex admonitus ab *Areſaſto*, viro nobilitate, morum integritate, & prudentia ſpectatiſſimo, confeſtim operam dedit, ut ad exterminandam gliſcentem illam hæreſim convocaretur Synodus Aurelianenſis, de qua in proximo noſtro Colloquio agemus. Ad hanc Aurelianenſem Synodum, cui Rex *Robertus*, ejuſque conjux *Conſtantia* interfuerunt, adducti hæretici a ſatellitibus Regiis comprehenſi fideique ſuæ rationem coram reddere juſſi, errores ſuos ſibi male conſcii de induſtria diſſimularunt. Sed *Areſaſtus*, qui ad expiſcandos horumce hæreticorum errores Aurelianum venerat, & ex conſilio *Ebrardi* religioſiſſimi Eccleſiæ Aurelianenſis Clerici, ſimulato hujus ſectæ habitu, ad illorum admiſſus Colloquium, omnia eorum arcana audierat, penitius introſpexerat, & memoriæ commendaverat, Regis *Roberti*, & præſentium Epiſcoporum juſſis obtemperans, illa in Concilio palam retexit ac revelavit: quæ hæretici negare non audentes, ſed illa deteſtari nolentes, *communi conſenſu & voluntate omnium convicti, omnes perpeſſi ſunt ignis incendium*, uno Clerico, & ſanctimoniali exceptis, quibus Deus pœnitentiam dedit, ſicut legitur in *Chronico S. Petri Vivi* Senonenſis Ord. S. Benedicti, quod extat Tomo 2. Spicilegii Dacheriani. Teſtatur etiam *Ademarus*, qui eodem tempore floruit, in ſuo Chronico apud *Labbeum* Tomo 2. Bibliot. pag. 180. apud Toloſam inventos eſſe Manichæos, qui itidem deſtructi ſunt, & eodem igni ſupplicio puniti.

D. Quos errores ſpargebant novelli iſti Manichæi in Galliarum Regno undecimo Sæculo detecti?

M. Impiæ illius ſectæ errores, quos mulier quædam ex Italia in Gallias advexerat, ut teſtantur

Baro-

Baronius, & *Spondanus* ad annum MXVII. *Areſaſtus*, ut mox dixi, prodidit in Concilio Aurelianenſi, quos hic referam, ſicut leguntur in actis ejuſdem Concilii, quæ exstant apud *Lucam Dacherium* Tomo 2. Spicilegii. Docebant itaque novelli iſti Manichæi, Chriſtum de Virgine Maria non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec vere in ſepulchro poſitum, nec a mortuis reſurrexiſſe. Aſſerebant inſuper, in Baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem, neque Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti in conſecratione Sacerdotis. Sanctos Martyres, atque Confeſſores implorare pro nihilo ducebant. Bona opera inania, ac ſuperflui laboris eſſe effutiebant; hinc libidini & luxoriæ ſeſe totos turpiter dedentes, certis noctibus congregabantur, & ſinguli lucernas in manibus tenentes, Dæmonum nomina inſtar Litaniæ recitabant, donec Dæmon ſub forma alicujus Beſtiolæ inter eos appareret, quo ſe illis conſpicuum exhibente, ſtatim luminaria extinguebant, & quam primum quiſque poterat mulierem quæ ad manum veniebat, promiſcua libidine arripiebat, nulla peccati habita ratione, immo occurrentem matrem, ſororem, aut Monacham indiſcriminatim conſtuprabant, idque etiam pro ſanctitate, & Religione hujus concubitus honoris loco ducebant. Ex eo autem ſporciſſimo concubitu procreatus infans, octava die in medio eorum copioſo igne accenſo probabatur per ignem juxta morem Ethnicorum, & in igne cremabatur, ipſiuſque cineres tanta veneratione colligebantur, atque cuſtodiebantur, quanta Corpus Chriſti Domini dandum ægris propediem morituris ad Viaticum in Eccleſia aſſervatur. Ea porro illis cineribus combuſti pueruli inerat vis diabolicæ fraudis, ut quicumque nefandæ illius Sectæ Myſteriis ſemel initiati illos vel tantillum prælibaſſent, vix unquam poſtea ab ea Hæreſi reſilire, & ad gremium Eccleſiæ Catholicæ redire poſſent. Sic Diabolus, infenſiſſimus generis humani hoſtis, ſacrilegis iſtiuſmodi ſuperſtitionibus miſeros illos deludebat hæreticos, quos inter tamen, quod maxime dolendum eſt, multi erant *ex melioribus ipſius Civitatis Aurelianenſis Clericis*, ſicut legitur in Chronico jam citato S. *Petri Vivi*.

D. Jure optimo vivicombuſtio damnati ſunt illi Hæretici, qui in cœno libidinum immerſi parvulos ex nefando coitu progenitos accenſo rogo ſcythica crudelitate concremabant. Sed dicas, amabo, fuit ne hæc nova Manichæorum Hæreſis hoc pacto prorſus extincta?

M. Hæc nova Manichæorum hæreſis fuit quidem in Galliis omnino extincta, ſed ſub finem undecimi Eccleſiæ Sæculi in Oriente repullulare cœpit, ac multorum animos infecit. At enim imperante in Oriente *Alexio Comneno* Hæreſim dictam *Bogomilorum* ex Meſſalianorum, & Manichæorum deliriis conflatam deliminavit quidam *Baſilius* Medicus, qui Monachi habitu incedens, pellem leoninam, qui vere aſinus erat, quacumque erat ex parte trahebat, *facie macilentus*, *mento glaber*, *ſtatura procerus*, *ad impietatem pertractandam callidiſſimus*, ſicut eum graphice depingit *Anna Comnena*, Imperatoris *Alexii Comneni* filia omni ſcientiarum laude clariſſima libro XV. Alexiados. Is itaque *Baſilius* Byzantium ingreſſus in manifeſto Hæreſis crimine fuit deprehenſus; Imperator ſiquidem *Alexius Comnenus* conſulto ſimulavit, ſe iſtius *Baſilii* Hæreſis *Bogomilorum* Principis diſcipulum fieri velle, eique fidem habere, & omnia, quæ ab illo dicebantur, tanquam Oracula æſtimare. Eum menſa excepit, & Magiſtrum, atque ſervatorem errantium animarum appellavit. Hamum facile voravit ambitioſus *Baſilius*, & his laudibus inflatus doctrinam ſuam vulgavit, virus improbitatis ſuæ evomuit, & omnia execrandæ ſuæ hæreſeos Dogmata coram Imperatore eructavit; quam ob rem a Dæmonibus ægre ferentibus quod illa arcana Imperatori ſectæ proſelytum ſimulanti manifeſtaſſet, & perſecutionem contra errorem induxiſſet, ſaxis, ex ſe ſe inſtar grandinis irruentibus in cella, in qua cuſtodiebatur, noctu impetitus eſt, ut refert *Anna Comnena*. Nihil non egit Imperator, ut *Baſilium* a pravis dogmatibus ad Catholicam fidem revocaret. Sed cum nefarius ille hæreticus obſtinato animo mordicus illis inhæreret, nec ultionem nec aliorum tormentorum genera pertimeſceret, in Hyppodromo Conſtantinopolitano vivus exuſtus eſt, ut refert *Zonaras* in *Alexio Comneno* Imperatore. Sed damnatio prædicti *Baſilii*, ejuſque ſociorum præſertim legenda eſt apud *Annam Comnenam*, quæ loco mox a me laudato, omnia etiam minutiſſima elegantiſſimo ſtylo in ſua Hiſtoria *Alexaidos*, quæ poſt obitum Baronii edita eſt, proſequitur. *Alexius Comnenus* Imperator, & pater *Annæ Comnenæ*, in reducendis ad veram fidem Hæreticis *Bogomilis* plurimam operam poſuit, multique ex his revera reſipuerunt; qui vero animum in errore obfirmarunt, & in eo pervicaciter perſeverarunt, Crucem in morte quoque averſati ſunt. Nam cum *Alexius Comnenus* Imperator pyras duas parari conſulto juſſiſſet, quarum uni Crux ſupereminebat, altera Cruce carebat: Hæretici *Bogomili* ad ignem damnati, pyram Cruce carentem nihil cunctantes, eo quod prædicti hæretici, præter alios errores, quibus erant infecti, impie aſſererent, Crucem eſſe deſpiciendam, quod in ea Salvator occiderit, ſicut teſtatur *Anna Comnena* lib. XV. *Alexaidos*, qui etiam refert, *Alexium Comnenum* Imperatorem juſſiſſe *Euthymio*, ut ridicula iſtius hæreſis arcana patefacta atque convicta litterarum monumentis traderet, idque ab eodem Euthymio præſtitum fuiſſe in libro, quem *Dogmaticam Panopliam Imperator appellavit*, & *ad hæc uſque tempora libri illi ita appellantur*, inquit *Anna Comnena*.

D. Quinam erant præcipui horumce *Bogomilorum* hæreticorum errores, quos confutandi curam Euthymio *Alexius Comnenus* Imperator commiſit?

M. Multos *Bogomilorum* errores refert, eademque opera refellit *Euthymius* Monachus in ſua Panoplia Titulo XXIII. quorum præcipuos hic indicare abunde ſufficiet, ut intelligas, nefariam illam

illam

lam *Bogomilorum* Sectam ex colluvie & monſtris aliarum hæreſum fuiſſe conflatam. In primis, docebant cum Manichæis, vetus Teſtamentum non eſſe conditum a bono principio, ſeu a bono Deo, nec proinde ad ipſum pertinere viros juſtos, qui in eo celebrantur. Moyſem non a Deo, ſed a Sathanaele legem accepiſſe, & per illam hominum infinitam multitudinem perdidiſſe obganniebant. Secundo, affirmabant cum Sabellianis, unam eſſe dumtaxat perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis, ac multa de Filio, & Spiritu Sancto, necnon de Angelis ridicula Commenta venditabant. Tertio, fingebant, Patrem æternum eructaſſe ex corde ſuo, *Verbum*, ſeu filium, quem eſſe *Michaelem* Archangelum ſtulte opinabantur, eumque deſcendiſſe de Cœlis, & per aurem Virginis dexteram influxiſſe, carnem induiſſe, quæ ſpecietenus ex materia conſtaret, & humani corporis eſſet ſimilis, cum tamen revera eſſet materiæ expers: Paſſionem, Mortem, & reſurrectionem ſimulaſſe, expletoque ſuo miniſterio, ac in tartara detruſo Dæmone, in Cælos eſſe reverſum, & ad Patris dexteram aſſidere in ſolio, ex quo *Sathanael* fuerat ejectus. Quarto, dicebant, Angelos, qui ceciderant, filias hominum impudice conſpexiſſe, eaſque in uxores accepiſſe. Quinto, Crucem deſpiciebant, quod in ea Salvator fuiſſet occiſus: Cultus Imaginum Idololatriam appellabant, & ſanctorum ſepulchris Dæmones aſſidere, ibique ad decipiendos homines portenta edere garriebant. Sexto, Catholicos, qui ad impiam eorum deficiebant ſectam, novo Baptiſmo tingebant, aſſerentes Baptiſma, quod in Eccleſia Catholica conferebatur, eſſe dumtaxat Baptiſma *Joannis*, quod fit per aquam; ſuum vero eſſe Baptiſma Chriſti, quod datur per Spiritum Sanctum. Octavo, adorandum Eccleſiæ Sacrificium contemnebant, & ſanctam Corporis & Sanguinis Domini Communionem, Dæmonum in templis habitantium Sacrificium appellare non verebantur ſacrilegi illi Hæretici. Nono, Dæmones invocabant & colebant, eoſque Chriſto & Spiritu Sancto fortiores eſſe blaſphemabant. Decimo, jurabant, ſe non ſolum in ſomnis, ſed revera cernere Patrem æternum ut ſenem denſa & promiſſa barba ornatum; Filium tanquam juvenem pubeſcentem, & Spiritum Sanctum ut imberbem adoleſcentem. Hic ſiſto, nec plura addam, refugit quippe animus, & alias ineptiſſimas fabulas, horrendaſque iſtorum Hæreticorum blaſphemias dicere reformidat. Legeſis *Euthymium* loco mox a me citato, ubi Bogomilorum errores in apertam lucem producendi, atque refellendi provincia ſibi ab Imperatore *Alexio Comneno* demandata, egregie defunctus eſt.

D. Immaniſſima ac fœdiſſima illa errorum monſtra, quæ me ſua turpitudine deterrent, indicaſſe ſatis eſt. Miſſis itaque illis hæreſibus, quæ undecimo ſæculo minus celebres fuerunt, veniamus ad Hæreſim *Berengarii*, qui ut jam inſinuaſti, Sacramentariorum parens fuit, ac plurimas in Eccleſia turbas excitavit.

M. Antequam exponam in quo potiſſimum errore ſita eſſet *Berengarii* Hæreſis, neceſſe eſt, ut breviter referam errorem in quem *Roſcelinus* natione Britto, ſeu Armoricus, Canonicus Compendienſis, & præceptor *Abaelardi* circa Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis undecimo ſæculo lapſus eſt. Aſſerebat quippe *Roſcelinus*, *in Deo tres Perſonas eſſe tres res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, aut tres animæ; treſque Deos vere poſſe dici, ſi uſus admitteret*, ſicut teſtatur *Dodechinus* in Appendice *Mariani Scoti* ad annum MXCIV. ad hunc proſcribendum *Roſcelini* errorem *Raynaldus* Remenſis Archiepiſcopus Synodum habuit Sueſſione, & ad eumdem *Roſcelinum* epiſtolam ſcripſit *S. Anſelmus* tunc Abbas Beccenſis, rogans eum ut ſe apud Synodum purgaret, mentemque ſuam de ſancta Triade omnibus Prælatis aperiret. Verebatur ſiquidem *S. Anſelmus*, ne *Roſcelinus* publice aſſereret, quod in ſcriptis, & in privatis conventibus falſo dictitare ſolebat, *Lanfrancum*, & *Anſelmum* idem ſecum ſentire. Hæc Sancti *Anſelmi* ad *Roſcelinum* Epiſtola legitur in operibus ejuſdem S. Anſelmi lib. 2. epiſt. 41. Citatus in hoc Sueſſionenſi Concilio *Roſcelinus* ut fidei ſuæ rationem redderet, errorem ſuum falſus adjuravit. Sed, poſt ſolutum concilium, ad vomitum rediit, aſſerens, ſe non ob aliam rationem decantaſſe palinodiam, atque ſententiam ſuam damnaſſe, quam quia pertimeſcebat, ne ab ignaro populo lapidibus obrueretur; ſeque in eadem, quam ejurare coactus fuerat, ſententia ſemper permanere velle. Obſtinato animo errori ſuo adhærentem *Roſcelinum* egregie confutavit Sanctus *Anſelmus* in Tractatu *De Incarnatione*, quem contra ipſum edidit, & *Urbano* II. Pontifici Maximo nuncupavit. Extat etiam quædam Epiſtola *M. Petri* Theologiæ Profeſſoris ad G. ſeu ad *Gaufridum* Epiſcopum Pariſienſem contra eumdem *Roſcelinum* ſcripta, quam *Duchesnius*, *Natalis Alexander*, & alii tribuunt *Petro Abaëlardo*. Sed *Bulæus* in *Hiſtoria*, quam eleganter deſcripſit, celeberrimæ *Univerſitatis Pariſienſis*, Tomo I. ad annum MXCIV. Auctorem hujuſce Epiſtolæ eſſe quemdam *Petrum* iis temporibus Theologiæ profeſſorem, a Petro Abaelardo diverſum, quique contra Hæreſim *Roſcelini* in Synodo Sueſſionenſi damnatam ſcripſerat. Eumdem *Roſcelinum*, contendentem Presbyterorum filios ad ſacros ordines non eſſe promovendos, graviter perſtrinxit *Theobaldus Stampenſis*, qui tum temporis Oxoniæ ſcholam regebat, eamque in rem ſcripſit ad *Roſcelinum* epiſtolam, in qua contrariam ſententiam acriter propugnat. Legitur hæc Epiſtola *Theobaldi* ad *Roſcelinum* Tomo III. Spicilegii Dacheriani. Denique, *Roſcelinum* ſcholæ *Nominalium* Auctorem & Inſtitutorem fuiſſe affirmat *Bulæus* in *Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis* Tomo I. ad ann. MXCIV. additque, hanc Ariſtotelicorum ſectam, a veteribus pene expulſam, a *Guillelmo Okamo* Ordinis Sancti Franciſci rurſus excitatam, atque de integro fuiſſe inſtauratam. Sed de hæretico *Roſcelino* ſatis. Nunc paſſis velis ad *Berengarii* cauſam accedamus.

D. Circa Berengarii cauſam, ſcire imprimis

mis velim ejus patriam, ingenium, ſtudia, mores, & quandonam ſuam cœperit ſpargere Hæreſim?

M. Patriam *Turones* in Galliis habuit *Berengarius* Sacramentariorum parens, ut teſtantur *Deodvinus*, ſive *Theotvinus* Leodicenſis Epiſcopus, S. *Anſelmus*, *Berteldus* Conſtantienſis, & alii. Ætatem adultam cum attigiſſet *Berengarius*, traditus eſt in diſciplinam *Fulberti*, qui tunc ſcholam Carnotenſem moderabatur, & poſtea ejuſdem Carnotenſis Urbis creatus eſt Epiſcopus. Hinc obiter corrigendum eſt memoriæ lapſus, quem paſſus eſt *Gerſonius* ſacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarius celeberrimus, dum ait, Berengarium Sacramentariorum parentem *Petri Abaelardi* fuiſſe diſcipulum. Qua in re manifeſtum eſſe anachroniſmum ex eo præſertim liquet, quo *Petrus Abaelardus* poſterior fuerit *Berengario*, & pluribus annis poſt ipſum obierit. Non potuit ergo *Berengarius*, qui Sacramentariorum præformavit hæreſim, eſſe diſcipulus *Petri Abaelardi*, qui tamen alterum *Berengarium* diſcipulum habuit Epiſcopum Pictavienſem, qui in gratiam Præceptoris ſui *Abaelardi* Apologiam acrimoniæ plenam adverſus Sanctum *Bernardum* ſcripſit. Petulanti, & verſatili ingenio, atque ad novitates maxime propenſo præditus fuit *Berengarius*, & eam ob rem ſanctiſſimus ejus præceptor *Fulbertus* ſæpiſſime illum adhortabatur, ut a regia via, hoc eſt, ab Apoſtolica fide, & ab illibata ſanctorum Patrum doctrina non deflecteret. At Berengarius *elatus ingenii levitate, ipſius Magiſtri ſenſum non adeo curabat, condiſcipulorum pro nihilo reputabat, libros etiam Artium contemnebat, & novis verborum interpretationibus cujuſdam excellentiæ laudem venari, qualitercumque poterat, affectabat*, ait *Guitmundus* lib. 1. *de Corporis & Sanguinis Chriſti veritate in Euchariſtia*. Hinc S. *Fulbertus*, qui in ingenium ac mores *Berengarii* ſui diſcipuli jam penitus introſpexerat, prædixit morti proximus qualis futurus eſſet, dum illum, cui Dæmonem blandiriis multos corrumpere tentantem aſſiſtere cernebat, omni, quo potuit, niſu a ſe repulit, ſicut legitur in veteri fragmento, quod extat in Bibliotheca Floriacenſi ex *Willelmo Malmesburienſi* lib. III. *de Geſtis Regum Anglorum*, & ex *Henrico de Knigton.*, lib. 1. *De eventibus Angliæ* cap. 13. Poſt obitum *S. Fulberti*, Berengarius *Turones* Patrium ſolum reverſus eſt, ubi Turonenſi ſcholæ præfectus magnum ſibi peperit nomen. Quamvis enim *Berengarius*, teſte *Guitmundo* loco mox laudato, levis litteraturæ eſſet, attamen, cum id temporis liberales Artes in Galliis pene obſolevíſſent, in tanto bonarum litterarum ſquallore peritus pro tempore viſus eſt *Berengarius*, dignuſque judicatus, qui in Eccleſia S. *Martini* Turonenſis Camerarii ac Theſaurarii dignitates obtineret. Verum, relictis poſtea Turonibus, in Urbem Andegavenſem ſe ſe contulit *Berengarius*, ubi ab *Euſebio*, cognomine *Brunone* illius urbis Epiſcopo, perhumaniter exceptus, Archidiaconus, & Theſaurarius Eccleſiæ Andegavenſis creatus eſt. *Baronius* aſſerit, *Berengarium* in hac civitate Andegavenſi, conſentiente & annuente *Euſebio* cognomine *Brunone* ejuſdem urbis Epiſcopo, ſuam cœpiſſe ſpargere hæreſim anno milleſimo trigeſimo quinto. Aſt, circa exordium Berengarianæ Hæreſeos, & conſortium *Euſebii Brunonis* Andegavenſis Epiſcopi cum Berengariana Hæreſi hallucinatum fuiſſe eminentiſſimum Annalium Parentem aſſerunt periti Critici. Et primo quidem, *Berengarium* ſuam non cœpiſſe diſſeminare hæreſim anno milleſimo triceſimo quinto, patet ex Epiſtola *Deodvini*, ſeu *Theotvini* Epiſcopi Leodicenſis ad *Henricum* III. Imperatorem, quicum conſanguinitatis gradu erat conjunctus. In ea quippe Epiſtola, quæ tempore *Baronii* mutila erat, & nunc integra legitur Tomo. VI, Analect. pag. 396. & ſeqq. a *Mabillonio* ex Codice MS. eruta *Deodvinus*, *Euſebium* cognomento *Brunonem* Epiſcopum Andegavenſem in ſuſpicionem Berengarianæ hæreſeos veniſſe. Porro *Euſebium Brunonem* anno tantum milleſimo quadrageſimo ſeptimo in Epiſcopatum Andegavenſem *Huberto* ſucceſſiſſe certis argumentis demonſtrant *San Marthani* in Epiſcopis Andegavenſibus. Longe itaque vero ſimilius eſt, Hæreſim Berengarii prodiiſſe anno milleſimo quadrageſimo ſeptimo, ſedente *Clemente* II. Summo Pontifice, ut teſtatur vetus Exemplar Floriacenſe Hiſtoriæ Francorum a *Roberto* uſque ad obitum *Philippi* I. quod editum eſt a *Duchesnio* Tomo IV. ſcript. Francorum. Secundo, quantum attinet ad *Euſebium* cognomento *Brunonem* Andegavenſem Epiſcopum, quem Berengarianæ hæreſeos propugnatorem acerrimum fuiſſe aſſeverat Baronius; fatentur quidem periti Critici, hunc Antiſtitem infamiam Hæreſeos apud nonnullos ſubiiſſe, quod *Berengarium* Archidiaconum ſuum errores publicantem non coercuerit, non excommunicarit, ejuſque Hæreſim, & excommunicationem ceteris Epiſcopis Encyclica Epiſtola notas non fecerit hunc tamen Antiſtitem a Berengariana hæreſi revera immunem fuiſſe probant multis momentis. Primo, quid iſtud *Euſebii* Cognomento *Brunonis* Andegavenſis Epiſcopi cum Berengariana hæreſi conſortium nitebatur dumtaxat fama hac in re mendaci, falſiſque ſparſis rumoribus, quibus *Deodvinus* Epiſcopus Leodicenſis, & *Durandus* Troarnenſis Abbas facilius, quam par fuiſſet, fidem adhibuerunt. Secundo, quia nulli ſcriptores, qui *Euſebio Brunoni* Epiſcopo Andegavenſi ſuppares fuerunt, fuerunt, Berengarianæ Hæreſeos notam inuſſerunt, non *Hugo* Lingonienſis Epiſcopus, non *Lanfrancus*, non *Guitmundus*, non *Algerus*, qui omnes in Berengarianam hæreſim calamum acuerunt. Tertio, in nullo Concilio, nec apud ullum Summum Pontificem, *Euſebius Bruno* Epiſcopus Andegavenſis delatus eſt ceu hæreticus; immo, adfuit cum aliis Epiſcopis Synodo Remenſi a *Leone* IX. Pontifice Maximo celebratæ, ut conſtat ex Actis illius Synodi. Quarto, ſi *Euſebius Bruno* Andegavenſis Epiſco-

Digitized by Google

ſcopus vel leviſſima hæreſeos ſuſpicione fuiſſet aſperſus, certe non minus ei, quam ipſius Archidiacono *Berengario* profeſſionem fidei imperaſſent Epiſcopi, quam tamen ei imperaſſe, nullibi legitur. Denique, *Euſebius Bruno* Andegavenſis Epiſcopus fidei ſuæ integritarem luculenter probatam reliquit in Epiſtola ad *Berengarium* data poſt ultimum Concilium Romanum in cauſa *Berengarii* habitum, cum ipſum *Berengarius* per litteras obteſtatus fuiſſet, ut *ſe & Gaufridum Martini* Clericum Andegavenſem *ſub judice audiri faceret in libro B. Ambroſii de Sacramentis*, in hac ſiquidem epiſtola, poſtquam *Euſebius Bruno* Epiſcopus Andegavenſis protulit verba, quibus Chriſtus Dominus Sacro-Sanctum inſtituit Sacramentum, diſerte profitetur, ſe firmiter credere, Verbi Divini, per quod omnia facta ſunt, virtute & effectu, panem & vinum poſt conſecrationem verum Chriſti Corpus & Sanguinem fieri, & ejus rei modum, ordinemque non eſſe inquirendum. His momentis a Berengariana hæreſi purgatur *Euſebius Bruno* Epiſcopus Andegavenſis, qui tamen a negligentiæ culpa, cujus cauſa fuit nimius in Berengarium Archidiaconum ſuum amor, excuſari minime poteſt.

D. Quænam fuerunt præcipua Berengarianæ hæreſeos Capita?

M. Berengariana hæreſis inſtar Hydræ multis erat inſtructa capitibus. At enim *Berengarius* primo baptiſma parvulorum evertebat. Secundo, legitima conjugia deſtruebat, licitam eſſe cum fœminis omnibus ſcortationem perfricta fronte effutiens. Tertio, Chriſtum Dominum clauſis januis ad Diſcipulos ingreſſum negabant. Verum, hæc tria iſta ſuæ hæreſeos capita, quæ ut reſtatur *Guitmundus* lib. 1. *nec aures peſſimorum ſuſtinere poterant*, abjecit poſtea *Berengarius*, totuſque incubuit in defenſionem & propagationem hujuſce quarti ſuæ hæreſeos capitis, quo inficiabatur realem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, & converſionis ſubſtantialis panis & vini in idem ſacratiſſimum Corpus & Sanguinem veritatem. Scio, doctiſſimum *Mabillonium* parag. 3. partis 2. ſæculi 6. Benedictini, quod eſt Eccleſiæ undecimum, multis momentis probare, *Berengarium* non negaſſe præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, ſed ſolum renuiſſe admittere tranſubſtantiationem, ſeu converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ita ut dumtaxat *Berengarius* putaverit, realiter exiſtere in Euchariſtia Corpus, & Sanguinem Chriſti ſimul cum ſubſtantia panis & vini, ſicut modo aſſerunt hæretici Lutherani, qui *Impanationis* errorem mordicus defendunt; ſed, ne in hoc doctiſſimo *Mabillonio* aſſentiar, duo præſertim obſtant. Primum eſt, quod *Lanfrancus*, *Guitmundus*, *Algerus*, & alii Scriptores coævi, qui totis ingenii ſui viribus *Berengarii* hæreſim oppugnarunt, diſerte aſſerunt, illum negaſſe præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento. Alterum eſt, quod nullus horumce Scriptorum, quos mox laudavi, hunc *Impanationis* errorem Berengario tribuit, ſed ſolum a quibuſdam ejus Sectatoribus propugnatum fuiſſe innuant. (*a*) Ad illa itaque teſtimonia, quæ profert *Mabillonius*, & quibus *Berengarius* præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti prima fronte fateri videtur, & tantum negare tranſubſtantiationem, ſeu converſionem ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, dicendum eſt, fieri quidem potuiſſe, ut *Berengarius* hæreticorum more, qui ſibi parum conſtantes calidum, & frigidum ſimul ex eodem ore perflant, oppreſſus ac victus Catholicorum rationibus ſimulaverit ſub quibuſdam verborum involucris, ſe tandem ad fidem Catholicam de præſentia reali Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia acceſſiſſe; at confeſſionem illius fucatam, ſubdolam, & minime ſinceram fuiſſe, nec illum ex animo præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, quam verbis ſe agnoſcere mentiebatur, admiſiſſe; quod etiam idem *Mabillonius* ſub finem citati paragraphi ingenue fatetur. Verum enim vero, hic fuit, eritque ſemper verſipellium hæreticorum genius, ut principio, ne Catholicorum animos offendant, & a ſe prorſus abalienent, ad avitam Eccleſiæ fidem verbis quam proxime accedant, at mente revera recedant. Hinc ex Hiſtoria Eccleſiaſtica compertum habemus, tantam, tamque diuturnam Arianorum cum Catholicis quarto Eccleſiæ ſæculo de verbis, verborumque ſenſu fuiſſe vitilitigationem, quam etiamnum in recentibus Arianis in *Socinianis* noſtri temporis redivivis conſpicere licet. Verba ſiquidem mutant hæretici, nunquam tamen, aut raro mentem. Quapropter *Berengarius*, etſi, mutatis pro loco & tempore verbis, quandoque in ſuis ſcriptis innuere videatur, verum Corpus & Sanguinem Chriſti Domini eſſe in Euchariſtiæ Sacramento (ſicut ex multis teſtimoniis ex ipſius operibus depromptis oſtendit Mabillonius) rem ipſam tamen privatim interpretando, errorem mente retinuit.

„ (*a*) Nemo tamen negaverit fidem verbis e„ juſdem Berengarii, qui poſt Concilium Roma„ num anni 1079. ſcribens opuſculum a P. Mar„ tene Anecdot. to. IV. pag. 104. vulgatum de„ fendit, ac ſuſtinet agnoſcere ſe præſentiam rea„ lem Corporis Chriſti in Euchariſtia; ſimul ve„ ro negat unquam a ſe affirmatum ſubſtantiam „ panis poſt conſecrationem abeſſe; quamquam „ in Concilio ſententiam illam ſuam ea de re „ verbis ambiguis obvelaverit. Ex quo ſequitur „ Berengarium a priori ſententia contra præſen„ tiam realem ita receſſiſſe, ut in ſententiam ta„ men plane catholicam non deſcenderit. En „ verba Berengarii: *Conſecrari enim panem & vi„ num in Altari non eſt deſtrui ſubjecta panis & „ vini per corruptionem ſui. Quodcumque enim „ conſecratur non amittit quod erat; ſed in melius „ quam erat provehitur; & quicumque pronunciat „ affirmationem hanc: panis & vinum poſt conſe„ crationem ſunt corpus Chriſti, & ſanguis, ne„ ceſſario mentitur, ſi affirmationi huic auferat*

„ *vel*

Digitized by Google

„ *vel ſubjectos terminos, qui ſunt panis, & vi-* „ *num poſt conſecrationem vel prædicatos qui ſunt* „ *Corpus Chriſti, & Sanguis.*

D. Fuitne hæc Berengariana hæreſis ab Eccleſia ſtatim ac erupit damnata, & a Scriptoribus Eccleſiaſticis confutata?

M. Berengariana hæreſis, cum primum prodire cœpit, ab Eccleſia fuit profligata in multis Conciliis, videlicet in Concilio *Romano* ſub *Leone* IX. anno ML. in Conventu *Brionenſi*, in Conciliis *Vercellenſi*, & *Pariſienſi* eodem anno celebratis: in *Florentino* ſub *Victore* II. anno MLV. & in *Turonenſi* indicto eodem anno: in *Romano* ſub *Nicolao* II. anno MLIX. in *Rothomagenſi* anno MLXIII. in *Pictavienſi* anno MLXXV. in *Romanis* duobus ſub *Gregorio* VII. convocatis anno MLXXVIII. & MLXXIX. de quibus Conciliis ſuo loco, ſeu in proximo Colloquio diſſeremus. Viri etiam doctiſſimi hanc Berengarianam hæreſim præclaris editis lucubrationibus impugnarunt, quos inter cenſentur *Adelmannus*, *Hugo* Lingonenſis Epiſcopus, *Lanfrancus*, *Durandus* Troarnenſis Abbas, *Guitmundus*, & *Algerus*. Quorum opera in Colloquio quinto recenſebimus.

D. Tot in Conciliis damnatus *Berengarius*, totque illuſtrium virorum ſcriptis confutatus reſipuitne tandem aliquando a ſua hæreſi?

M. Poſt varios caſus ac lapſus, ancipitemque fortunam, tandem *Berengarius* circa annum MLXXXIII. ad meliorem frugem converſus ab hæreſio ſua vere reſipuit, & Catholicam fidem quam antehac impugnaverat, conſtanter uſque ad mortem profeſſus eſt. Hæc ſane mutatio fuit *dexteræ excelſi*, nam ſincere hæreſiarchæ converſio eſt rara avis, alboque ſimillima corvo. Hujus ſinceræ *Berengarii* converſionis fidem faciunt veteres membranæ Laureacenſes, *Clarius* Floriacenſis Monachus in Chronico Senonenſi, quod tomo 2. Spicilegii Dacheriani inſertum eſt, *Willelmus Malmesburienſis* lib. 3. *De geſtis Regum Anglorum*, *Hildebertus* Cenomanenſis Epiſcopus, qui demortui *Berengarii* Epitaphium verſibus condidit, in quo tamen muſam ſuam paulo liberius excurrere ſivit, &, ut ait Willelmus Malmesburienſis, *metas veræ laudis amore incitatus tranſilivit*. Circa ejuſdem Berengarii pœnitentiam, & verum ad Eccleſiam Catholicam reditum conſentiunt *Baldricus* Burgulenſis primum Abbas, & Dolenſis poſtea Epiſcopus, Sanctus *Antoninus* parte 2. Chronici tit. 16. parag. 20. *Vincentius Bellovacenſis* in Speculo Hiſtoriali lib. 25. cap. 30. *Martinus Polonus*, *Joannes Mabillonius*, *Natalis Alexander*, *Antonius Pagius*, & complures alii Scriptores moderni. Mirum autem videri non debet, quod *Baronius* de veritate pœnitentiæ Berengarii convictus non fuerit, cum antequam *Franciſcus de Roya* Anteceſſor Andegavenſis ſingularem librum *De vita, hæreſi & pœnitentia Berengarii* edidiſſet, hæc Hiſtoria magnis tenebris obſita fuerit. *A Berengarii* obitu Turonenſis Eccleſiæ S. *Martini* Canonici juſſu *Berengario* in communione Eccleſiæ defuncto perſolvere ſoliti, quot annis ad ejus tumulum, qui in Clauſtro S. *Coſmæ* nigro lapide ſtrato, detrito Epitaphio, viſitur, feria Paſchæ tertia conveniunt, ubi pſalmum *De profundis* pro anima *Berengarii* recitant, nulla tamen *Collecta*, ut vocant, adhibita. Hoc autem S. *Coſmæ* Clauſtrum extat in Inſula Sancti *Coſmæ* Turonicæ Civitati ſuburbana, in quam Inſulam *Berengarius* ſinceram acturus pœnitentiam ſeceſſit, & Sæculi pompis renuncians, Domino militavit uſque ad mortem, quæ, ut teſtatur *Willelmus Malmesburienſis* lib. 3. *De geſtis Regum Anglorum*, contigit die Epiphaniorum ſeu die ſexta menſis Januarii anni milleſimi octogeſimi octavi. Utinam Hæretici noſtri temporis, qui *Berengarium* ſequuntur errantem, ſequantur & pœnitentem, atque illorum felici, diuque optato ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reditu, gaudium de illorum pœnitentia ſit in Cælo, & unum in Terra fiat Ovile Chriſti.

D. Optarem ipſe vehementiſſime non ſolum ut hæretici noſtri temporis, ſuis abjectis erroribus, in ſinum Eccleſiæ Catholicæ reverterentur, ſed etiam, ut Eccleſia Orientalis amico fœdere pacis cum Eccleſia Occidentali ſociaretur, quam tamen ægre admodum videmus eſſe etiamnum diviſam funeſto ſchiſmate, quod, ut me jam præmonuiſti, a *Michaele Cerulario* Patriarcha Conſtantinopolitano renovatum ac firmatum fuit undecimo Eccleſiæ Sæculo. Scire autem velim veram, & præcipuam cauſam, cur *Michael Cerularius* Patriarcha Conſtantinopolitanus ſchiſma Photianum undecimo Sæculo renovaverit, & vinculum Communionis Eccleſiæ Græcæ, ſeu Orientalis, cum Latina, ſeu Occidentali abruperit.

M. Anno milleſimo quinquageſimo tertio *Michael Cerularius*, qui jam decem abhinc annis Eccleſiam Conſtantinopolitanam regebat (fuerat enim Patriarcha Conſtantinopolitanus anno milleſimo quadrageſimo tertio inauguratus) in Eccleſiam Latinam, ſeu Occidentalem, totis ſuis viribus debacchari cœpit, & Epiſtolam ſuo & *Leonis* Acridani Archiepiſcopi nomine ad *Joannem* Tranenſem in Apulia Epiſcopum eodem anno ſcripſit, & aliam anno ſequenti, ſeu milleſimo quinquageſimo quarto, ad *Petrum* Antiochenum Patriarcham dedit epiſtolam, quæ ambæ fœdis in Latinam Eccleſiam ſcatent calumniis. Ut autem *Michael Cerularius* ſuæ ab Eccleſia Latina ſeparationis cauſam aliquam prætexeret, quoſdam illius mores temere damnavit, eaque contra ipſam protulit accuſationis Capita. Primo, culpavit Latinos, quod Azyma conſecrantes, cum Judæis communicarent, nec aptam aſſumerent Euchariſtiæ conficiendæ materiam. 2. Quod ſuffocata comederent. 3. Quod barbas raderent. 4. Quod Sabbatis jejunarent. 5. Quod immundorum animalium carnibus veſcerentur. 6. Quod Monachi Latini carnes ederent. 7. Quod Latini primam Quadrageſimæ hebdomadam, necnon quinquageſimæ, carnium eſu violarent. 8. Quod ſacro

Sym-

Symbolo particulam, *Filioque*, addidiſſent, & male de Spiritu Sancto ſentirent. 9. Quod apud Latinos, duo fratres duas ſorores in uxores ducerent. 10. Quod inter Miſſarum ſolemnia tempore communionis Miniſtrorum alter alterum oſcularetur. 11. Quod Latini Epiſcopi annulis ornarentur, ceu Eccleſiarum Sponſi. 12. Quod Latini Epiſcopi ad bellum proficiſcerentur, & manus ſuas humano ſanguine contaminarent. 13. Quod unicam merſionem in Baptiſmo uſurparent. 14. Quod ſalem in os Baptizatorum immitterent. 15. Quod nec Sanctorum Reliquias, nec ſacras Imagines venerarentur. 16. Quod *Alleluja* Quadrageſimali tempore non cantarent. Hæc ſunt accuſationis Capita, quæ in Eccleſiam Latinam congeſſit *Michael Cerularius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, ut hoc pacto renovatum a ſe ſchiſma aliquo rationis fuco obducere poſſet. Sed facile oſtenditur, Græcos, non propter illas Latinorum conſuetudines, quas *Michael Cerularius* carpebat, a Sede Apoſtolica avulſos, ſed magis propter quædam momenta ſæcularia, quæ *Michaelem Cerularium* ad hoc facinus perpetrandum adduxerunt. Verum enim vero, qui apud Græcos cordatiores, nec ſubleſtæ fidei extiterunt, ſincere faſſi ſunt, Latinorum de Spiritus Sancti proceſſione ſententiam, Azymorum uſum, aliaſque conſuetudines, quæ diſſenſionis prætextus erant, hæreſeos inſimulari non poſſe; atque id etiam probat concordia, quam ſæpe Latini inierunt cum Græcis, ex quo *Photius* Patriarcha Conſtantinopolitanus a *Baſilio Macedone* Imperatore in ordinem redactus primum fuit. Nihil quippe in his concordiis, ſeu unionibus Eccleſiæ Græcæ cum Latina, de Dogmatibus & conſuetudinibus Latinorum actum eſt, cum tamen a temporibus ſextæ ſaltem Synodi generalis Græci probe compertum haberent Romanæ fidei capita unum eſſe, quod Spiritus Sanctus a patre, filioque procedat. Id profecto noverat apprime *Photius*, vir immenſæ eruditionis, qui nihilominus de hoc articulo litem adverſus Eccleſiam Latinam antea non movit, quam ſe a *Nicolao* I. Pontifice Maximo damnatum accepiſſet. Hinc eſt quod ſub *Leone* dicto *Sapiente* Imperatore, detruſo e Sede Conſtantinopolitana *Photio*, pax Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam fuerit redintegrata, abſque ulla vel minima circa res Theologicas ac Latinorum conſuetudines diſceptatione. Quin, *Petrus* Patriarcha Antiochenus in Epiſtola ad *Michaelem Cerularium* improbat quidem particulæ *Filioque* additamentum Symbolo factum, at non ut hæreticum, nec propter quod continuo ſcindenda eſſet Eccleſia. Extat etiam inter ſanctiones Juris Græco-Romani Epiſtola *Baſilii* Acridani Archiepiſcopi ad *Hadrianum* II. Papam, in qua fatetur, *parvi momenti offendicula* eſſe, propter quæ ſciſſio Eccleſiarum acciderit. Hæc, aliaque id genus legi poſſunt in Jure Orientali, ſeu Græco-Romano quod ex variis Imperatorum, Patriarcharum, & Præſulum Decretis conditum eſt, typiſque ſemel ac iterum excuſum fuit ab *Edmundo Beneſidio* primum, poſtea a *Marquardo Frebero* ex recenſione *Joannis Leunclavii*. Non igitur propter quaſdam ſententias aut conſuetudines Latinorum a *Michaele Cerulario* damnatas Græci ſeſe a Latinis facto ſchiſmate ſepararunt, ſed potius propter quædam ſæcularia momenta, quæ *Michaelem Cerularium* Patriarcham Conſtantinopolitanum ad renovandum Photianum ſchiſma compulerunt.

D. Quænam ſunt ſæcularia iſta momenta, quæ *Michaelem Cerularium* ad renovandum undecimo Eccleſiæ Sæculo ſchiſma Photianum adduxerunt?

M. Horumce momentorum ſæcularium unum inſtar omnium fuit præceps & ambitioſum deſiderium *Michaelis Cerularii*, qui Epiſcopi *univerſalis* titulum ambiebat, ſeque Romano Pontifici æqualem fieri modis omnibus admtebatur. Hinc, ſuperbus ille Patriarcha, ſtatim ac Eccleſiam Orientalem nefando ſchiſmate ab Eccleſia Occidentali divulſiſſet, calceos rubros induere cœpit, ut ſe Romano Pontifici æqualem ſignificaret, ſicut teſtatur *Joannes Scylites Curopalata* Scriptor Græcus in *Breviario Hiſtorico*, ubi hæc habet: *aggreſſus eſt etiam* (Michael Cerularius) *Cocco tincta induere calceamenta, antiquè Sacerdotis morem hunc afferens, oportet his uti novum Pontificem*. Ex hac immoderata *Michaelis Cerularii* ambitione ortum habuit dirum illud ſchiſma, quo Orientalis Eccleſia Occidentali etiamnum ſeparata manet.

D. Numquid Romani Pontifices, quibus ex officio regimen univerſæ Eccleſiæ incumbit, hanc immanem *Michaelis Cerularii* Patriarchæ Conſtantinopolitani fregerunt audaciam, ſuaque authoritate impedierunt, ne, inducto ſchiſmate, diſcinderet Eccleſiam?

M. Sedebat tum temporis in Cathedra Petri Leo IX. Pontifex Maximus, qui ut *Michaelis Cerularii* ſchiſmatis Auctoris effrænem compeſceret audaciam, ſcripſit eruditam ac vehementem Epiſtolam, quæ inter ejus Epiſtolas ordine prima eſt in collectionibus Conciliorum. In ea autem Epiſtola Sanctiſſimus Pontifex procaciſſimos ſchiſmaticorum *Michaelis Cerularii*, *Leonis* Acridani Archiepiſcopi in Eccleſiam Romanam inſultus redarguit, eoſque adhortatur ad pacem atque concordiam: cujus conſervandæ cum ſtudioſiſſimus eſſet ſummus ille Pontifex, Legatos *Humbertum* Cardinalem Sylvæ Candidæ Epiſcopum, *Federicum* Cardinalem, & S. R. Eccleſ. Cancellarium, *Petrum* Amalphitanum Archiepiſcopum Conſtantinopolim miſit cum litteris ad *Conſtantinum Monomachum* Imperatorem, & ad *Michaelem Cerularium* Patriarcham pro Eccleſiaſtica pace concilianda. Legatos Romani Pontificis benevole & honorifice excepit Imperator, eos ab ſchiſmaticorum inſidiis defendit, & librum, quem *Nicetas* Monachus Studita contra Eccleſiam Latinam ſcripturierat, de Azymo, de Sabbato, & de aliis Latinorum ritibus, igni addixit. At ſincero animo id non præſtitit Imperator *Conſtantinus Monomachus*, ſed ſolum Romani Pontificis Legatis gratum, favorabilemque ſe præſtitit, tum quia timuit, ne, ſi aliter ſeſe gereret, in crimen violati juris Gentium incurreret; tum quia adhuc

ſpera-

Digitized by Google

ſperabat, ſe iſtud acceptorum auxilium, quod a Romano Pontifice poſtularet contra Francos, ſive Normannos, qui, Duce *Roberto Guiſcardo*, Apuliam Græcis ereptam ad ſuam poteſtatem jam adjunxerant, & Calabriam armis devaſtabant. Ubi autem auxilio, quod ſe a Pontifice obtenturum ſperabat Imperator, fruſtratum ſe intellexit, firmando ſchiſmati haud parum favit, & *Cerularii* Patriarchæ defectionem approbavit. Id diſerte tradit *Georgius Metochita* Oratione prima *de diſſidio*, cujus fragmentum recitat *Leo Allatius* lib. adverſum *Hottingerum* pag. 455. Conſtat etiam hunc Imperatorem *Conſtantinum Monomachum* habuiſſe præ cæteris familiarem, & intimum omnium conſiliorum ſuorum participem *Michaelem Pſellum*, qui promovendo ſchiſmati omnem operam poſuit, & non ſolum in ſuis capitulis Theologicis, quæ *Joannes Gerardus Voſſius* citat, Latinorum dogma de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio reprobat, ſed etiam in Oratione, quam in laudem demortui *Cerularii* Patriarchæ Conſtantinopolitani pronunciavit, infeſtum hunc Patriarcham eo potiſſimum nomine laudat, quod propter hoc Theologiæ caput a Romana deſciverit Eccleſia. Extat hæc *Michaelis Pſelli* ſcriptoris Græci Oratio in Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca cum aliis ejuſdem Auctoris Opuſculis adhuc ineditis, quæ doctiſſimus noſter *Combefiſius* prælo parata habuit, ſed morte præventus publica luce donare non potuit. Cum igitur Imperator *Conſtantinus Monomachus* omnium conſiliorum participem ſibi adſciverit *Michaelem Pſellum*, qui ſchiſma propagare totis viribus ſtuduit, argumento eſt, hunc Imperatorem, auxilio, quod a Pontifice Romano expectabat, non impetrato ſchiſmati, quod *Michael Cerularius* ambitione abreptus, molitus fuerat, tandem adfaviſſe. Hinc eſt, quod poſt diſceſſum Romani Pontificis Legatorum (qui contumaces *Michaelem Cerularium* & *Leonem* Acridanum Archiepiſcopum excommunicaverant) *Michael Cerularius* authoritate Imperatoris *Conſtantini Monomachi* fretus concilium Conſtantinopoli convocaverit, cujus Decretum cum nominibus viginti Epiſcoporum, qui ei interfuerunt, *Leo Allatius* edidit in diſſertatione ſecunda *de libris Eccleſiaſticis Græcorum*. In hoc autem Conciliabulo auſus eſt *Michael Cerularius* in Legatos Apoſtolicos excommunicationis ferre ſententiam, & nomen Romani Pontificis e Dyptichis delere, ut teſtatur jam citatus *Georgius Metochita* in fragmento, quod *Leo Allatius* loco mox laudato recitat, ubi hæc leguntur: *Cum & Imperatoris* (Conſtantini Monomachi) *adverſus Papam indignatio inde exorta eſſet* (idest, propter non impetratum contra Normannos auxilium quod Imperator a Pontifice poſtulabat) *ſumens impetu*, ſcilicet Cerularius, *ferebatur in unione utriuſque Eccleſiæ diſſolvenda ...... jure Patriarchatus præſidens & occaſionem arripiens, innovavit & confudit, non examine, non Tribunalibus, non ſermonibus, non congregationibus, ſed ſolo mandato Principis cum reliquis, qui ſub ſe erant, Præſulibus numero quidem puſillo reſtrictis, nomen Papæ ipſo facto eraſit, inde diſſenſionem molitus.* Quibus verbis manifeſtum eſt, Anathema in Legatos Sedis Apoſtolicæ latum, & nomen Romani Pontificis e Diptychis in hac *Cerularii* Pſeudo-Synodo fuiſſe expunctum annuente Imperatore *Conſtantino Monomacho*. His quæ in hoc conciliabulo Conſtantinopolitano contra Eccleſiam Romanam temere geſta fuerant, non contentus *Michael Cerularius*, dedit litteras mendaciorum ac calumniarum plenas ad alios Orientis Patriarchas, ut eos a Romanæ Eccleſiæ communione divellere poſſet. *Petrus* Antiochenus Patriarcha ad *Michaelem Cerularium* reſcripſit, & multas ab eo propoſitas objectiones tamquam leves, frigidas, futileſque redarguit, in aliquibus tamen latinorum mores carpit. Quid alii duo Patriarchæ, ſeu *Alexandrinus Hieroſolymitanus*, egerint, omnino incompertum eſt. Hoc unum certum eſt, præcipuam Græcos inter & latinos diſcordiæ cauſam, fuiſſe Azymorum ritum in Divinorum Myſteriorum celebratione. Græci quippe latinos arguebant, quod in conficienda Euchariſtia Azymis contra divinam inſtitutionem uterentur, & in hoc judaizarent. Ex adverſo Latini Azymorum uſum exemplo Chriſti Domini, qui pridie quam pateretur, Euchariſtiam in pane Azymo conſecravit, tuebantur.

D. Quo potiſſimo fundamento nitebantur Græci, qui Eccleſiæ Romanæ vitio vertebat, quod Azymis in confectione Euchariſtiæ, uteretur, & in hoc judaizaret?

M. Præcipuum Græcorum fundamentum in hoc maxime ſitum erat, quod negarent, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacro-Sanctam Euchariſtiam, & poſtremum Paſcha cum ſuis Diſcipulis peregiſſe in ſecundis Veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis *Niſan*, ſicut in lege Moſaica præſcriptum eſt, quo die tenentur Judæi a pane fermentato omnino abſtinere, & veſci dumtaxat azymis; aſſererent vero, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, & ultimum Paſcha cum ſuis diſcipulis celebraſſe antecedenti die, ſeu in ſecundis veſperis diei decimi tertii lunæ primi menſis *Niſan*, quo die Judæi pane fermentato veſcebantur. Unde colligebant Græci, Chriſtum non in Azymo, ſed in fermentato Euchariſtiam confeciſſe, ac ſubinde nullum in Eccleſia latina eſſe Euchariſtiæ Sacramentum, quod legitima materia, ſeu pane fermentato, ad illud conficiendum non utatur. Verum illud Græcorum fundamentum caducum plane ac ruinoſum eſt, atque Scripturæ Sacræ e regione oppoſitum. At enim, prima dies Azymorum, qua ex præſcripto legis erant obſtricti Judæi abſtinere a pane fermentato, & veſci tantum Azymis, incipiebat a ſecundis veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis *Niſan*, ut diſerte aſſerit Scriptura ſacra, omneſque ad unum fatentur Interpretes. Porro Chriſtum Dominum prima die Azymorum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum poſt Cœnam legalem, in qua cum Diſcipulis ſuis Agnum Paſchalem comedit, conceptis verbis tradunt ſacri Evangeliſtæ *Matthæus*, *Marcus*, & *Lucas*, non igitur Chriſtus Dominus, ut dictitant etiamnum Græci Euchariſtiam inſtituit, & ultimum Paſcha peregit in

ſe-

Digitized by Google

ſecundis veſperis diei decimi tertii lunæ primi menſis *Niſan*. Teſtimonia trium, quos laudavi, Evangeliſtarum aſſerentium, Chriſtum prima die Azymorum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, & Agnum Paſqualem comediſſe cum Diſcipulis ſuis, clariora ſunt, quam ut tergiverſatione eludi, aut detorta aliqua interpretatione obſcurari poſſint. Sic enim *Matthaus* cap. 27. v. 17. ſcribit: *Prima autem die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? S. Marcus* cap. 14. v. 12. ait: *& primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant*, Judæi, *dicunt ei Diſcipuli: quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha?* Poſtremo S. Lucas cap. 22. v. 7. hæc habet: *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem dicens; Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus*. Quibus verbis ſole clarius patet, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum prima die Azymorum, quæ incipiebat a ſecundis veſperis diei decimi quarti, lunæ primi menſis *Niſan*, qua die diſtricte vetitum erat Judæis ne manducarent, & retinerent in ædibus ſuis panem fermentatum. Non igitur in pane fermentato Chriſtus Dominus inſtituit Euchariſtiæ Sacramentum, ut perperam aſſerunt Græci, ſed in Azymo, uti erat præſcriptum in lege. Præterea, ſi Chriſtus Dominus, ut ajunt Græci, inſtituiſſet Euchariſtiam in ſecundis veſperis diei decimi tertii lunæ primi Menſis *Niſan*, quo adhuc Judæis fas erat comedere panem fermentatum, inde ſequeretur, Chriſtum Dominum violaſſe legem, & antevertiſſe legitimam diem, qua Agnus Paſchalis a Judæis comedi debebat. Ex legis ſiquidem præſcripto Agnus Paſchalis immolari & manducari debebat non in ſecundis veſperis diei decimi tertii lunæ primi menſis *Niſan*, ſed in ſecundis veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis *Niſan*, qua die, ut ſæpe diximus, Azymo veſci tenebantur Judæi. Chriſtus itaque antevertendo legitimam diem comedendi Agnum Paſchalem a lege ſtatutam, violaſſet legem, patriosque mores fuiſſet tranſgreſſus. Quis autem dicere audeat, Chriſtum Dominum, qui, ut ipſemet teſtatur, non venit *ſolvere legem*, *ſed adimplere*, voluiſſe in ultima vitæ ſuæ periodo violare legem, quam toto vitæ ſuæ tempore ad ſummos juris apices obſervavit, & ab ea ne latum quidem unguem deſcivit? Quis etiam ſibi perſuadeat, Judæorum Sacerdotes, Scribas, & *Phariſæos*, qui furore perciti cauſas criminationum adverſus Chriſtum ſollicite quærebant, ipſum quaſi violatæ hac ipſa die legis reum non accuſaſſe, totque inter teſtes iniquos, qui in Chriſtum inſurrexerunt, nullum extitiſſe, qui *Pilato* inſtaret dicens: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia legitimam diem comedendi Agnum Paſchalem a lege noſtra præfixam antevertit, & contra ejuſdem legis præſcriptum comedit in Paſcha panem fermentatum?* Cum igitur nec Judæorum Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, nec ſacrilegi teſtes, qui contra Chriſtum Dominum falſa teſtimonia protulerunt, hanc legis tranſgreſſionem Chriſto Domino exprobraverint, illorum hac in re ſilentium omni turba vocatius clamat, Chriſtum Dominum, anno quo mortuus eſt, non antevertiſſe diem legitimam Paſchatis ſancitam a lege, nec in pane fermentato, ut pertendunt Græci, Sacro-Sanctam Euchariſtiam inſtituiſſe, ſed una cum Judæis Paſcha celebraſſe, ſeu Agnum Paſchalem comediſſe die ſtatuta a lege, ſeu in ſecundis veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis *Niſan*, qua die cum ex legis præſcripto vetitum eſſet Judæis fermento veſci, illudque in ſuis ædibus retinere, manifeſto ſequitur, Chriſtum Dominum poſt cœnam legalem non in fermentato ſed in Azymo inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum.

Non clam me eſt, quoſdam in Eccleſia Latina eſſe peritos Theologos, qui ad conciliandum Sanctum *Joannem* Evangeliſtam circa ſupremum Chriſti Domini Paſcha cum tribus aliis Evangeliſtis, a quibus in ſpeciem diſſentire videtur (etſi reapſe cum illis plane conſentiat) exiſtimant, Chriſtum, anno quo mortuus eſt, ſuum non celebraſſe Paſcha, ſeu Agnum Paſchalem non comediſſe eadem die, qua illum manducarunt Judæi. At ſententia illorum Theologorum longe lateque diſcrepat ab opinione Græcorum. Fatentur ſiquidem hi Theologi, Chriſtum, anno quo mortem ſubiit, inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, & Paſcha celebraſſe die præſtituta a lege, ſeu in ſecundis veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis, quo die fermenti uſus Judæis erat lege omnino prohibitus, & aſſerunt dumtaxat, Judæos, anno quo Chriſtus mortuus eſt, in alium diem ſuum procraſtinaſſe Paſcha, nec eadem die cum Chriſto Agnum Paſchalem comediſſe, tum quia ſicut inquit S. *Chryſoſtomus* Homilia LXXXI. in Matthæum, Judæi ardentes cæde animos ſuos ſtatim explere volentes interficiendo Chriſtum, quem hactenus capere ſæpe conati tenere non potuerant, coacti ſunt ſuum differre Paſcha; tum quia etiam, ut inquiunt illi Theologi, apud Judæos erat Decretum Synedrii, Majorumque traditio, ſecundum quam ſi prima dies Azymorum, quæ erat apud illos feſtivitas ſolemnis, quæque ex lege celebrari debebat die decimo quinto lunæ primi menſis *Niſan* incideret in feriam ſextam, transferretur Paſcha in alium diem, ne duo dies feſti continenter ſequerentur, ſeu prima dies Azymorum, & Sabbatum, quod populo grave erat, cum diebus feſtis nec ſepellire mortuos in his calidis regionibus, nec alia ejuſmodi pia opera nec multum laborioſa Judæi obire poſſent. Cum igitur anno, quo Chriſtus mortuus eſt, prima Azymorum dies inciderit in feriam ſextam, ſeu in diem Veneris, qua crucifixus eſt Chriſtus Dominus, Judæi juxta ſynedrii Decretum, Majorumque ſuorum traditionem tranſtulerunt primam diem Azymorum in Sabbatum, ne duos dies feſtos conſequentes haberent, ac proinde Paſcha, quod feria quinta, ſeu die Jo-

Digitized by Google

Jovis, in quam dies decimus quartus lunæ primi menſis incidit anno quo Chriſtus mortuus eſt, celebrare debebant (qua die Chriſtus juxta legem Paſcha cum ſuis Diſcipulis peregit) Judæi tranſtulerunt in feriam ſextam. Quo fit, juxta illorum Theologorum ſententiam, ut Judæi, anno quo Chriſtus mortem oppetiit, non comederint Agnum Paſchalem, eadem die, qua Chriſtus illum cum Diſcipulis ſuis manducavit. Hanc ſententiam docent graviſſimi moderni Theologi, quos inter cenſentur *Paulus* Burgenſis Epiſcopus, *Joannes Lucidus*, *Paulus* Forofempronienſis Epiſcopus, *Onuphrius Panvinus*, *Janſenius* Epiſcopus Gandavenſis, *Maldonatus* Soc. Jeſu, & *P. Mauduit* cong. Orat. Presbyter, qui tamen omnes contra Græcos conſtanter profitentur, Chriſtum, anno quo in Crucem actus eſt, Paſcha in ſecundis veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis *Niſan* cum diſcipulis ſuis juxta legem peregiſſe, & Euchariſtiæ Sacramentum poſt Cœnam legalem non in fermentato, ſed in Azymo inſtituiſſe. Idem profecto aſſerere haud poſſum de patre *Bernardo Lamy* Cong. Oratorii Presbytero alioqui doctiſſimo. Ille quippe novum procudit Syſtema, in quo aſſerit, Chriſtum, anno quo Cruci affixus eſt, nullum peregiſſe Paſcha, ſed tantum ſub finem diei decimi tertii lunæ (quem hoc anno ait, juxta ſuum calculum, ſed falſum, incidiſſe in feriam quintam, ſeu in diem Jovis) Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe, eumque feria ſexta, ſeu die veneris, quæ erat, juxta ipſius calculum, dies decima quarta lunæ primi menſis, in Cruce pependiſſe, adeoque Paſcha peragere, ſeu Agnum Paſchalem comedere non potuiſſe. Hujus Auctoris ſyſtema, præter quam quod ſcripturæ ſacræ, & conſtanti Patrum traditioni palam adverſatur, plus æquo etiam favet Græcis, qui ritum ſuum de conficienda in fermentato, & non in Azymo Euchariſtia, ex eo maxime probant, quod velint, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum in ſecundis veſperis, ſeu ſub finem diei decimi tertii lunæ primi menſis, quo die Judæis veſci pane fermentato juxta legem licitum erat. Sed de hoc Patris *Bernardi Lamy* novo Syſtemare plura legeſis in *Tractatu*, quem edidi *de Myſteriis & Annis Chriſti*, ubi ſpecialem inſtitui Diſſertationem ad probandum, Chriſtum, anno quo Cruci affixus eſt, eadem die peregiſſe Paſcha, qua illud Judæi celebrarunt, ideſt, in ſecundis veſperis diei decimi quarti lunæ primi menſis *Niſan*, ſicut in lege præſcriptum eſt, & in apparenti Antilogia, quæ circa ſupremum Chriſti Domini Paſcha S. *Joannem* Evangeliſtam inter & tres alios ſacros Amanuenſes, *Matthæum*, *Marcum*, & *Lucam* occurrere videtur, concilianda, atque juxta SS. Patrum doctrinam dilucidanda ſtudium operamque poſui.

D. Licetne modo Latinis Euchariſtiam in pane fermentato, & Græcis in pane Azymo conſecrare?

M. Non licet, Concilium ſiquidem Generale Florentiæ anno MCCCCXXXVIII. convocatum definivit in Decreto unionis Græcorum cum Latinis, *Sacerdotes in Altari ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque juxta Eccleſiæ Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem*. Porro Eccleſia Occidentalis ſeu Latina Legem tulit, qua cautum eſt, ne Presbyteri Latini Euchariſtiam in pane fermentato conficiant. Similiter, Eccleſia Orientalis, ſeu Græca, legem condidit, quæ vetat Presbyteris Græcis ne Azymum conſecrent. Presbytero itaque tam Græco, quam Latino legem Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, non licet infringere. Valida tamen eſt conſecratio, ſive in pane azymo, ſive in fermentato peragatur, quia, nec azymus, nec fermentatus mutant Euchariſtiæ materiam a Chriſto præſcriptam, ſive enim panis ſit azymus, ſive fermentatus, eſt ſemper, quantum ad ſubſtantiam, panis, ut multis contra *Michaelem Cerularium* Patriarcham Conſtantinopolitanum evincit Cardinalis *Humbertus* in Dialogo, quem ad calcem Tomi XI. Annalium Eccleſiaſticorum attexuit *Baronius*. Idem etiam definierunt Patres Concilii Florentini his verbis: *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo, Chriſti Corpus veraciter confici*. Græcos in conficienda Euchariſtia panem fermentatum ſemper adhibuiſſe, ex eo maxime liquet, quod non poſſit aſſignari tempus, quo, relicto azymo, fermentatum uſurpare cœperint. Utrum vero in Eccleſia Latina ſemper in conſecratione Euchariſtiæ adhibitus fuerit panis azymus? difficultas eſt, de qua in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi multa diximus, & de qua necdum convenit inter ſcriptores Latinos. Alii namque volunt, ritum conſecrandi Euchariſtiam in pane Azymo fuiſſe perpetuum in Eccleſia Latina. Alii pertendunt, Eccleſiam Latinam poſt ſchiſma duntaxat Photianum, hoc eſt poſt nonum ſæculum, adhibere cœpiſſe panem azymum. Alii denique aſſerunt, Latinos a temporibus Apoſtolorum ad nonum uſque ſæculum indifferenter panem ſive azymum, ſive fermentatum conſecraſſe, in quam poſtremam ſententiam, utpote probabiliorem, lubentius ipſe deſcendo. Sed hoc de argumento legeſis Cardinalem *Bona* lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 23. *Mabillonium* Diſſertatione *De pane Euchariſtico Azymo & Fermentato*, *Sirmondum* diſquiſitione *de Azymo*, *Natalem Alexandrum* in Panoplia adverſus Hæreſes XI. & XII. ſæcul. Diſſertatione XI. Art. III. *Gaſparem Jueninum* in Commentario Hiſtorico De Sacramentis.

D. Audivi a viris eruditis, præter iſtud ſchiſma *Michaelis Cerularii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, quo Eccleſia Orientalis, ſeu Græca XI. ſæculo ab Eccleſia Occidentali, ſeu Latina, fuit omnino divulſa, aliud eodem ſæculo enatum eſſe in Eccleſia ſchiſma occaſione *Inveſtiturarum* quas vocant, quibus Principes Laici Epiſcopos, & Abbates pro ſua authoritate conſtituebant. Sed antequam de hoc ſchiſmate verba facere incipias, expone, quæſo, in quo ſitum eſſet iſtud *Inveſtituræ* Jus, quod erga Epiſcopos, & Abbates, ſibi vindicabant Principes Laici, & unde ſuam traheret originem?

M. *Inveſtitura* nihil aliud erat, quam conſenſus ab Imperatore, vel a Rege datus Electioni factæ alicujus ad Epiſcopatum, vel Abbatiam, & ſimul conceſſio bonorum Eccleſiaſticorum ſolemni ritu, ſignoque externo, puta per annulum, & baculum Paſtoralem, aut per ſceptrum, aut aliud quodvis Inſtrumentum expreſſa. *Inveſtiturarum* origo profecta eſt a munificentia, & liberalitate Principum Laicorum erga Eccleſias, quibus non ſolum prædia & latifundia conceſſerunt, ſed etiam Regalia, ſed Feuda ſuis Dominiis ſubjecta, quorum proinde poſſeſſiones nolebant Principes laici ut Epiſcopi & Abbates electi adirent, niſi prius eorum Electionem gratam habuiſſent, & hominium atque fidelitatis juramentum ab Epiſcopis & Abbatibus electis præſtitum ſuſcepiſſent. Horumce prædiorum & Regalium Feudorum acceſſione locupletata quidem eſt Eccleſia, ſed iſtius Principum laicorum conſenſus, qui electorum Antiſtitum, & Abbatum conſecrationem præcedere debebat, neceſſitas haud parum ejus libertatem elevavit, quippe quæ Epiſcopis, & Abbatibus electis novum Vaſſallitii, ſeu quoddam genus ſervitutis impoſuit, quam hominio, & fidelitatis juramento Epiſcopi, & Abbates electi ante conſecrationem profiteri, & Principibus Laicis exhibere tenebantur.

D. Certe hoc novum ſervitutis genus Catholica Eccleſia, cui Chriſtus Dominus Sanguine ſuo libertatem peperit, pati minime debuit, nec dubito, quin ea authoritate, qua a Chriſto donata eſt, tum temporis uſa ſit ad compeſcendos illos conatus Principum, qui ejus libertatem opprimere, & in ejus jura temere involare præſumebant.

M. Dubium non eſt, quin Eccleſiæ jus aſſertum ſit ſuam contra quoſvis Chriſtiani nominis homines, etiam contra Principes, libertatem tuendi, poſſitque adverſus cujuſcumque dignitatis Principes condere leges, ſi fines poteſtatis temporalis excurrant, eos excommunicationis fulmine percellere, niſi a cœptis deſiſtant, & mores, quos in ipſis ad tempus toleravit, emendare, immutare, prohibere & damnare, ſi in manifeſtos degenerent abuſus, erroreſque aut ſcandali anſam præbeant, aut Canonicum adjunctum habeant. Verum, quamvis Eccleſia id juris immediate a Chriſto Domino acceperit, eo tamen in cauſa *Inveſtiturarum* ſtatim uſa non eſt, maxime cum Principes laici, præſertim Imperatores, uſque ad Pontificatum *Gregorii VII.* Inveſtituras nullo accepto pretio conferrent, immo, de Eccleſia bene meriti novos in dies epiſcopatus fundarent, dotarentque; nec Canonicarum electionum libertatem opprimerent, ſed ſolum Epiſcopotum electiones conſenſu Cleri populique factas aſſenſu ſuo probarent, illiſque *Inveſtituram* gratis conferrent, poſtquam ſequebatur conſecratio, quæ a Metropolitano fiebat. Verum, hos fines, quibus ſe continuerant Imperatores uſqoe ad Pontificatum *Gregorii VII.* tranſilivit *Henricus* inter Germaniæ Reges hujus nominis IV. ſed inter Imperatores III. ille quippe eſt, qui, ſpreta authoritate Eccleſiæ, *Inveſtituris* ad opprimendam ſacrarum electionum libertatem, ad ſacrilegam Epiſcopatuum, Abbatiarumque nundinationem abuſus eſt promovendo ad ſacras hujuſmodi præfecturas homines plerumque indigniſſimos, & Epiſcopatus per annulum, & baculum paſtoralem, quæ ſpiritualis ſunt inſignia poteſtatis, propria authoritate conſerendo. Id ægre admodum tulit *Gregorius VII.* qui anno milleſimo ſeptuageſimo tertio electus eſt Pontifex Maximus, fuitque libertatis Eccleſiaſticæ & Jurium Sedis Apoſtolicæ acerrimus vindex. Quare, zelo Apoſtolico accenſus Summus ille Pontifex, videns hunc Inveſtiturarum uſum in manifeſtam degeneraſſe tyrannidem, Canonum ſubverſionem, Eccleſiaſticæque libertatis oppreſſionem, eum radicitus extirpare decrevit. Prius tamen, ut *Henricum* Germaniæ Regem ad officium revocaret, omnia benevolentiæ & manſuetudinis media tentavit. Hunc igitur Regem bonis Eccleſiaſticis inhiantem per litteras & Legatos amantiſſime convenit, & viciſſim ab eo litteras accepit, quibus *Henricus* Rex ſuam erga Pontificem obſervantiam teſtabatur, eique in cauſa *Inveſtiturarum* aureos, ut ajunt, montes pollicebatur. Sed haud ſinceram fuiſſe illam *Henrici* Regis reverentiæ, obedientiæ, & promiſſionum ſignificationem demonſtravit eventus. Nec mirum ſane videri debet, quod perfidus ille Rex, in quo luxuria, tyrannis, crudelitas, avaritia ſordida, ſacrorum venundatio, Eccleſiaſticorum Jurium nefanda uſurpatio, aliaque id genus teterrima vitia dominabantur, promiſſis non ſteterit, datam fidem violaverit, & fucatam dumtaxat Summo Pontifici obedientiam exhibuerit. Nec ſemel tantum, ſed ſæpius datam Pontifici Romano fidem feſellit ac fregit *Henricus* Germaniæ Rex. At enim, poſtquam *Gregorius* VII. in Synodo Romana anno MLXXIV. celebrata in quoſdam *Henrici* Regis Conſiliarios excommunicationis ſententiam tuliſſet, ipſique Regi juſſiſſet, ut a conſortio, & familiaritate excommunicatorum abſtineret, atque ſimoniacas Inveſtitoras dimitteret; *Henricus* Rex, egregius diſſimulandi artifex, ſeſe *Gregorio VII.* obſequentem verbis præſtitit, quamdiu ipſum ingens, validuſque preſſit Saxonum exercitus, qui ei maximum timorem incutiebat. At, reportata de Saxonibus victoria, quæ ei magnos animos fecit, ad vomitum reverſus eſt *Henricus* Rex, ſaluberrima *Gregorii VII.* monita inſuper habuit, & *cuncta, quæ per matrem* ſuam *Agnetem* Auguſtam, juxta ac religioſiſſimam fœminam, *per Clericos, per communes Nuncios, & privatos, antea promiſerat, poſtmodum quia ſecurus, in irritum duxit. Siquidem Eccleſias, quas in manibus Domini Papæ corrigendas ſub juramento poſuerat, non ſolum non dimiſit, verum etiam contra Decretales patrum Inſtitutiones, quibuſdam adulteris, & ſimoniacis ſub Inveſtitura contradidit*, inquit *Paulus Bernriedenſis* in *Vita Gregorii VII.* cap. 6. Animadvertens itaque *Gregorius VII.* quod *Henricus* Germaniæ Rex poſt Saxonicam victoriam ad ingenium rediiſſet, ſimoniacas Inveſtituras, uti antehac promiſerat, non dimiſiſſet, & ab excommunicatorum conſortio minime abſtinuiſſet, ſcripſit ad eum epiſtolam, quæ eſt decima libri tertii, in qua ei authoritate Apoſtolica jubet, ut

iis,

Digitized by Google

iis, qui erant excommunicati, a ſe rejectis, ab aliquo Epiſcopo pœnitentiam, & abſolutionem perat, illum ad ſinceram Sedis Apoſtolicæ obedientiam vehementer adhortatur, ſignificatque, Decretum contra *Inveſtituras* latum in Synodo ſecunda Romana ab omnibus Principibus eſſe obſervandum. His litteris Summi Pontificis exaſperatus *Henricus* Germaniæ Rex, eo temeritatis prorupit, ut *Gregorium* VII. legitimum Pontificem in prædatoria Synodo Wormatienſi a ſe coacta deponendum curaverit, ut fuſius oſtendemus in proximo Colloquio, ubi de Conciliis XI. ſæculo celebratis diſſeremus. Hanc ſacrilegam *Henrici* Germaniæ Regis temeritatem nec ſiccis oculis videre, nec ſurda aure præterire potuit *Gregorius VII.* ſed in tuenda, ut par erat, Pontificia authoritate animum erigens, *Henricum* Regem, qui hactenus omnes ejus paternas admonitiones, preces, increpationes, minas, & Sedis Apoſtolicæ Decreta palam contempſerat, quique indignis contumeliis Vicarium Chriſti in terris inſectatus, ſchiſma in ſancta Eccleſia facere molitus fuerat, anathemate confodit, ac Regno privavit in Synodo Romę habita anno MLXXVI. Hoc excommunicationis anathemate, velut repentino fulminis ictu percuſſus *Henricus* Rex, ſtatim deſertam ſe vidit a Regni Principibus, qui ampliſſimo numero una cum Sedis Apoſtolicæ Legatis *Triburiam* convenerunt, ut *Henricum* a Regni adminiſtratione ſummoverent. Sed, cum hic inde parati eſſent duo ingentes exercitus ad prælium, & res in ſummo diſcrimine utrinque verſarentur, conſultius Germaniæ proceribus congregatis viſum eſt, ad *Henricum* Regem mittere Legatos, qui ab eo obtinerent, ut ſe *Gregorio VII.* Pontifici Maximo ſubmitteret; & criminum, quorum inſimulabatur, cognitionem arbitrio, & illius judicio permitteret: *Quod ſi ante diem Anniverſarium communicationis ſuæ, ſuo præſertim vitio, excommunicatione non abſolvatur, abſque retractatione in perpetuum cauſa ceciderit, nec legibus deinceps Regnum repetere poſſit*, inquit *Lambertus Scafnaburgenſis* ad annum 1076. Has a confœderatis Germaniæ Principibus præſcriptas conditiones, volens nolens, excepit *Henricus* Rex, & ut eas abſque cunctatione executioni mandaret, ad iter, media licet hyeme, eaque aſperrima, ſeſe accinxit, Alpes multo cum labore ſuperavit, in Italiam venit, & *Gregorio VII.* Pontifici Maximo apud Oppidum dictum *Canuſium* occurrit, *ibique ante portam Caſtri*, quod triplici muro ſeptum erat, *per triduum depoſito omni Regio cultu miſerabiliter, ut pote diſcalceatus, & laneis veſtibus indutus, perſiſtens; non prius cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit, quam omnes, qui aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam Domini Papæ duritiam mirarentur ... Denique, tanta inſtantia compunctionis, & tanta omnium, qui ibi aderant, ſupplicatione Papa devictus, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & ſinum Sanctę Matris Eccleſiæ recepit: acceptis ab eo ſecuritatibus, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacenſis* (videlicet *Hugonis*) *& nobilium Comitiſſarum* (Mathildis, & Adalajæ) *& aliorum Principum, Epiſcoporum, & Laicorum, qui ſibi ad hæc utiles viſi ſunt, in hunc modum ſuſcepit*, ait *Paulus Bernriedenſis* in Vita *Gregorii* VII. cap. 9. qui etiam teſtatur, abſoluto *Henrico* Germanię Rege, Pontificem inter Miſſarum ſolemnia, parte ſacrorum Myſteriorum accepta, rogaſſe Deum ut, ſi reus eſſet, ſubita periret morte, aliam partem *Henrico* obtuliſſe ſic eum affatum: *Fac ergo fili, ſi placeat, quod me fieri vidiſti, ſi te innocentem noſti?* &c. At *Henricus* Principum, a quibus accuſabatur, cauſatus abſentiam, hanc reſiduam Dominici Corporis partem recipere non eſt auſus. Roma profectus *Henricus* initum cum Romano Pontifice fœdus cito abrupit, fidem ei datam, ac ſolemni juramento confirmatam violavit, atque ut ſibi devinciret Longobardiæ Proceres, qui ei exprobrabant, quod Regiam Majeſtatem fœdiſſima Romæ ſubjectione dejeciſſet, pravos ac dudum excommunicatos Conſiliarios revocavit, favore proſecutus eſt, ac novas in Romanum Pontificem machinationes cum illis ſtruere cœpit. Quam ob rem, cum nulla amplius in *Henrico* Rege affulgeret emendationis ſpes, ſed ipſe in dies deterior, petulantiorque evaderet, Principes Germaniæ ejus perfidiam exoſi, eum in Conventu *Forechemenſi* Regno exauthorarunt, & in illius locum, inſcio tamen & inconſulto *Gregorio* VII. Pontifice Maximo, Regem Germaniæ conſtituerunt *Rodulphum* Sueciæ Ducem, eumque *Sigefridus* Archiepiſcopus Moguntinus coram Legatis Sedis Apoſtolicæ Moguntiæ inauguravit. Non deſtitit tamen *Henricus* Regno licet a Germaniæ Principibus abdicatus furorem ac tyrannidem exercere. Sacra prophanavit, Sacerdotes, & Epiſcopos aut trucidavit, aut in vincula conjecit. De quibus omnibus cum a Legatis a *Rodulpho* Germaniæ Rege miſſis certior factus fuiſſet *Gregorius* VII. Synodum Romæ convocavit, in qua *Henricum*, qui in ſua perverſitate callum obduxerat, communione Eccleſiæ ſimul & Regno privavit, & ad *Rodulphum* Germaniæ Regem in ejus locum ſuffectum coronam miſit cum hac inſcriptione: *Roma dedit Petro, Petrus Diadema Rodulpho.* Proſpere primo, *Rodulphus* pugnavit cum *Henrico*, illiuſque fuſo exercitu, eum compulit in fugam, at in ſecundo conflictu *Rodulphus* forti, conſtantique animo pugnans occubuit. Eo felici martis exitu elatus *Henricus*, ut vicem redderet *Gregorio* VII. qui eum & Regno, & Eccleſiæ communione privaverat, vindictæ cupidus *Guibertum* Ravennatem Archiepiſcopum, qui ante triennium a *Gregorio VII.* Anathemate perculſus fuerat, Antipapam conſtituit in Conciliabulo Brixienſi anno MLXXX. habito. Cum hoc *Guiberto* Pſeudo-Pontifice, dicto *Clemente III.* Romam cum exercitu anno MLXXXIV. venit *Henricus*, & ab eo Imperii Inſignia recepit, *Gregorium VII.* legitimum Pontificem in mole Adriani, ſeu in Caſtello S. Angeli recluſit, eumque in poteſtatem ſuam quamprimum redegiſſet, niſi *Robertus Guiſcardus* Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ Dux, miſeram hujus Sanctiſſimi Pontificis fortunam dolens, Ro-

Digitized by Google

mam cum valido exercitu protinus accurriſſet, ubi *Henricum* ſchiſmaticum vicit, Urbem diripuit, & *Gregorium* VII. e furore hoſtium ereptum, atque in libertatem aſſertum perduxit *Caſſinum*, inde *Salernum*, ubi, ſicut jam obſervavimus in præcedenti Colloquio, ad Cęleſtem Patriam migravit ſanctiſſimus ille Pontifex, cujus ſanctimoniam, & cauſæ, quam pro tuenda libertate Eccleſiaſtica contra *Henricum* Regem ſuſceperat, æquitatem multis poſt ejus obitum prodigiis comprobavit Deus. Mortuo *Gregorio* VII. finita non fuit *Inveſtiturarum* controverſia, ſed *Victori* III. *Urbano* II. *Paſchali* II. & *Gelaſio* II. ſucceſſoribus *Gregorii VII.* diu, multumque cum Imperatoribus luctandum fuit, ut Eccleſiæ, & Imperio ſua jura ſarta tecta ſervarentur, uti exponemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſæculi XII. Eccleſiæ. Tandem ſub *Calixto II.* Pontifice Maximo in Concilio Lateranenſi primo (quod eſt ordine Oecumenicum nonum) celebrato anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio hæc Inveſtiturarum controverſia ita compoſita fuit, ut Imperatores, loco Annuli, & Baculi Paſtoralis, quos antehac in *Inveſtituris* novis electis Epiſcopis dare ſoliti erant, eos deinceps, ſceptro tantum tradito, inveſtirent, quo ſignificaretur, Epiſcopos recens electos temporalia tantum jura ab Imperatore accipere, quod ille per Inveſtituras ſibi vindicare contendebat, ſed ſpiritualia non recipere, quod Pontifices Romani jure optimo Imperatoribus denegabant. (*a*) Quæ hujus litis componendæ ratio, ſi ab ipſo principio inita fuiſſet, multis certe & maximis ſcandalis, bellis, cædibus, & ſchiſmatibus obviam itum eſſet.

„ (*a*) Quamquam in Eccleſiaſticis hiſtoriis lites de inveſtituris adverſus Imperatores tantummodo ſuſcitatæ leguntur; adhuc tamen & alios reges Pontificia anathemata feriiſſe ſatis conſtat. At miror retinentes inveſtituras reges alios, Pontifices tamen Gregorii ſucceſſores, & ſanctiſſimos Epiſcopos patienter eos toleraſſe, uti S. Anſelmus, & S. Wulſtanus Anglicanos. Nam Anglos ad Paſchalem II. uſque retinuiſſe inveſtituras conſtat ex literis S. Anſelmi Cantuarienſis ad Paſchalem II. & ejuſdem Paſchalis ad Anſelmum, quas legas vulgatas a Wilkins Conciliorum Magnę Britannię To. I. pag. 378. & 379.

„ Animadverſione etiam dignum cenſeo Paſchalem II. cum intelligeret Henricum V. adigi nequaquam poſſe, ut renunciaret inveſtituris, quas ſub obtentu regalium ſeu feudorum, quibus Eccleſiaſtici fruebantur, exigebat, feudos illos omnes Henrico renunciaſſe, ac viciſſim Henricum inveſtituras remiſiſſe; at pactum illud brevi duravit, iterumque lites priſtinæ innovatæ ſunt. Id ego animadverti, ac legi in in Annaliſta Saxone Eccardi, nec apud alium quemquam reperi.

D. Reſciditne *Gregorius VII.* Pontifex Maximus, antequam ex hac vita migraret, excommunicationis ſententiam, quam in *Henricum* Germaniæ Regem tulerat?

M. De obitu *Gregorii* VII. ſcribens *Sigebertus* ad annum MLXXXV. ait, *Gregorium* VII. paulo antequam moreretur, reſcidiſſe ſententiam excommunicationis, quam tulerat in *Henricum* Germaniæ Regem. Sed hac in re *Sigeberto* fides adhiberi non debet, tum quia in ſchiſmaticorum Caſtris militavit, ac extra Eccleſiæ Romanæ communionem, cujus legitimum Pontificem non venerabatur, obiit; tum quia omnes Authores graves & coævi Scriptores *Sigebertum*, mendacii arguunt. *Paulus* ſiquidem *Bernriedenſis* in Vita Gregorii VII. quam in lucem edidit *Greſerus*, de obitu Summi illius Pontificis agens, hæc habet: *Interea Pontifex Beatus Gregorius, ſuper his, quos excommunicaverat, requiſitus, ſi quam diſpenſationem facere vellet, reſpondit: præter hæreticum Regem dictum, & Guibertum Apoſtolicæ Sedis invaſorem, & omnes illas principales perſonas, quæ aut conſilio, auxilio favent nequitiæ, vel impietati illorum, omnes abſolvo &c.* Teſtatur etiam *Hugo* Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi, *Gregorium VII.* ea die, qua e vivis exceſſit, Cardinales, & Epiſcopos, qui præſentes aderant, auctoritate Apoſtolica compuliſſe, ut ſibi dexteras darent, promittentes, quod *Hæreticum illum* (Guibertum ſcilicet Pſeudo-Pontificem) *invaſorem Sanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ nunquam reciperent, niſi forte canonice reſipiſcens, puram confeſſionem Cardinalibus Epiſcopis offerret, nudatus omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate: conteſtans & affirmans omnes ſimul in perpetuum condemnandos, quicumque communicare præſumpſiſſent Henrico Archipiratæ, uſurpatori Imperii, niſi depoſita dignitate Regni, ſecundum præceptum eorum pœnitentiam ageret ... Et ſic Spiritum Creatori ſuo tradens anno ab Incarnatione Domini* MLXXXV. *obiit Martyr, & Confeſſor.* Quibus verbis manifeſto patet, Gregorium VII. non reſcidiſſe, antequam moreretur, eam, quam in *Henricum* Germaniæ Regem, & in *Guibertum* Antipapam dictum *Clementem* III. tulerat excommunicationis ſententiam.

D. Quibus potiſſimum rationibus ad damnandas Inveſtituras permotus eſt *Gregorius* VII. Pontifex ſanctiſſimus?

M. Ad damnandum iſtum præpoſterum Inveſtiturarum uſum bene multæ, hæque graviſſimæ rationes *Gregorium* VII. compulerunt. Primo, quia, inquit *S. Anſelmus* Lucenſis Epiſcopus lib. 1. Apologetico pro *Gregorio* VII. contra *Guibertum* Antipapam, hæc eſt conſuetudo ab Apoſtolis derivata, ut, decedente cujuslibet Eccleſiæ Pontifice, Clerus, & populus ejuſdem communi deliberatione, de ſuo, vel alterius Eccleſiæ Clero ſibi Paſtorem præficerent. Hanc autem conſuetudinem (ut proſequitur idem *S. Anſelmus*) nullatenus violare præſumpſerunt Chriſtianiſſimi Imperatores *Conſtantinus*, *Conſtans*, *Valentinianus*, *Theodoſius*, *Arcadius*, *Honorius*, *Carolus*, *Ludovicus*, & his Imperio, & Religione conſimiles, qui vel a ſe, vel ab aliis ædificatas Eccleſias ampliſſimis donis ditaverunt, & in Clero, & rebus Eccleſiarum nullum ſibi dominium, vel judicium vindicare voluerunt; immo, ne quis ſibi vindicaret, quidam eo-

rum

rum legibus vetuerunt, videlicet *Carolus Magnus*, & *Ludovicus Pius*, qui legem condiderunt, quæ extat in Capitulatibus Regum Francorum a *Baluzio* editis, in qua ſic ſtatuunt: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi ſecundum Statuta Canonum, de propria Diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo ſibi ſubjectis prodeſſe valeant*. Sic electionum Epiſcoporum libertatem juxta ſacros Canones conſervarunt religioſi Imperatores. At contra *Zenon*, & *Anaſtaſius* Imperatores Eutychiana hæreſi infecti ſanctam Dei Eccleſiam ſibi ſubdere tentarunt, ita ut Epiſcopos pro ſuo nutu in exilium ablegarent, Apoſtolica traditione poſtpoſita, Epiſcopos eadem Eutychiana hæreſi afflatos in Catholicorum antiſtitum locum ſubrogarent. Præterea, inveſtiturarum uſum damnavit *Gregorius VII.* propter graviſſimos abuſus, qui in eum irrepſerant, & maxime propter ſimoniæ labem, qua ſeſe turpiter fœdabat *Henricus IV.* Rex Germaniæ, qui non ſolum Epiſcopatus per Annulum & Baculum Paſtoralem, quæ ſpiritualis ſigna ſunt poteſtatis, propria auctoritate conferebat, verum etiam ſacras Epiſcopatuum & Abbatiarum Præfecturas, accepto pretio, venales reddebat, & ad illas homines indigniſſimos ut plurimum provehebat, ut teſtatur jam laudatus Sanctus *Anſelmus* Lucenſis Epiſcopus lib. 1. contra *Guibertum* Antipapam, ubi ſic eum alloquitur: *Rex tuus* (ideſt, *Henricus* IV. Germaniæ Rex, a quo *Guibertus* in Sedem Apoſtolicam fuerat intruſus) *ſine intermiſſione vendidit Epiſcopatus .... In parte tua quis præficitur, niſi quem aut gratia exhauſto fœnore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obſequio attraxerit? quis moribus, quis honeſtate, quis vitæ integritate eligitur? perſequendi itaque ſunt lupi*. Tertio, *Inveſtiturarum* uſum qualem ſibi arrogabat *Henricus IV.* Germaniæ Rex proſcripſit & abolevit *Gregorius* VII. quia per hujuſmodi uſum, ſeu potius inveteratum abuſum, excludebantur factæ ad Epiſcopatus & Abbatias electiones, quæ tamen juxta Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum Canones libere & canonice fieri debebant. Concilium quippe Nicænum I. cui interfuere trecenti, & octodecim Epiſcopi, Canone ſexto ſic ſtatuit: *Per omnia autem manifeſtum eſt, quia ſi quis præter voluntatem & conſcientiam Metropolitani Epiſcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum & ſanctum cenſuit non debere eſſe Epiſcopum*. Idem decretum eſt in Concilio Antiocheno Canonibus XIX. & XXIII. *Cæleſtinus* Papa hujus nominis I. ſanxit, *ut nullus invitis detur Epiſcopus, ſed Cleri, plebis, & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur*. *Leo I.* in epiſtola ad Theſſalonicenſem Epiſcopum, & *Symmachus* in Synodo Romana ſacris Canonibus libertatem electionum Epiſcopatuum, & Abbatiarum ſtatuentibus, authoritate Apoſtolica robur addiderunt. Poſtremo, inveſtiturarum uſus a *Gregorio* VII. ideo damnatus eſt, quia Imperatores, & Principes Laici ſub illo ſpecioſo obtentu electiones Epiſcoporum & Abbatum ſibi temerario auſu vindicabant, ac proinde in hoc ſuæ poteſtatis limites excedebant; nam ut ſcribit *Gregorius* Papa hujus nominis II. in epiſtola 2. ad *Leonem Iſaurum* Imperatorem; *quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet ac dignitates Regias deferendi, ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi*. Hinc Canone 3. Concilii ſeptimi Œcumenici, & Canone 12. Concilii generalis octavi decretum eſt juxta antiquos Canones, quod *omnis electio a Principibus facta Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat*. Propter hæc momenta *Inveſtiturarum* uſum, qualem Germaniæ, aliique Principes laici his temporibus uſurpaverant, optimo jure prohibuit, damnavit, antiquavit *Gregorius VII.* Hanc obligationem ægre quidem tulerunt Principes laici, qui ſeſe Regnorum conſuetudine tuebantur. Sed hæc, quam obtendebant, conſuetudo non erat antiqua, immo recens uſurpatio, qua, ſacrarum electionum oppreſſa libertate, Epiſcopatus, & Abbatias pro arbitrio donabant. Præterquamquod hic Inveſtiturarum uſus quoquo modo introductus, perperam *Conſuetudo* dicebatur, cum potius graviſſimus eſſet abuſus, qui palam repugnabat priſcis Eccleſiæ moribus, ſanctiori conſuetudini multorum ſæculorum uſu firmatæ, Conciliorum Oecumenicorum Canonibus, Summorum Pontificum Decretis totius mundi reverentia conſecratis, & ſimoniæ, ambitionis, atque omnimodæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſionis eſſet occaſio.

D. Si Summam laudem mereatur *Gregorius VII.* & hoc potiſſimum nomine in Eccleſia plurimum commendetur, quod in vindicanda, juxta antiquorum Canonum normam, libera Epiſcoporum, & Abbatum electione, impavido animo reſtiterit *Henrico IV.* Germaniæ Regi, qui ſacris ſpretis Canonibus, hanc in ſacris ad Prælaturas electionibus libertatem opprimebat, non video ſane, quid ſentiendum ſit de *Leone X.* Pontifice Maximo, qui, ut nuperrime legebam in *Specimine Juris Eccleſiaſtici* edito *a Doujatio*, abolevit in Galliis *Pragmaticam ſanctionem*, quæ nihil aliud erat, quam celebris illa Conſtitutio in Concilio Bituricenſi ſub Carolo VII. Chriſtianiſſimo Galliarum Rege anno MCCCCXXXVIII. promulgata, per quam omnibus Regni beneficiorum Collatoribus ordinariis ſua relinquebantur beneficia conferendi Jura, & Clero, ſeu capitulo electiones Epiſcoporum juxta ſacros Canones reſtituebantur. Hanc autem Pragmaticam ſanctionem antiquæ diſciplinæ & Eccleſiaſticæ libertati conſentaneam abrogavit *Leo X.* & ejus loco ſubſtituit *Concordatum Gallicum*, quo nomine intelligitur percelebris illa conventio Bononiæ *Leonem X.* Pontificem Maximum inter & *Franciſcum I.* Galliarum Regem inita an. MDXVI. & in quinto Lateranenſi Concilio confirmata, per quam ſtatuitur, ne deinceps, Cathedrali vacante ſede, per Clerum, ſeu Capitulum, eligatur Epiſcopus, & Galliarum Regi adjudicatur jus nominandi ad Epiſcopatus & Abbatias Regni ſui. Nunc itaque, ſi placet, *Leonem X.* qui per Con-

cordatum abolevit in Gallis Epiſcoporum, & Abbatum electiones, quæ juxta antiquiſſimam conſuetudinem, & vigorem priſcorum Canonum fieri ſolebant, concilia, ſi poſſis, cum *Gregorio VII.* qui ad vindicandas Epiſcoporum electiones conſenſu Cleri ac plebis a primis Eccleſiæ ſæculis factas omnem ſuam curam, totamque authoritatem ſuam jugiter contulit, & *Henricum IV.* Germaniæ Regem ſacrarum illarum electionum libertatem opprimere conantem ab Eccleſiæ communione præſcindere, Regnoque privare non dubitavit.

M. Impenſe profecto gaudeo, quod ſtudio Juris Canonici Clericis ſumme neceſſario diligenter incumbas. Sed quia de *Concordato Gallico* multa ſuo loco, ideſt in Colloquiis in Hiſtoriam decimi ſexti Eccleſiæ ſæculi dicturi ſumus ſufficiet hic ad diluendam eam, quam propoſuiſti, difficultatem breviter oſtendere, *Leonem X.* Pontificem Maximum, per iſtud *Concordatum Gallicum* ne minimum quidem intuliſſe præjudicium antiquis Conciliorum Canonibus, & Romanorum Pontificum Decretis, quæ pro libertate ad ſacras Prælaturas electionum mox adduximus, ſed potius utrumque Pontificem, ſeu tam *Gregorium VII.* in vindicandis contra *Henricum IV.* Germaniæ Regem Epiſcoporum electionibus, quam *Leonem X.* in iiſdem Epiſcoporum in Galliis abrogandis electionibus, prudenter, ac ſapienter, habita ratione temporum, locorum, circumſtantiarum & perſonarum, ea geſſiſſe, quæ in rem, ſeu in bonum, & utilitatem Eccleſiæ ceſſerunt. In primis, Canones Conciliorum, & Romanorum Pontificum Decreta, quæ pro aſſerenda ſacrarum electionum libertate laudavimus, non prohibent Principibus laicis, ne Epiſcopos, ſede vacante, præſentent, ſeu deſignent aut nominent, ſi id ipſis Eccleſia ultro conceſſerit, aut permiſerit, ſed tantum prohibet Principibus laicis, ne propria authoritate, invita & reclamante, nec conſentiente Eccleſia, audeant ſacras impedire electiones, juſque ſibi adſciſcere Epiſcopatus & Abbatias conferendi. Porro, Galliarum Reges jus, quo potiuntur nominandi ad Epiſcopatus & Abbatias Regni ſui, non propria authoritate ſibi arrogant tanquam Regiæ ſuæ dignitati, aut coronæ eſſet annexum, ſed illud, quo utuntur, Jus ſoli indulgentiæ & conceſſioni Eccleſiæ ipſis factæ, vi *Concordati Gallici* Leonem X. inter & *Franciſcum I.* initi, acceptum referunt, quo fit, ut Galliarum Reges, qui ab Eccleſia hoc jure nominandi ad Epiſcopatus & Abbatias donati ſunt, non violent antiquos Canones, quibus cautum eſt, ne Principes, non conſentiente Eccleſia, ſuam in negotiis Eccleſiaſticis, & ſacris Epiſcoporum & Abbatum electionibus interponant authoritatem. Præterea Summus Pontifex, qui clavum univerſæ Eccleſiæ regit, poteſt, nemine refragante, antiquos Canones moderari, & temperare, maxime, quando Eccleſiarum particularium neceſſitas vel utilitas poſtulare videntur. Eccleſiæ autem Gallicanæ utilitas, immo neceſſitas tempore *Leonis X.* omnino exigebat, ut abolerentur Epiſcoporum electiones, quæ licet per ſe & ex inſtitutione bonæ, progreſſu tamen temporis hominum vitio noxiæ magis, quam utiles evaſerant, utpote fœdatæ illicitis, & ſimoniacis pactionibus, particulari amore, ſanguinis affectione, & non ſine perjurii reatu, ut juſte conqueritur *Leo X.* in *Concordatis* tit. 4. Quare, cum tot mala, & corruptelæ, quæ vigente in Galliis Pragmatica Sanctione, altas radices egerant, nullis adhibitis remediis ſanari, tollive, ſecurim ad radicem tempeſtive admovit *Leo X.* & electiones Epiſcoporum, & Abbatum tot inquinatas vitiis abrogavit ob Eccleſiæ Gallicanæ bonum, & univerſalis Eccleſiæ ædificationem, ut nimirum hoc pacto ambitui, & ſimoniæ aditus præcluderetur. Si ratio itaque habeatur temporum, locorum, circumſtantiarum ac perſonarum, ambo iſti Pontifices, videlicet *Gregorius VII.* & *Leo X.* perinde laudari debent. Gregorius ſeptimus inſignem laudem meretur, quod ſtrenue teſtiterit, ſeque tanquam murum æneum oppoſuerit *Henrico IV.* Germaniæ Regi, qui ſacras Epiſcoporum, & Abbatum electiones opprimebat, Epiſcopatus, & Abbatias propria ſua authoritate, & abſque ullo Eccleſiæ conſenſu, omnibus plerumque indignis conferebat; *Leo* vero *Decimus* ſingulari commendatione dignus eſt, quod Epiſcoporum, & Abbatum electiones, quæ multis vitiis, & præſertim ſimoniæ labe in Galliis laborabant, antiquaverit, & Regi Chriſtianiſſimo Jus conceſſerit nominandi ad Epiſcopatus, & Abbatias Regni ſui ſub certis tamen quibuſdam conditionibus in *Concordato Gallico* expreſſis, quas ſuo loco opportunius expendemus. Sed hæc *de Pragmatica ſanctione*, & *de Concordato Gallico* occaſione *Inveſtiturarum* obiter obſervare volui, ut tibi tantum ſalivam moverem, & piam illorum, quæ in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam decimi ſexti ſæculi plenius de his dicturi ſumus, excitarem orexim.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, quæ ſæculis decimo & undecimo Eccleſiæ variis in locis fuerunt celebrata.

M. SÆculum Eccleſiæ decimum Conciliis ſingulari aliqua obſervatione dignis vacat, tum quia in eo ſæculo (quod, ſicut jam obſervavimus, ob ignorantiam ubique graſſantem fuit calamitoſiſſimum) nullæ Hæreſes ſingulari divinæ providentiæ beneficio obortæ ſunt, nullave ſchiſmata Eccleſiam infeſtarunt; tum quia etiam multi Epiſcopi, & nonnulli Pontifices Romani a virtute Majorum ſuorum degenerantes, parum id ætatis curarunt convocare Concilia ad reſtaurandam Diſciplinam Eccleſiaſticam morum diſſolutione plurimum labefactatam. Quo circa, cum pauca in ſæculo decimo occurrant celebrata Concilia peculiari aliqua nota digna, ſi velis, ſilentio ea in præſentia prætermittemus.

D. Quamvis in referendis Conciliis quæ decimo Eccleſiæ ſæculo habita ſunt, nullaque peculiari nota tibi digna videntur, diu operam male locare haud debeamus, non abs te tamen erit, ad plenam hujus ſæculi Hiſtoriæ notitiam com-

paran-

Digitized by Google

parandam, præcipua ſaltem Concilia ordine chronologico paucis indicare verbis, ut deinde continenti ordine ad ea progrediamur Concilia, quæ undecimo, Eccleſiæ ſæculo fuerunt convocata.

M. Conciliorum, quæ decimo Eccleſiæ ſæculo habita fuerunt, primum ordine Chronologico eſt Concilium Conſtantinopolitanum anno nongenteſimo primo inductum a *Nicolao Myſtico* hujus civitatis Patriarcha, qui offenſus fuit de illegitimis nuptiis, quas *Leo*, dictus *Sapiens*, Imperator contra canones in Eccleſia Orientali receptos, mortua *Eudocia* uxore tertia, inierat cum quarta uxore, nomine *Zoe*. Quartas haſce nuptias, collecta ſynodo reprobavit Patriarcha, *Thomam* Presbyterum, qui hoc matrimonium ritu Eccleſiaſtico conſecraverat, depoſuit, ipſumque Imperatorem ſacris intereſſe vetuit, donec reſipiſceret, & contractum matrimonium diſſolveret. Quod ægre ferens Imperator, ſanctum illum Patriarcham ſede depoſitum in exilium ablegavit. Ad eumdem annum nongenteſimum primum Collectores Conciliorum poſt Baronium referunt convocationem Concilii *Ovetenſis ſecundi* in Hiſpania. Sed iſtud Concil. *Ovetenſe ſecundum* plane fictitium eſſe luculenter oſtendit Hiſtoria *Sampiri* Aſturicenſis Epiſcopi, quæ a *Sandovallio* Epiſcopo Pompejopolitano cum aliis quatuor ſcriptoribus Hiſpanicis edita eſt. In hac quippe *Sampiri* Hiſtoria habetur tantum mentio unici Concilii *Ovetenſis*, quod, a *Joanne* VIII. Eccleſiam Romanam regente, ad petitionem *Alphonſi* III. Hiſpaniarum Regis anno 892. congregatum eſt, & in quo, ut oſtendimus in Colloquio, primo in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi pag. 286. *Ermenegildus* Eccleſiæ Ovetenſis conſecratus fuit Archiepiſcopus, ejuſque Eccleſia auctoritate Pontificia in Metropolim fuit erecta. Falluntur itaque illi ſcriptores, qui ex unico Concilio *Ovetenſi* duo Lectoribus obtrudunt. Paulo major de Epocha Concilii *Anglicani* occurrit difficultas. *Willelmus* quippe *Malmesburienſis* lib. 2. *de Geſtis Regum Anglorum* cap. 5. ait Concilium *Anglicanum*, regnante *Edwardo ſeniore* anno nongenteſimo quarto, juſſu *Formoſi* Papæ fuiſſe convocatum, & in eo, ad bene ordinandam Eccleſiam Anglicanam conſtitutos eſſe Epiſcopos ſingulis Provinciis *Geviſorum* ideſt, *Weſt Saxonum*, quæ per ſeptem annos fuerant Antiſtitibus deſtitutæ. Addit etiam *Malmeſburienſis*, peracto hocce Concilio Anglicano, *Plegmundum* Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui huic Concilio præfuerat, Romam profectum eſſe, atque poſt ſuum reditum conſtituiſſe *ſeptem Epiſcopos Provinciis*, ut videre eſt apud *Baronium*, qui locum integrum *Willelmi Malmeſburienſis* refert. Sed, cum *Formoſus* Papa anno nongenteſimo quarto non ſederit, ut pote vita functus anno octingenteſimo nonageſimo ſexto, exiſtimavit *Baronius*, loco anni nongenteſimi quarti legendum eſſe in *Willelmo Malmeſburienſi* annum octingenteſimum nonageſimum quartum, quo anno aſſerit Baronius, iſtud Concilium Anglicanum fuiſſe celebratum. Verum, ut cordate fatear, hæc mihi non probatur *Baronii* Correctio, quia certum eſt, iſtud Concilium *Anglicanum* habitum fuiſſe, ut teſtatur *Willelmus Malmesburienſis* regnante jam in Anglia *Edwardo ſeniore*; conſtat autem, *Edwardum ſeniorem* ante annum nongenteſimum non cœpiſſe regnare in Anglia: non fuit itaque iſtud Concilium Anglicanum convocatum anno octingenteſimo nonageſimo quarto, ut pertendit *Baronius*. Potius igitur dicendum eſt, *Willelmum Malmesburienſem* recte quidem aſſerere, hoc Concilium Anglicanum fuiſſe congregatum anno nongenteſimo quarto, illum tamen memoriæ lapſum eſſe paſſum in deſignando Romano Pontifice, quem appellat *Formoſum*, & cujus juſſu ait, Concilium Anglicanum habitum fuiſſe. Quapropter, ut omnia ſibi cohæreant, loco *Formoſi* Papæ, reponendus eſt *Chriſtophorus*, vel *Sergius III.* qui anno nongenteſimo quarto Eccleſiam Romanam ſucceſſive rexerunt. *Wartonus* parte I. *Angliæ ſacræ*, ut iſtius controverſiæ fundamentum tolleret, non ſolum rejicit tanquam fictitiam Epiſtolam, quam *Malmesburienſis* aſſerit a *Formoſo* Papa ad *Edwardum* Regem eſſe ſcriptam verum etiam integram de conſecratione ſeptem Epiſcoporum a *Plegmundo* Archiepiſcopo Cantuarienſi facta, & de ſeptennali vacatione Epiſcopatuum in Anglia Hiſtoriam, quam *Willelmus Malmesburienſis*, & *Florentius Vigornienſis* narrant, exſufflat, ut prorſus commentitiam. Sed præpoſteram *Wartoni* de hac Hiſtoria dubitationem falſi convincunt non ſolum *Malmesburienſis*, & *Vigornienſis*, ſed etiam *Ingulphus*, *Gervaſius Dorobernenſis*, *Weſtmonaſterienſis*, & celebriores Angliæ ſcriptores, qui hanc Hiſtoriam de ſeptennali vacatione Epiſcopatuum in Anglia, & de conſecratione ſeptem Epiſcoporum facta a *Plegmundo* Archiepiſcopo Cantuarienſi litteris conſignarunt. (*a*)

„ Hanc Graveſonii conjecturam nomen Sergii „ III. pro Formoſo apud Malmesburienſem ſubſtitutentem, admittit etiam noviſſimus Conciliorum Britanniæ editor Wilkins, qui de „ veritate hujus hiſtoriæ ne dubitat quidem. Aſſert etiam eandem, prout legitur in MS. Codice Cantuarienſi, in quo pariter ea, quæ Malmesburienſis, aſſert. Additur Formoſum (ita „ etiam ibi pro Sergio) omnia a Plegmundo, „ facta de ſeptem Epiſcopis conſecratis, *in Synodo S. Petri ſic concluſiſſe, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc ſalubre mutaret conſilium*. Ex „ quo novum Romanum Concilium anni 905. „ reſultat, niſi forte dixerimus hanc eſſe Synodum Romanam, quam anno 906. Romæ habitam, & in ea ſuſpenſum ad triennium Willelmum Epiſcopum ego ex auctore Chronici „ Novalicenſis in meo Conciliorum ſupplemento „ Tom. I. pag. 1099. adnotavi.

Heriveus Archiepiſcopus Remenſis anno nongenteſimo nono Synodum celebravit apud *Troslejum* qui locus olim fuit in pago Sueſſionico non ignobilis, nunc autem vicus eſt nomen vetus retinens, ſitus ad *Axonam* fluvium, & *Drosly* vulgo appellatur. In hac ſynodo *Troslejana* quindecim conditi ſunt Canones, in quorum tertio inſigne extat teſtimonium Epiſcoporum, qui Regum Francorum Capitularia vocant *Canonum*

pediſſequa, hoc videlicet loquendi modo, quamvis non admodum latino, inquit *Baluzius* in Præfatione ad Tomnm I. *Capitulariam Regum Francorum*; ſignificare volentes, ejuſmodi Capitularia Regulis Eccleſiaſticis, ſeu canonibus, quibus Eccleſia regitur, & Diſciplina Eccleſiaſtica conſtat, eſſe apprime conſentanea. Apud eumdem locum dictum *Troslejum*, tria alia Concilia ſæculo Eccleſiæ decimo congregata fuerunt. In Concilio *Troslejano*, quod eſt ordine ſecundum, fuitque indictum anno nongenteſimo vigeſimo primo, *Erlebaldus* Comes Caſtricenſis pagi, qui, ob terras quaſdam Eccleſiæ Remenſi ereptas, fuerat excommunicatus poſt mortem, ad petitionem *Caroli Simplicis* Francorum Regis, a vinculo excommunicationis abſolutus eſt ab *Heriveo* Remenſium Archiepiſcopo hujus Concilii Præſide, ſicut narrat *Flodoardus* lib. 4. Hiſtoriæ Remenſis c. 16. & in *Chronico* ad annum DCCCCXXI. in Concilio *Troslejano* III. quod habitum fuit anno DCCCCXXIV. *Iſaac* Comes, qui Caſtellum quoddam *Stephani* Epiſcopi Cameracenſis incenderat, in gratiam cum illo rediit, et pro damno illato perſolvens centum argenti libras, ut teſtatur *Flodoardus* lib. 4. Hiſtoriæ Remenſis. In Concilio *Troslejano* quarto, quod fuit indictum anno DCCCCXXVII. & cui ſex interfuerunt Epiſcopi, Comes *Herluinus*, qui, vivente uxore ſua, aliam duxerat; pœnitentiam ſibi impoſitam demiſſo animo ſubiens, abſolutionem percepit, teſte *Flodoardo* lib. 4. *Hiſtoriæ Remenſis*, & *Chronico* ad annum DCCCCXXVII.

Concilium *Confluentinum* in urbe Germaniæ vulgo *Coblentz* appellatá, ubi Moſella in Rhenum influit, ſita in Diœceſi Trevirenſi, ſub *Carolo* Galliarum, & *Henrico* Germaniæ Regibus anno nongenteſimo vigeſimo ſecundo celebratum fuit, eique præfuit *Herimannus* Colonienſis Archiepiſcopus. Extat iſtud Concilium *Confluentinum* Tomo IX. Concil. cum aliquot Canonibus in eo conditis, quos *Coſſartius* Soc. Jeſu collegit ex variis titulis *Burchardi*. Concilium *Erpfordienſe* in Germania in cauſa Diſciplinæ Eccleſiaſticæ habitum fuit ſub *Henrico* Germaniæ Rege Kalendis menſis Junii anni nongenteſimi trigeſimi ſecundi, ſicut in iſtius Concilii Præfatione legitur. Univerſæ pene Germaniæ Præſules huic Concilio interfuerunt, & ideo dicitur *Univerſale*. Quinque in eo conditi ſunt canones, quos integros recitat *Baronius* (*a*). Concilium *Engilenheimenſe* in Oppido ad Rhenum in Palatinatu inferiori Bingium inter & Moguntiam ſito, ex omnibus Germaniæ, & nonnullis Galliarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis anno nongenteſimo quadrageſimo octavo coactum eſt, cui etiam *Otto* Rex Germaniæ, & Imperator, ac *Ludovicus Tranſmarinus* Galliarum Rex interfuerunt, eique præfuit *Marinus* Sedis Apoſtolicæ legatus. In hoc Concilio *Artaldus* in Sedem Remenſem, e qua pulſus fuerat, reſtitutus eſt, & *Hugo*, qui eam invaſerat, anathemate perculſus. *Hugo* quoque Comes ob rebellionem in *Ludovicum Tranſmarinum* Galliarum Regem, & tyrannidem, quam exercebat in Eccleſiam, fuit excommunicatus. Decem in hoc Engilenheimenſi Concilio conditi ſunt Canones, quorum primo *ſtatuitur*, *ut Paſchalis Hebdomada feſtive tota celebretur*, *& in Pentecoſte ſecunda*, *tertia & quarta feria*, *non minus quam dies Dominicus*, *ſolemniter honoretur*. Septimo Canone præcipitur, ut in *Letania Majore*, die Sancto Marco Evangeliſtæ ſacra jejunium ſicut in Rogationibus ante Aſcenſionem Chriſti Domini accurate obſervetur. Octavo Canone prohibetur Laicis, ne oblationes Altaris ſibi vindicent. Nono Canone ſancitur, ut Decimarum cauſæ non apud ſæculares Judices, ſed in Synodo diſcutiantur. Decimo Canone inceſtæ nuptiæ diſtricte vetantur. Prolixiora hujus Synodi Acta Tomo IX. Conciliorum exhibentur ex *Flodoardo* lib. 4. Hiſtoriæ Remenſis cap. 35. quæ, teſte eodem *Flodoardo* in Chronico, fuerunt confirmata ab *Agapeto* II. Summo Pontifice in Concilio Romæ habito anno nongenteſimo quadrageſimo nono. Ad eumdem annum, quo in Germania celebrata eſt Synodus Engilenheimenſis, ſeu ad annum nongenteſimum quadrageſimum octavum referri debent duo alia Concilia in Germania pro cauſa *Artaldi* & *Hugonis* Comitis habita, ſcilicet *Moſomenſe* ad Moſam fluvium, & *Trevirenſe*, in quibus *Artaldo* ſedes Remenſis fuit etiam adjudicata, & *Hugo* Comes, *Ludovico Tranſmarino*, Francorum Regi perduellis, iterum excommunicationis pœna multatus. His Conciliis in Germania decimo Eccleſiæ ſæculo celebratis addi debet Concilium *Auguſtanum*, quod anno nongenteſimo quinquageſimo ſecundo ſub *Ottone I.* Imperatore convocatum eſt, & cui Præſules ex Germania, Gallia, & Italia viginti quatuor adfuere. In hoc Concilio, cui præfuit *Frithuricus* Moguntinus Archiepiſcopus, undecim conditi ſunt Canones, qui vitam, mores, & cælibatum Clericorum, nec non Monaſticam Diſciplinam ſpectant, & extant Tomo IX. Conciliorum.

„ (*a*) Concilio huic Herthfordienſi alia capita, in „ meo ſuppl. Concil. adjeci, deſumpta ex Bur„ chardo, quorum alterum eſt: ne habeantur *ſe*„ *cularia placita* diebus Dominicis & aliis præci„ puis feſtis, & in quibus legitima jejunia cele„ brantur. Tum juſtitium indicit diebus nonnul„ lis ibidem deſignatis. Alio vero canone ana„ themati ſubjicit Epiſcopos, qui cum publice ex„ communicatis communicaverint.

Antiqui Britanni, quos nunc *Anglos* appellamus, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigorem, Epiſcoporum authoritatem, & templorum reverentiam collectis decimo Eccleſiæ ſæculo Synodis conſervare maximopere adlaborarunt. Refert ſiquidem *Spelmannus* Tomo I. Concil. Britan. cap. 4. quod, *Patre* (id nomen ejus erat) Epiſcopo, Landavenſem Eccleſiam adminiſtrante, Rex Britanniæ, *Nougui* dictus, Eccleſiam expilavit, ejuſque libertatem læſit; Sed de his in Synodo *Landavenſi* circa annum nongenteſimum quinquageſimum indicta reprehenſus Rex, ſtatim facti pœnitens non ſolum omnia, quæ Eccleſiæ rapuerat, reſtituit, verum etiam cum lachrymarum effuſione veniam humiliter petiit, & villam quamdam cum toto ſuo territorio in eleemoſynam dedit. Altera Synodus *Landavenſis* anno nongenteſimo quin-

Digitized by Google

quinquageſimo quinto congregata eſt propter Diaconum a quodam ruſtico vulneratum, quem Diaconus cum jugulaſſet, & in templum fugiſſet, ibidem à quibusdam viris de familia Regis *Nougui* ante Altare occiſus eſt. In hac porro ſecunda Synodo Landavenſi, viri, qui crimen illud patraverant, poſtquam menſes ſex ferreis devincti catenis, carceribus detenti fuiſſent, juſſu Concilii coacti ſunt agrum ſuum, & ſeptem libras argenti reddere Eccleſiæ, quam occiſi Diaconi ſanguine maculaverant. Utraque Synodus Landavenſis legitur apud *Spelmannum* loco mox a me laudato, & inſerta eſt Tomo IX. Concil. Refert idem *Spelmannus* quinque alia Concilia a Sancto *Dunſtano* Archiepiſcopo Cantuarienſi ſæculo decimo in Anglia celebrata, quæ hic continuato ordine ſubjiciam, ut ea ſimul collecta habere poſſis. Primum Concilium, quod S. *Dunſtanus* anno nongenteſimo ſexageſimo nono convocavit, dicitur *Anglicum*, & in eo decretum eſt, ut antiqui Canones de continentia Clericorum, qui temporum injuria contemnebantur, deinceps accurate ſervarentur, & *Edgaro* Angliæ Regi, qui Virginem clauſtralem oppreſſerat, ſeptennalis pœnitentia impoſita eſt. Alterum Concilium a *S. Dunſtano* coactum anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo eſt *Londinenſe*, in quo *Edgarus* Angliæ Rex confirmavit celeberrima Privilegia Monaſterio Glaſtonienſi conceſſa, reſervata tamen ſibi & hæredibus poteſtate baculum conferendi Abbati, qui a Monachis eſſet eligendus, ut fuſe narrat *Malmesburienſis*, ex quo Baronius recitat Epiſtolam *Joannis XIII.* Papæ, qui ad petitionem *Edgari* Regis Angliæ, & *Dunſtani* Cantuarienſis Archipræſulis, Acta illius Concilii Londinenſis authoritate Pontificia approbavit. At mortuo *Edgaro* Angliæ Rege, qui Monachos impenſe colebat, multaſque, dum regnaret, leges Eccleſiaſticas ac Civiles frequenti ſenatu ad Dei gloriam, & Reipublicæ utilitatem tulit, Optimates Regni Angliæ erga Monachos male affecti expulerunt Abbates & Monachos e Monaſteriis, in quibus eos *Edgarus* Rex collocaverat, & eorum loco Clericos incontinentes, quos etiam nonnulli dicunt fuiſſe uxoratos, induxerunt. Hinc *S. Dunſtanus* ad dirimendam acerrimam iſtam contentionem Monachos inter & Clericos incontinentes obortam, tria celebravit Concilia, nimirum *Wintonienſe* anno DCCCCLXXV. *Kirtlingtonienſe* anno DCCCCLXXVII. & *Calnienſe* in agro *Wiltonienſi* an. DCCCCLXXVIII. In quibus Conciliis hæc lis in gratiam Monachorum dirempta eſt, ut paſſim ſcriptores Anglici obſervant, quos inter *Hovedenus* & *Aſordus* aſſerunt, Primores aliquot Angliæ congregato exercitu, Monaſteria Anglorum Orientalium, quæ Clerici incontinentes invadere volebant, ſtrenue defendiſſe, & a Monachis fortiter ſtetiſſe. Ex his Conciliis, quæ decimo Eccleſiæ ſæculo fuerunt in Anglia celebrata, facile intelligere potes, quanto zelo conſervandi Diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigorem Angli eo ſæculo flagrarent, a quorum pietate & avita Religione, dum ſub *Henrico VIII.* Angliæ Rege, & Anglicani ſchiſmatis Auctore, anno MDXXXII. deſciverunt degeneres Angli, in multas continuo Hæreſes, inteſtinaſque diſſenſiones miſerum in modum fuere diſtracti. Sed reliqua proſequamur Concilia, quæ ſæculo Eccleſiæ decimo coacta ſunt. *Joannes XII.* Pontifex Maximus Synodum Romæ anno DCCCCLXIV. habuit, in qua *Leonem VIII.* Pſeudo Pontificem damnavit tanquam ſchiſmaticum, & Acta Conciliabuli ſub eo Antipapa habiti anno DCCCCLXIII. reprobavit. Extant Acta illius Synodi a *Joanne* XII. indictæ Tomo IX. Conciliorum. *Joannes* XIII. Romanus Pontifex tria peregit Concilia, *Ravennenſe* I. *Ravennenſe* II. & *Romanum*. In Concilio Ravennenſi I. quod an. DCCCCLXVII. congregatum eſt, *Heroldus* Salisburgenſis Archiepiſcopus depoſitus & excommunicatus eſt, & *Fridericus* ejus loco ſuffectus fuit. In eodem Concilio Ravennenſi primo facta eſt Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Inſtitutio, quæ deinde in ſecundo Concilio Ravennenſi anno DCCCCLXVIII. celebrato rata habita eſt. Sedem Beneventanam in Metropolim erexit *Joannes* XIII. in Concilio Romano, quod præſentibus *Ottone* I. Imperatore, & *Ottone* II. hujus filio, & multis Præſulibus, nec non religioſis quamplurimis viris peractum eſt, ut patet ex Epiſtola, quam ſummus ille Pontifex ſcripſit ad *Landolphum* Archiepiſcopum Beneventanum, quæ extat Tomo IX. Conciliorum. Sanctum *Udalricum* Epiſcopum Auguſtanum in Concilio Romano, quod anno nongenteſimo nonageſimo tertio habitum eſt, *Joannes* XV. Pontifex Maximus ſolemni ritu in Sanctorum album retulit, ſeu, ut vulgo ajunt canonizavit, ut conſtat ex ſummi hujus Pontificis Diplomate, quod a *Baronio* recitatur. *Hoc*, inquit *Mabillonius* Præfatione in ſæculum V. Benedictinum, quod eſt Eccleſiæ decimum, *primum indubitatæ fidei monumentum de ſolemni per Romanum Pontificem canonizatione invenimus Diploma Joannis XV. qui in frequenti Epiſcoporum Conventu, ad preces Liutulphi Epiſcopi Auguſtani Udalricum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum in ſanctorum album retulit*. Exiſtimat tamen *Baronius*, jam tempore *Leonis* III. Summi Pontificis ſolemnes Sanctorum Canonizationes in uſu fuiſſe. Sed de tempore, quo ſolemnes Sanctorum Canonizationes per Romanos Pontifices in Eccleſia fieri cœperunt, iterum redibit ſermo in ſexto Colloquio, ubi de Diſciplina Eccleſiæ ſæculorum X. & XI. diſſeremus. Præter hæc Concilia, quæ hactenus retulimus ſæculo decimo congregata, quædam alia recenſentur, quæ hic breviter ſubnectam. Anno nongenteſimo nonageſimo ſexto *Gregorius* V. Pontifex Maximus Romæ Synodum habuit, in qua cauſa *Herluini* Cameracenſis Epiſcopi conquerentis de bonis Eccleſiæ ſuæ invaſis judicata eſt. In eadem Romana Synodo multi poſt Baronium aſſerunt, ſtatutum fuiſſe, ut Imperator deinceps a ſeptem Electoribus Germaniæ Principibus eligeretur. Verum, antiqui ſcriptores, qui de rebus Germaniæ ſcripſerunt, aſſerunt hanc Inſtitutionem ſeptemVirum, ſeu Principum Germaniæ, penes quos ſolos Imperatorem eligendi reſideret poteſtas, nec factam in hac Synodo Romana, nec *Gregorio* V. Pontifici Maximo acceptam referunt. Certum tamen eſſe de-

debet, Jus eligendi Imperatores manaſſe a *Leone* III. Romano Pontifice, qui in *Carolo Magno* Galliarum Rege Imperium in Occidente omnino extinctum renovavit, eumque de Eccleſia optime meritum corona, & titulo Imperatoris decoravit. Id etiam diſerte ſcribit *Innocentius* III. in Epiſtola ad *Bertholdum* Zaringiæ Ducem poſt *Ottonis* IX. Imperatoris electionem factam initio ſæculi XIII. In ea quippe Epiſtola capite *Venerabilem de electione* hæc habet *Innocentius* Papa: *Illis Principibus jus & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promovendum recognoſcimus, ut debemus, ad quos de jure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere; præſertim cum ad eos jus, & poteſtas hujuſmodi ab Apoſtolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperatorem in perſona Magnifici Caroli a Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent (ſicut iidem in noſtra recognovere præſentia) quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promovendam ad Imperium ad nos ſpectat, qui eam inungimus & coronamus. Eſt enim regulariter, & generaliter obſervatum, ut ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi Principes non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia, ſacrilegum quemcumque vel excommunicatum, tyrannum, fatuum, vel hæreticum eligerent aut Paganum, nos inungere, conſecrare, aut coronare hominem ejuſmodi deberemus? abſit.* Ex quibus doctiſſimi illius Pontificis verbis manifeſtum eſt, eos, qui electi ſunt Reges Germaniæ, jus habere, ut *Imperatores* appellentur, modo tamen nullus in eorum electione defectus occurrat, cujus examen ad ſummos Pontifices ſpectat, ut conceptis verbis aſſerit jam citatus *Innocentius* III. Extat apud *Ducheſnium*, Tom. 3. *Hiſt. Francorum* Epiſtola *Ludovici* II. Imp. ad *Baſilium* Græcorum Imperatorem, in qua hæc habet: *Francorum Principes, primo Reges, deinde vero Imperatores dicti ſunt, ii duntaxat qui a Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt.* Alia duo Concilia *Ticinenſe*, & *Romanum* alterum congregavit *Gregorius* V. In Concilio Ticinenſi, quod anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo habitum eſt in *Creſcentium*, qui Romæ tyrannidem exercebat, & *Joannem* Epiſcopum Placentinum creaverat Antipapam, atque *Gregorium* V. legitimum Pontificem Roma expulerat, excommunicationis ſententia lata eſt. In altero Concilio Romano, quod anno nongenteſimo nonageſimo octavo fuit convocatum, *Gregorius* V. inceſtas nuptias *Roberti* Galliarum Regis reprobavit, eidem Regi juſſit, ut *Bertam* conſanguineam ſuam quam matrimonio ſibi copulaverat dimitteret, ſuſpenditque ab Eccleſiæ Communione *Erchembaldum* Turonenſem Epiſcopum talis illiciti conjugii conſectatorem, cum omnibus Epiſcopis, qui inceſtis hiſce nuptiis Regis *Roberti*, & *Bertæ* conſanguineæ ſuæ conſentientes interfuerant, donec Sedi Apoſtolicæ ſatisfeciſſent. Extat iſtud Concilium Tomo IX. Conciliorum, & octo canonibus Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus conſtat. Poſtremo, *Baronius* in Appendice ad Tomum XI. Annalium ait, Concilium *Sandionyſianum* prope Pariſios habitum fuiſſe anno milleſimo tertio. Sed iſtud Concilium Sandionyſianum ſerius anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo, ut advertunt periti Chronologi, haberi non potuit, quia certiſſime conſtat S. *Abbonem* Abbatem Floriacenſem ſe ſe a quibuſdam criminibus falſo ſibi impactis purgaſſe in hocce Concilio Sandionyſiano coram *Hugone Capeto*, & *Roberto* Galliarum Regibus. Porro, *Hugo Capetus*, ut jam obſervavimus, e vivis exceſſit vel anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, ut contendit *Mabillonius*, vel anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo, ut aſſerit *Pagius*. De hoc Sandionyſiano Concilio, in quo etiam de Decimis Eccleſiæ reſtituendis actum eſt, & cujus Capitula extant Tom. IX. Conciliorum, plura legeſis apud *Aimonium* in vita S. *Abbonis* Abbatis Floriacenſis cap. 9. Nobis vero hæc de Conciliis, quæ decimo Eccleſiæ ſæculo fuerunt celebrata, breviter retuliſſe ſat ſuperque ſufficiat. (*a*)

„ Alia etiam quamplura hoc ſeculo celebrata
„ Concilia ego in meo Conciliorum ſupplemento
„ adnotavi & deſcripſi; uti Romanum ſub Bene-
„ dicto IV. & Ludovico IV. Imperatore, in
„ quo lis quædam de juribus quibuſdam Lucenſis
„ Epiſcopi a quodam uſurpatis agitata, & pro
„ Adelberto Lucenſi Epiſcopo definita eſt. Alte-
„ ra Romana ſub Sergio III. anni 905. vel 906.
„ de qua in nota ſuperiori. Suanenſe in Scotia
„ anno 906. in quo leges quædam Eccleſiaſticæ
„ ſancitæ ſunt, atque ſervandæ edicuntur. Con-
„ cilia Altheimenſia duo circa annum 912. &
„ 916. celebrata in cauſa diſciplinæ reformandæ,
„ quibus duos canones adjeci, quorum prior, ex
„ Burcardo acceptus, eſt de teſtimonio lato ab E-
„ piſcopis de ſua erga Regem fidelitate; alius
„ vero eſt de Monachis in Epiſcopo conſecratis,
„ ne ſibi acquirant paternam hæreditatem, ſed
„ morientes monaſterio permittant ſi hæc ſibi
„ obvenerit ante aſſumptionem ſuam; ſi vero
„ poſt, Diœceſi ſuæ relinquant. Anno 927. Tre-
„ virenſe, in quo collectio canonum a Rutgero
„ Archiepiſcopo facta approbatur. Duiſbergenſe
„ anno 927. in quo Benno Suevus ſua ſe digni-
„ tate Epiſcopi Metenſis abdicavit, & in va-
„ cuum ejus locum Adalbero ſubſtitutus eſt.
„ Narbonenſe anni 947. pro aſſumptione Riculfi
„ in Helenenſem Epiſcopum. Incerti loci, facile
„ Romanum, anni 957. pro reſtituenda Epiſco-
„ pali ſede Veronenſi Ratherio jam ab ea de-
„ pulſo. Alterum Engilenheimenſe anni 962. in
„ quo Heroldo Saltzburgenſi Epiſcopo oculis mul-
„ tato propter conſortium in conjurationis adver-
„ ſus Ottonem Regem ſucceſſor datus eſt. Ro-
„ manum pro aſſerendis juribus Eccleſiæ Roma-
„ næ & Eccleſiaſtica negotia tractata ſunt, ſan-
„ citique canones VI. quorum primus & ſecun-
„ dus eſt, ne antiquæ Eccleſiæ a novis rebus
„ ſuis ſpolientur. III. Ut Eccleſiaſtica ſtatuta &
„ jura integra ſerventur. IV. V. & VI. Quod
„ conſuetudines Eccleſiaſticæ, & triennalis poſ-
„ ſeſſio firma ſit & ſtabilis, ſicut & novæ Ec-
„ cleſiæ ſubdantur Epiſcopo de cujus *conventu eſ-*
„ *ſe conſtiterit*. Concilium Romanum an. 967.

vel

,, vel 968. præſente Ottone I. & II. an. 967. in
,, quo bullæ quædam Pontificis approbatæ pro
,, confirmandis aliquarum Eccleſiarum juribus.
,, Ravennatenſe Concilium tertium anni 968. in
,, quo Hatto II. Moguntinus Archiepiſcopus lo-
,, ca quædam Diœceſis ſuæ Magdeburgenſi Ar-
,, chiepiſcopo ſubjecit. Compoſtellanum an. 972.
,, pro aſſumendo Cæſatio Abbate in Tarraconen-
,, ſem Archiepiſcopum. Romanum Concilium al-
,, terum ſub Joanne XIII. an. 972. pro reſtituen-
,, dis Monachis Cœnobium Moſomenſe, quod
,, ante tranſierat ad Canonicos Regulares. Ro-
,, manum alterum ſub Benedicto VI. pro juribus
,, Eccleſiæ Trevirenſis confirmandis. Ravenna-
,, tenſe Concilium IV. an. 976. pro eliminanda
,, ſimonia in electione Abbatum S. Joannis E-
,, vangeliſtæ Parmenſis. Romanum alterum ſub
,, Benedicto VII. 979. pro Monaſterio Biſuldi-
,, nenſi ſub tuitione S. Petri conſtituendo. En-
,, gelenheimenſe an. 980. coram Ottone II. Im-
,, peratore pro conjungendis Monaſteriis Mal-
,, mundarienſi, & Stabulenſi ſub unico Abbate,
,, & aliis nonnullis Eccleſiaſticis legibus ſtabilien-
,, dis. Remenſe an. 980. circiter pro inquirendo
,, de Miraculis S. Landoaldi. Plura etiam habi-
,, ta ſunt in Galliis in cauſa Arnulfi Remenſis
,, Archiepiſcopi, qui in Concilio an. 988. incer-
,, to in Gallia loco habito damnatus eſt pro fa-
,, vore præſtito Carolo Lotharingiæ Duci. Depo-
,, ſito tandem in aliis tunc habitis Conciliis aſ-
,, ſumptus eſt Gerbertus qui tandem & ipſe pa-
,, riter in aliis Conciliis abdicatus eſt, & Arnol-
,, fus reſtitutus. Gallicana Synodus incerti loci
,, inter annum 994. & 1016. coacta, de qua in
,, charta relata in Chronico Beſuenſi vulgato a
,, Dacherio Spicilegii tom. II. nov. edit. Vero-
,, nenſe Concilium circa annum 995. pro juribus
,, quibuſdam Eccleſiæ Veronenſis in Eccleſiis non-
,, nullis Patriarchæ Aquilejenſi ſubjectis. Seno-
,, nenſe ann. 996. pro aſſerendis juribus quibuſ-
,, dam Canonicorum Pariſienſium. Magdebur-
,, genſe an. 999. pro cognoſcenda cauſa puellæ e
,, Parthenopeo a ſponſo raptæ.

D. Cum non dubitem, bene multa undecimo Eccleſiæ ſæculo fuiſſe coacta Concilia præſertim in cauſa Berengariana occaſione ſchiſmatis *Michaelis Cerularii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, in controverſia *Inveſtiturarum*, & pro reſtauratione Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ ſæculo decimo pene collapſa erat, ut aliquem in his undecimi ſæculi referendis Conciliis ordinem teneamus, optarem ut ab his initium duceres, quæ in cauſa Berengariana fuerunt convocata.

M. Antequam Concilia, quæ in cauſa Berengariana ſæculo Eccleſiæ undecimo habita ſunt, ordine hic ſubjiciam, obſervare debes, *Lanfrancum*, qui e Lombardia in Galliam venerat, multas cum *Berengario* concertationes habuiſſe, quæ tamen per aliquot annos intra Philoſophicarum quæſtionum cancellos ſteterunt, exortam tandem eſſe inter utrumque de quæſtionibus Theologicis, & præſertim de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento controverſiam. At enim *Lanfrancus* intelligens, *Berengarium* in ſchola ſua opinionem *Joannis Scoti Erigenæ*, qui *Caroli Calvi* tempore vixit, propugnandam ſuſcepiſſe, *Paſchaſiumque Radbertum* inſcitiæ & erroris arguere; contra ipſe *Paſchaſium* veritatis Euchariſtiæ acerrimum defenſorem pro aris ac focis tueri aggreſſus eſt, palam publiceque aſſeruit, *Joannem Scotum* fuiſſe Hæreticum, ejuſque opinionem de Altaris Sacramento aperte doctrinæ orthodoxæ repugnare. Hinc ut in ſimilibus concertationibus fieri aſſolet, inter fautores & diſcipulos utriuſque, *Lanfranci* videlicet & *Berengarii*, varii rumores ſparſi ſunt, & *Lanfrancus* a *Berengario*, quaſi ille male ſentiret, fuit accuſatus. *Leo* IX. Summus Pontifex ad dirimendam enatam iſtam controverſiam medio menſe Aprili anni milleſimi quinquageſimi Romæ Synodum habuit, in qua lecta eſt Epiſtola a *Berengario* ad *Lanfrancum* ſcripta, quam *Lucas Dacherius* primum publicavit in Editione operum *Lanfranci*, quam adornavit. Ea *Berengarii* lecta Epiſtola continuo in eum prolata eſt damnationis, & excommunicationis ſententia, eo potiſſimum nomine, quod *Joannem Scotum Erigenam*, qui peſſime de Euchariſtia ſcripſerat, laudibus in ea Epiſtola extolleret, & *Paſchaſium Radbertum*, catholicæ de Euchariſtia doctrinæ vindicem damnaret. *Lanfrancus* vero orthodoxam de Euchariſtia doctrinam palam in Concilio profeſſus, & a ſiniſtri rumoris macula omnino expurgatus, Patrum judicio fuit abſolutus. In eodem Concilio Romano indicta eſt frequentior Synodus ad proximum ſeptembrem ejuſdem anni milleſimi quinquageſimi *Vercellis* celebranda, ad quam vocatus eſt *Berengarius*, qui Romæ non erat, quando *Lanfrancus* in Synodo Romana abſolutionis ſententiam retulit. In hac Synodo Vercellenſi, cui præfuit *Leo IX.* Summus Pontifex, liber *Joannis Scoti Erigenæ* lectus, damnatus, flammiſque traditus eſt, & *Berengarius*, qui huic Synodo adeſſe juſſus, venire renuerat, denuo proſcriptus fuit. Cauſam ſuam a *Leone IX.* Papa ventilari, ſeque ab eo damnatum eſſe cum accepiſſet *Berengarius*, nihil non molitus eſt, ut viros doctiſſimos, & potentes ſuum in errorem pertraheret. Et primo (ut teſtatur *Durandus* Troarnenſis Abbas ſcriptor coævus, parte IX. libelli ſui *de Corpore & Sanguine Chriſti*) aggreſſus eſt *Berengarius* Catholicum, & eruditum Monaſterii Pratallenſis, Diœceſis Lexovienſis in Normania Abbatem, nomine *Arfredum*. Sed ſtatim ac prædicto Abbati erroris ſui venenum propinare tentavit ille Hæreſiarcha, tanquam blaſphemus, & perfidus ab eo rejectus eſt, idque ex ore iſtius Abbatis ſe reſciviſſe teſtatur idem *Durandus*. Inde digreſſus *Berengarius*, nihil moratus repulſam, quam a ſancto illo Abbate juſte paſſus fuerat, *Willelmum* Normannorum Principem adiit, quem vixdum adoleſcentiæ annos prætergreſſum utpote annos duntaxat XXIII. natum, ſuam in ſententiam facile inclinaturum exiſtimavit. Verum, *Willelmus* Princeps prudentiſſimus, & retinendæ avitæ fidei ſtudioſiſſimus, conventum ad *Brionam* (quod oppidum eſt Diœceſis Rotomagenſis prope Beccum ad Riſelam fluvium) convocari curavit, in quo Berengarii no-

vum dogma diſcuſſum & rejectum eſt, eidemque *Berengario* ſilentium imperatum. Hunc Conventum Brionenſem habitum fuiſſe, in anno milleſimo quinquageſimo, convenit inter eruditos. Unum tamen difficultatem faceſſit, quod *Durandus*, cujus libellus *de Corpore & Sanguine Chriſti*, poſt Baronii mortem editus; & Tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunenſis inſertus eſt, hunc Conventum Arionenſem referat ad annum MLIII. Nec dici poteſt cum *Coſſartio*, irrepſiſſe mendum in numerum, & loco anni ML. ſicut ſcripſerat *Durandus*, adjectum fuiſſe ex oſcitantia Typographi an. MLIII. id, inquam, dici haud poteſt, quia *Mabillonius* Tomo II. Analect. in Obſervationibus *de multiplici Berengarii damnatione* oſtendit, in codice Bigotiano MS. ex quo libellus *Durandi* erutus eſt, vocem *tertio* non ciſris eſſe expreſſam, ſed integris litteris exaratam, adeoque errorem in numerum vitio typographi irrepere haud potuiſſe. Dicendum itaque eſt, *Durandum* Troarnenſem Abbatem revera Conventum Brionenſem ad annum milleſimum quinquageſimum tertium retuliſſe, ſed in hoc memoria eſſe lapſum. Nec enim inſolens eſt ſcriptoribus etiam coævis in narrandis, quæ ſuis contigere temporibus, præſertim in notandis annis, hallucinari, bonus ſiquidem in his aliquando dormitat Homerus. Sed redeamus ad *Berengarium*, qui ſilentium ſibi in Conventu Brionenſi imperatum cito abrupit. Profectus quippe *Carnotum*, Hæreſim ſuam rurſus in frequenti Clericorum cœtu propalare, aſſerere, & præfracte propugnare perrexit, quin ab illis Clericis digreſſus litteras veneni, & ſummæ in *Leonem* Papam irreverentiæ plenas ad eos miſit. Epiſtolam etiam ſcripſit *Berengarius* ad *Aſcelinum* Cœnobii ſancti *Ebrulphi* in Neuſtria Ordinis S. Benedicti eruditum Monachum, in qua Epiſtola, quæ primum fuit vulgata a *Dacherio*, aperte profitetur *Berengarius*, ſe adhærere doctrinæ *Joannis Scoti Erigenæ*, & alienum omnino eſſe a doctrina *Paſchaſii Radberti*. Ea Berengarii Epiſtola offenſus *Aſcelinus*, ſic ad eum reſpondit: *Litteras tuas nuper lætus ſuſcepi, quibus perlectis, lætitia mea verſa eſt in mœrorem, dum priſtinum adhuc affirmare non deſtiteris errorem .... Joannem vero Scotum nec inconſiderate, nec impie, nec indigne ſacerdotio meo habeo, quem toto niſu, totaque intentione ad hoc ſolum tendere video, ut mihi perſuadeat, hoc videlicet, quod in Altari conſecratur, neque vere Corpus, neque vere Chriſti Sanguinem eſſe. Hoc autem aſtruere nititur ex Sanctorum Patrum Opuſculis, quæ prave exponit .... Pudeat te patrocinari librum, quem in plenaria Synodo, ſeu Vercellenſi, damnatum, te quoque propter eum hæreſis macula notatum audivimus. Redi ergo, precor, ad Catholicam & Apoſtolicam traditionem &c.* Sed ſurdo cecinit *Aſcelinus*, nec *Berengarius* reſipiſcere voluit, cumque illius error latenter & aperte jam ſerperet, contigit, ut ad aures etiam *Henrici* hujus nominis primi Francorum Regis perveniret, qui confeſtim XVII. Kalend. Novembris anni milleſimi quinquageſimi Concilium Pariſienſe convocari curavit, in quo omnium Patrum calculo iterum damnatus eſt *Berengarius*, qui intereſſe huic Concilio juſſus, malæ conſcientiæ terrore perculſus venire detrectavit. Sancitum itidem eſt in eodem Concilio Pariſienſi, ut, niſi *Berengarius* reſipiſceret cum ſuis ſequacibus, adhibita militari manu, præeuntibus Clericis cum Eccleſiaſtico apparatu, ubicumque conveniſſent, eo uſque obſeſſi tenerentur, donec aut fidei Catholicæ conſentirent, aut pœnas mortis luituri caperentur, ſicut refert *Durandus* Troarnenſis Abbas parte IX. citati libelli *de Corpore & ſanguine Chriſti*. *Lucas Dacherius* Tomo II. *Spicilegii* refert Epiſtolam, quam *Berengarius* poſt Concilium Pariſienſe ſcripſit ad *Richardum*, qua eum etiam atque etiam obſecrat & obteſtatur, ut pro ſe apud *Henricum* Galliæ Regem intercedat, quo damnum poſt Synodum Pariſienſem ſibi illatum a ſe removeret, ſeque præſto eſſe, ut illius Majeſtati, & quibus vellet, ex ſcripturis probaret, *injuſtiſſime* damnatum eſſe *Joannem Scotum*, injuſtiſſime etiam *Paſchaſii Radberti* doctrinam fuiſſe in Concilio Vercellenſi approbatam, ac denique Clericos Carnotenſes indigniſſima in aures Regis effutiiſſe, eique perverſe expoſuiſſe ſententiam *Fulberti* glorioſæ memoriæ Epiſcopi de Euchariſtia, quæ revera Sancti Auguſtini ſit. Ex hac *Berengarii* ad *Richardum* Epiſtola poſt Concilium Pariſienſe ſcripta liquet, hunc Hæreſiarcham necdum ſuum abjeciſſe errorem. Quapropter, poſt *Leonis* IX. Papæ mortem, quæ contigit anno MLIV. congregatum eſt Florentiæ anno inſequente, ſeu MLV. Concilium ſub *Victore* II. Romano Pontifice, qui deceſſoris ſui in *Berengarium* ſtatuta *ſua atque omnium Conciliorum ſuorum auctoritate firmavit*, ut ait *Lanfrancus* Monachus Benedictinus. Eodem an. MLV. habitum eſt *Turonibus* Concilium, præſidentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis *Geraldo* Cardinali & *Hildebrando* Subdiacono, non vero anno MLVI. ut perperam ſcribit *Bertoldus* Presbyter, qui *Hermanni Contracti* Chronicon continuavit. Chronica ſiquidem tam *Vindocinenſe*, quam *Malleacenſe* a *Labbeo* in Bibliotheca publicata, omneſque Scriptores Galli, quibus magis credendum eſt in rebus in Gallia geſtis, quam aliis, hoc Turonenſe Concilium conjungunt cum anno MLV. In hoc Concilio Turonenſi *Lanfrancus* contra *Berengarium* diſputavit, eumque ad ſaniorem mentem, ſeu ad ejurandam coram Sedis Apoſtolicæ Legatis hæreſim ſuam adduxit. Mortuis *Victore II.* & *Stephano* X. ejus ſucceſſore, Romanam Eccleſiam rexit *Nicolaus II.* qui Romæ an. MLIX. coegit Concilium centum & tredecim Epiſcoporum, in quo *Berengarius*, qui aderat, non auſus ſuam defenſare hæreſim palinodiam decantavit, & formulam fidei ab Humbero Cardinali compoſitam, ſibique a *Nicolao* Summo Pontifice traditam jure jurando confirmavit, eique propria manu ſubſcripſit. Tum *Nicolaus* Papa de illius converſione lætitia geſtiens, illius ſcripti exempla miſit per Urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca, ad quæ illius hæreſeos fama pervenire potuerat. Verum, brevis admodum fuit hæc Pontificis lætitia. Nam ſimul ac a conſpectu Concilii regreſ-

ſus

ſus eſt *Berengarius*, Sacramento firmatam fidem edito ſcripro rurſus abnegavit, multiſque injuriis laceſſivit Cardinalem *Humbertum* iſtius formulæ fidei Auctorem, quem, per ludibrium, *Burgundum* inepre vocar, cum tamen non Burgundus, ſed Lotharingus eſſet, teſte *Lanfranco*, qui hanc fidei formulam, cui *Berengarius* ſubſcripſerat in Concilio Romano ſub *Nicolao* Papa habito, refert in hunc modum: *Ego Berengarius, indignus Diaconus Eccleſiæ S. Mauricii Andegavenſis, cognoſcens veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus ſum, quæ adſtruere conatur, panem, & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum, & non verum Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Conſentio autem Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ menſæ eam fidem tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus auctoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmavit, ſcilicet panem & vinum, quæ in Altari ponuntue, poſt conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum in Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: jurans per ſanctam & homouſion trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia*. Hanc fidei profeſſionem, quam *Berengarius* ſubſcriptione & juramento firmavit, reverſus poſt Synodum Romanam in Gallias temeravit, & non ſolum hæreſim, quam pœnarum metu ejuraverat, rurſus docere, & clanculo per Diſcipulos ſuos uſquequaque diſſeminare cœpit, verum etiam Romanos Pontifices, & Sanctam Romanam Eccleſiam verbis, & ſcriptis inſectatus eſt, atque inſuper habita paterna monitione *Alexandri* II. Romani Pontificis, qui *Nicolao* II. ſucceſſerat, ab incepto deſiſtere noluit, ſuæque hæreſi mordicus adhæſit. Ad frænum itaque injiciendum ſcelerato hæretico, qui poſt multas Synodicas damnationes, & ejurationes, tanquam ſus lota ad volutabrum, & inſtar canis ad vomitum revertebatur, Concilium Rotomagenſe anno MLXIII. convocavit *Maurilius* Archiepiſcopus Rotomagenſis, in quo condita fuit formula profeſſionis fidei de Euchariſtia contra *Berengarium*, quæ vulgata eſt a doctiſſimo *Mabillonio* tomo 2. Analectorum pag. 451. ſub hac forma: *Corde & ore profitemur, panem in menſa Dominica propoſitum, panem tantummodo eſſe ante conſecrationem, ſed in ipſa conſecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & ſubſtantiam panis in naturam & ſubſtantiam carnis: Carnis vero non illius alterius, ſed illius, quæ concepta eſt de Sp. Sancto, nata ex Maria Virg. quæ etiam propter nos, & propter noſtram ſalutem flagellis cæſa jacuit in ſepulcro, tertia die reſurrexit a mortuis, & ſedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mixtum in Calice ſanctificandum proponitur, vere & eſſentialiter converti in verum Sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit, Anathematizamus autem contra hanc Sanctam & Apoſtolicam fidem ſuperbe atque hæretice ſentientes, & impia temeritate garrientes*. In eodem Concilio Rothomagenſi decretum eſt, ut deinceps hi, qui eſſent Epiſcopi ordinandi, hanc fidei formulam palam profiterentur. Nulla quidem hujus Concilii Rothomagenſis in poſtrema Conciliorum editione fit mentio, ſed illud ex Cod. MS. eruit *Mabillonius* tomo II. Analectorum. Poſt Concilium Rothomagenſe cum *Berengarius* ſuam adhuc ſpargeret hæreſim, Legatus Sedis Apoſtolicæ in Gallia, quem *Franciſcus Rojus* in Vita Berengarii, & *Mabillonius* tom. II. Analect. in Obſervat. *de multiplici Berengarii damnatione*, exiſtimant fuiſſe *Giraudum* Epiſcopum Engoliſmenſem, *Pagius* vero aſſerit fuiſſe *Giraldum* Oſtienſem Epiſcopum, Legatus, inquam, Sedis Apoſtolicæ in Gallia ad Berengarii hæreſim funditus eradicandam *Pictavis* Concilium celebravit, ut teſtatur Chronographus Malleacenſis in ſuo Chronico ad annum MLXXV. Poſthæc *Gregorius* VII. Pontifex Maximus, & *Alexandri* II. in Sede Romana ſucceſſor *iterum eidem Berengario*, ut fidem facit Anonymus Chifletianus, *audientiam in duabus Synodis Romæ conceſſit*, in quarum prima, quæ in Feſto omnium Sanctorum anno MLXXVIII. habita eſt, *Berengarius* fidei profeſſionem compoſuit, in qua de induſtria ſubdolis *veri Corporis*, ac *veri Sanguinis* verbis Catholicam fidem profiteri videbatur. At cum hæreſim ſuam ſub ejuſmodi ſpecioſa larva occultare ſoleret, minus ſufficiens viſa eſt hæc Berengarii confeſſio, eique alia fidei formula in ſecunda Romana Synodo celebrata anno MLXXIX. propoſita fuit, quam ille publice legit, juramento confirmavit, ac ſubſcripſit. Tum *Gregorius* VII. ſicut teſtatur *Hugo Flaviniacenſis*, qui hoc tempore vixit in Chronico Virdunenſi, *præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo diſputare, vel aliquem docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant*. Ex quo locupletiſſimo Hugonis Flaviniacenſis teſtimonio aperte falſi convincitur *Benno* Cardinalis ſchiſmaticus, quem non puduit infamare *Gregorium* VII. tanquam Berengarianæ hæreſeos participem, cum tamen Summus ille Pontifex in duabus Synodis Romanis *Berengarium* ad ejurandam hæreſim compulerit, & Concilio Turonenſi, in quo damnationis ſententia in *Berengarium* lata eſt, præfuerit tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatus. Huic in Gregorium VII. atroci concinnandæ calumniæ occaſionem *Bennoni* ſchiſmatico, ejuſque infenſiſſimo hoſti forſan dederunt litteræ commendaritiæ, quas *Gregorius* VII. poſt abſolutam ſecundam Synodum Romanam Berengario in Gallias cum *Hulcone* reverſuro, quem ſincero animo hæreſim ejuraſſe, Fidemque Catholicam amplexum fuiſſe putabat, paterna benignitate conceſſit, ac prohibuit omnibus fidelibus, ne Berengario

in-

Digitized by Google

injuriam facere præſumerent, aut eum *hæreticum* appellarent. Hæ, inquam, commendaritiæ litteræ Berengario conceſſæ, quas *Lucas Dacherius* Tom. II. *Spicilegii* recitat, *Bennoni* ſchiſmatico occaſionem dederunt Gregorium VII. Berengarianæ hæreſeos perperam inſimulandi. Nam cum Berengarius Roma in Gallias reverſus ad priſtinum ſuum errorem rurſus declinaverit, ac tertiam confeſſionem fidei perfide retractaverit, inde *Benno* ſibi, & nonnullis aliis ſchismaticis perſuaſit, *Gregorium* VII. ideo litteras commendatitias *Berengario* dediſſe, quia ejus errori patrocinabatur, quod ſane oppido falſum eſt, & purum putumque commentum a *Bennone*, & aliis ſchiſmaticis excogitatum, ut *Gregorio VII.* Pontifici Maximo, a cujus obedientia temere deſciverant, negotium faceſſere poſſent. Cæterum, quamvis *Berengarius* poſt ſecundam Synodum Romanam in Gallias ann. MLXXX. reverſus fidem datam Gregorio Septimo feſellerit, & ad priſtinum ſuum errorem redierit, ut conſtat non ſolum ex Concilio Burdigalenſi hoc anno celebrato, in quo, ut legitur in Chronico Malleacenſi, *Berengarius* coactus eſt reddere fidei ſuæ rationem, ſed etiam ex Codice MS. in quo Mabillonius tom. II. Analectorum ait, ſe legiſſe ſcriptum Berengarii, in quo tertiam fidei profeſſionem, quam in ſecunda Romana Synodo anno MLXXIX. emiſerat, reſcindit; nihilominus conſtat certiſſime *Berengarium*, aliquot annos ante mortem ſuam ab errore vere reſiliiſſe Fidei Catholicæ de Euchariſtia doctrinæ firmiter adhæſiſſe, & poſt ſinceram actam pœnitentiam in ſinu Eccleſiæ Catholicæ obiiſſe, ſicut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus.

D. Multa, ut video, in cauſa Berengariana congregata ſunt Concilia, ſed, ut candide fatear, necdum potui genuinum aſſequi ſenſum illius formulæ fidei, quam Patres Concilii Romani ſub *Nicolao II.* Pontifice Maximo anno MLIV. celebrati exhibuerunt *Berengario*, qua tenebatur jurare, ſe credere, *Corpus Chriſti ſenſualiter non ſolum in Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Qui enim, amabo, fieri poteſt, ut Corpus Chriſti, in Euchariſtiæ Sacramento tractetur manibus Sacerdotum, frangatur, & fidelium dentibus atteratur, cum ibi ſit modo inviſibili, & ſenſibus plane impervio?

M. Jure optimo *Nicolaus II.* Pontifex Maximus in Concilio Romæ celebrato, compulit *Berengarium* lubricum & tortuoſum hæreticum, ut in fidei formula ſibi propoſita juraret, ſe credere, *Corpus Chriſti ſenſualiter non ſolum in Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*, non quod Corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento per ſe manibus Sacerdotum tractetur, vel juxta craſſum Capharnaitarum ſenſum frangatur, dividatur, & fidelium dentibus atteratur, (abſit hoc dicere) ſed quia id quod exteriori parti Sacramenti Euchariſtiæ convenit, ideſt, Symbolis, quibus obvelatur, de ipſo quoque Corpore ipſius per metaphoram affirmatur, non ſecus ac de homine veſtito, per metaphoram aſſeruntur, quæ de ejus veſtibus dicuntur. Unde Chriſtus dixit: *Quis me tetigit?* licet mulier Hæmorrhoiſſa veſtimenta ejus duntaxat tetigiſſet. Ita ſimiliter, quia Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt ſub ſpecie panis, qui manibus attrectatur, frangitur, & dentibus atteritur, recte dici poteſt, Corpus Chriſti ſub hoc ſtatu tractari manibus Sacerdotum, frangi, & fidelium dentibus atteri ratione Symboli quo tegitur. Hinc S. Cryſoſtomus Homilia LXXXIII. in Matthæum ait: *Quot modo dicunt, vellem ejus*, ſeu Chriſti, *videre formam, & ſpeciem, & veſtimenta & calceamenta; Ecce ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis.... quales radios ſolares non deberet puritate excedere manus illa, quæ diſcindit hanc carnem, & os quod impletur igne ſpirituali, lingua purpurata tremendo hoc Sanguine?* Viden, S. Chryſoſtomum Carni & Sanguini Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento contentis tribuere has *diſſectionis, & purpuræ* voces, quæ ſpeciebus Euchariſticis Corpus & Sanguinem Chriſti obvelantibus conveniunt. Dicere itaque Corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, nihil aliud eſt, quam aperte, & ſemota omni tergiverſatione profiteri, Corpus Chriſti vere, & realiter, & ſubſtantialiter exiſtere in Euchariſtiæ Sacramento. Neque enim Corpus Chriſti ſub Euchariſtiæ Sacramento tractari manibus Sacerdotum, frangi, & dentibus atteri diceretur, niſi ſub eodem Sacramento vere & reapſe contineretur, ſicut, exempli gratia, ſi Hæmorrhoiſſa mulier veſtem tetigiſſet, qua Chriſtus tunc reipſa non fuiſſet inductus, non dixiſſet Salvator: *Quis me tetigit?* ut igitur claram de præſentia reali Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento fidei confeſſionem ederet *Berengarius*, jubente Synodo Romana, juravit in formula fidei ſibi propoſita, ſe credere, Corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento tractari manibus Sacerdotum, frangi, & fidelium dentibus atteri; qua confeſſione aperte, quamvis oretenus, & non ſincero animo, profitebatur, ſe credere, Corpus Chriſti vere, realiter, & ſubſtantialiter, juxta perpetuam, ſibique ſemper a temporibus Apoſtolorum conſtantem Eccleſiæ Catholicæ traditionem, in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri.

D. Miror ſane, quod Eccleſia erga *Berengarium* hæreticum ſæpius lapſum ac relapſum tam indulgentem ſe præbuerit, &, ut illum tandem aliquando ad ſaniorem mentem revocaret, tot Concilia celebrarit. Sed valde dubito, an Eccleſia Latina parem indulgentiam exhibuerit *Michaeli Cerulario* Patriarchæ Conſtantinopolitano funeſti Græcorum ſchiſmatis Auctori, & ad redintegrandam pacem, quam ille Patriarcha ſchiſmaticus Eccleſiam Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam abrupit, multa undecimo ſæculo fuerint convocata Concilia.

M. Summi Pontifices nihil intentatum reliquerunt, ut *Michaelem Cerularium* Patriarcham ſchiſmaticum ad pacem & concordiam reducerent, ſed cum illorum indulgentiam, monita & adhortationes ſperneret ambitioſus ille Patriarcha, qui Romanis Pontificibus ſubeſſe detrectabat, non plu-

ra;

Digitized by Google

ra, quam duo Concilia in cauſa ſchiſmatis Græcorum nudecimo ſæculo celebrarunt. Primum indictum eſt Romæ anno MLIII. a *Leone* IX. Pontifice Maximo, qui omnem curam, induſtriamque ſuam in extinguendo iſto ſchiſmate poſuit. Sic enim *Wibertus* in Vita Sancti illius Pontificis lib. 2. cap. 7. referens ea quæ anno MLIII. & ſequenti, Latinos inter & Græcos geſta ſunt, ſcribit: *Ea tempeſtate orta eſt hæreſis Fermentaceorum* (ſeu Græcorum) *quæ calumniatur S. Romanam Eccleſiam immo omnem Latinam & Occidentalem Eccleſiam de Azymis vivificum Deo offerre ſacrificium. Quam calumniam etiam ſcripto ediderunt Michael* (*Cerularius*) *Conſtantinopolitanus & Achridanus* ------ *Hæc quidem calumnia Græco ſermone edita, & Joanni Tranenſi Epiſcopo* (*in Apulia*) *in ſugillationem omnium Latinorum directa, cum fuiſſet Trani exhibita fratri Humberto Sanctæ Eccleſiæ Sylvæ Candidæ Epiſcopo, in Latinum eſt translata ejus ſtudio, atque delata Domno Papæ Leoni IX. Itaque glorioſus Apoſtolicus libellum compoſuit luculentiſſimum adverſus jam dictas præſumptiones & vanitates eorum, conatus eos ad viam veritatis adducere, ſed poſtmodum incorrectos Eccleſiaſtico damnavit anathemate, videlicet in Concilio Romæ habito anno* MLIII. Miſit etiam idem Summus Pontifex Conſtantinopolim Apocriſarios ad tuendam Eccleſiæ Latinæ cauſam *Humbertum* Cardinalem, *Petrum* Amalphitanum Epiſcopum, & *Fridericum* Diaconum, & Cancellarium, qui fuit poſtea ſummus Pontifex, dictus *Stephanus* X. Sed hæc Legatio felicem exitum non habuit, nec utriuſque Eccleſiæ conciliavit concordiam; immo *Michael Cerularius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in ſchiſmate pertinax a Legatis Sedis Apoſtolicæ fuerat excommunicatus, coacto poſt illorum diſceſſum ex Urbe Conſtantinopoli Conciliabulo, in eos ſententiam excommunicationis tulit, quodque gravius eſt, ipſiuſmet Romani Pontificis nomen e Dyptichis Eccleſiaſticis eraſit, ut jam obſervavimus in præcedenti Colloquio. Alterum Concilium in cauſa ſchiſmatis Græcorum *Bari* in Apulia habuit *Urbanus* II. Pontifex Maximus ſub finem undecimi ſæculi, ſeu anno milleſimo nonageſimo octavo, ſicut *Gerberonius* in Cenſura Operum S. *Anſelmi*, quorum novam editionem adornavit, luculenter oſtendit. Ad hoc Barenſe Concilium, cui teſte *Lupo Protoſpata* in Chronico, interfuerunt CLXXXV. Epiſcopi Latini, acceſſerunt quoque Græci, qui Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere pertinaciter contendebant. Provinciam cum Græcis diſputandi demandavit Summus Pontifex Sancto Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui egregie ea defunctus eſt, & divinis teſtimoniis atque firmiſſimis rationibus Græcos confutavit. Avertit etiam ſuis precibus idem S. *Anſelmus* a cervicibus Regis Anglorum excommunicationis fulmen, quod *Urbanus* II. in hoc Barenſi Concilio in Regem Anglorum vibrare paratus erat, ut *Eadmerus* lib. 2. *Hiſtoriæ Novorum*, & *Vvilhelmus Malmesburienſis de Geſtis Pontificum Angl.* lib. 1. In his ergo duobus Conciliis, *Romano* videlicet & *Barenſi*, proſcriptus quidem eſt Græcorum error aſſerentium Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere, ſed non fuit extinctum ſchiſma, quod potius in dies crevit, vireſque acquiſivit eundo. Illud quippe maxime promoverunt Patriarchæ Byzantini, qui ambitioſo conatu, propter prætenſum & informem quemdam Concilii Chalcedonenſis Canonem, appellari volebant *Oecumenici*, ſeu Orbis Patriarchæ, nec proinde Sedi Apoſtolicæ ullo pacto ſubeſſe ſuſtinebant. Illud etiam *Michaelis Cerularii* ſchiſma haud parum roborarunt Imperatores Græcorum, qui moleſte admodum atque indigne ferebant, Imperium Occidentis a *Leone* III. Pontifice Maximo delatum fuiſſe *Carolo Magno*, aliiſque Francorum Regibus, a ſe ipſis vero omnino ablatum. Poſtremo, Græcorum ſchiſma auxerunt partæ ſimultates occaſione belli ſacri, quod Latini in Saracenos ſuſceperunt, ac tandem expugnatio Urbis Conſtantinopolitanæ, quam Galli anno milleſimo ducenteſimo quarto Græcis abſtulerunt, tenueruntque uſque ad annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum. Poſt obitum *Michaelis Cerularii* Patriarchæ Conſtantinopolitani Græcorum illius ſchiſmatis Auctoris, ſæpe actum eſt de reconciliatione ambarum Eccleſiarum, quando præſertim Græcorum Imperatores rebus ſuis, quibus unice inſerviebant, eam conducere poſſe, perſentiſcebant, variaque idcirco hinc inde habita ſunt Concilia, de quibus ſuo loco diſſeremus.

D. Ad ſanciendam diſciplinam, & vindicandam Eccleſiæ libertatem plurimum undecimo ſæculo Romanos Pontifices allaboraſſe, memini, te in præcedentibus noſtris Colloquiis obſervaſſe, teque de Conciliis, quæ ab illis fuere celebrata in hocce Colloquio acturum ſpopondiſſe. Age ergo, præſtitam fidem impræſentiarum libera, & indica, ſi placet, omnia Concilia quæ tam pro reſtauranda diſciplina, quam pro aſſerenda Eccleſiæ libertate undecimo ſæculo a Summis Pontificibus habita fuerunt.

M. Romanotum Pontificum, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo Concilia celebrarunt, primus fuit *Benedictus* VIII. qui Romæ anno MXV. Concilium convocavit, ex cujus actis unum dumtaxat ſupereſt privilegium Cœnobio Fructuarienſi collatum, quod exhibet *Ferdinandus Ughellus* tomo II. *Italiæ Sacræ* pag. 996. Extat etiam tomo 9. Conciliorum. Aliud Concilium anno incerto habuit *Ticini* idem Summus Pontifex, in quo contra Clericos incontinentes, eorumque concubinas & filios, atque bonorum Eccleſiaſticorum ſecutam ex Clericorum libidine dilapidationem Sanctiſſimæ leges conditæ ſunt. Extant iſtius Concilii Ticinenſis Canones VII. & Imperatoris de iiſdem *Conſtitutiones*, præmiſſa gravi ac luculenta oratione; quam contra Clericos incontinentes in hoc Concilio habuit Summus Pontifex tomo 9. Conciliorum. *Clemens* II. Pontifex Maximus duo Romæ habuit Concilia; in quorum primo, quod anno MXLV. indixit Pontifex, ſtatntum eſt, ut Ravennati Archiepiſcopo ſecundus a Pontifice Ro-

mano

Digitized by Google

mano locus in Conciliis, abſente Imperatore, tribueretur. In altero Concilio, quod anno ſequenti, ſeu MXLVI. habuit *Clemens II.* ſancitum eſt contra Simoniacos, *ut quicumque a Simoniaco conſecratus eſſet, in ipſo ordinationis ſuæ tempore non ignorans Simoniacum, cui ſe obtulerat promovendum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & ſic in accepti ordinis officio miniſtraret*, ſicut refert *S. Petrus Damiani* in libro, qui inſcribitur: *Gratiſſimus* cap. 35. (*a*) *Leo IX.* aliquot coegit Concilia, quæ hic ordine recenſebo. Primum anno MXLIX. Romæ celebravit contra Clericos Simoniacos, & in eo *Clementis II.* Decretum de Pœnitentia imponenda his, qui a Simoniacis fuerant ordinati, œconomia quadam confirmatum eſt, ne videlicet miniſtris omnino deſtituerentur Eccleſiæ, ſi Canones ad ſummos juris apices obſervarentur. Pauci ſiquidem tum temporis erant Clerici ſimoniæ labis puri, teſte *B. Petro Damiani* in libro mox laudato; & quia ſimoniæ vitium in mores & conſuetudinem abierat, a multis aut nullum, aut parvum eſſe peccatum credebatur. *Peccata* enim, ut præclare ait Sanctus *Auguſtinus* cap. 88. Enchiridii, *quamvis magna & horrenda cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur, uſque adeo ut non ſolum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur.... ſic noſtris temporibus ita multa mala in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare*. Prudenti itaque œconomia *Leo IX.* Decretum quod a *Clemente II.* in eos, qui a ſimoniacis fuerant ordinati, latum erat, temperavit, ut hanc ſimoniæ peſtem, quæ Clerum infecerat, ſenſim ſine ſenſu, adhibita indulgentia, profligaret. Alterum Concilium eodem anno MXLIX. *Remis* in Gallia celebravit *Leo* IX. in quo ad reſtaurandam collapſam Eccleſiæ diſciplinam actum eſt de extirpanda penitus ſimoniaca hæreſi, quæ late ſerpebat, & magna in Clero libertate dominabatur; De miniſteriis Eccleſiaſticis & Altaribus, quæ a Laicis tenebantur; De inceſtis conjugiis, & de iis, qui legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur; De Monachis & Clericis a ſancto propoſito & habitu recedentibus; Item de Clericis arma gerentibus, de rapinis, ſeu uſuris, pauperumque injuſtis captionibus; De ſodomitico vitio, & de quibuſdam hæreſibus, quæ in eiſdem pullulabant partibus. Hoc Remenſe Concilium tribus ſeſſionibus fuit abſolutum, & in eo duodecim promulgati ſunt Canones. Romam e Gallia anno milleſimo quinquageſimo rediens *Leo* IX. Synodum apud *Sipontum* Regni Neapolitani Urbem prope montem Garganum habuit, in qua duos Archiepiſcopos ſimoniacos depoſuit. Romam redux Summus Pontifex, Berengarianam hæreſim in Synodo Romæ eodem anno milleſimo quinquageſimo habita damnavit, eamque iterum proſcripſit in Synodo Vercellenſi, quam menſe Septembri ejuſdem anni convocavit, ut jam obſervavimus referendo Concilia, quæ in cauſa Berengariana fuerunt congregata. Præterea, conventum habuit *Leo* IX. Auguſtæ Vindelicorum quarto nonas Februarii anni milleſimi quinquageſimi primi, in quo *Hunfridum* Archiepiſcopum quem reſte *Hermanno Contracto*, a ſacris ſuſpenderat, abſolvit; & eodem anno poſt Paſcha Synodum Romæ habuit idem Sanctus Pontifex, in qua *Georgium* Vercellenſem Epiſcopum, quem de adulterio & perjurio accuſatum abſentem excommunicaverat, Romam non multo poſt venientem & ſatisfactionem promittentem officio reſtituit. Ad eamdem Synodum Romanam referunt Conciliorum Collectores Decretum de meretricibus Presbyterorum expellendis, & ſervituti addicendis. Qua de re Sanctus *Petrus Damiani* Opuſculo 18. cap. 7. hæc habet: *In plenaria Synodo ſanctæ memoriæ Leo Papa conſtituit, ut quæcumque damnabiles fæminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris proſtitutæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi Palatio adjudicarentur ancillæ*. Mentionem ſuperius fecimus Concilii quod *Leo IX.* Romæ anno MLIII. contra *Michaelem Cerularium* Græcorum ſchiſmatis Authorem indixit, quare, eo omiſſo Concilio, cætera percurramus Concilia, quæ undecimo ſæculo ab aliis Summis Pontificibus fuerunt celebrata. *Victor* II. ſucceſſor *Leonis IX.* paulo poſt inaugurationem ſuam habuit anno MLV. Synodum *Florentiæ*, præſente *Henrico* Imperatore, in qua non ſolum *Berengarii* confixit hæreſim, ut jam diximus, ſed etiam bonorum Eccleſiaſticorum diſtractionem, & alienationem ſub pœna excommunicationis prohibuit, ſicut refert B. *Petrus Damiani* epiſtola 12. libri 4. Ejuſdem *Victoris II.* Papæ juſſu, *Hildebrandus* S. R. Eccleſiæ Cardinalis, & Legatus a Latere in Gallias miſſus indixit anno MLV. Lugdunenſe Concilium ad ſimoniam, aliaque id genus vitia quæ tum in Galliarum Regno graſſabantur, radicitus extirpanda. Narrant Scriptores probatiſſimæ fidei Sanctus *Petrus Damiani* Opuſculo 19. cap. 6. & *Willelmus Malmesburienſis* lib. 3. *De Geſtis Regum Anglorum*, quemdam Epiſcopum ſimoniacum ad criminis confeſſionem fuiſſe in hoc Concilio Lugdunenſi miraculo compulſum. Juſſus quippe ille Epiſcopus Hymnum glorificationis, ſeu *Gloria Patri &c.* recitare, hæc verba, *Et Spiritui Sancto* proferre non potuit. Duę aliæ Synodi mandato ejuſdem Pontificis *Victoris* II. in Galliis fuerunt celebratæ, *Turonenſis* videlicet & *Toloſana*. In Synodo Turonenſi, cui anno MLV. præfuit *Hildebrandus* Sedis Apoſtolicæ Legatus, damnata eſt Berengariana hæreſis, ut jam obſervavimus. In Synodo *Toloſana*, cui duodeviginti Epiſcopi anno MLVI. interfuerunt, ſancita eſt diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica, ac tredecim conditi ſunt Canones, qui extant tomo 9. Conciliorum. Prætermittere non debemus aliam Synodum, quam idem *Victor II.* Papa celebravit Romæ anno MLVII. in qua Marſorum Epiſcopatum, in duos antehac diviſum, in priſtinum ſtatum, hoc eſt in unam Diœceſim, ſublata illa diviſione, redintegravit, ut compertum habemus ex epiſtola ejus ſucceſſoris *Stephani* X. (quem alii appellant IX. ad *Pandulphum* Marſicanum Epiſcopum, in qua *Stephanus* X. expreſſe teſtatur, Epiſcopatum Marſicanum, in duas olim partes diviſum, *in antiquam ſui ſtatus unio-*

nem

Digitized by Google

nem in Concilio habito ſub *Victore* II. deceſſore fuiſſe reſtitutum, *& Diœceſim unam uni Epiſcopo* decretam. Extat hæc *Stephani* X. Epiſtola ad *Pandulphum* Marſicanum Epiſcopum tomo 9. Conciliorum. At Epiſcopalis iſta Marſorum Urbs, quæ olim erat ſub Samnitibus, qui nunc pars Aprutii ulterioris, juxta Lacum Fucinum, jam diu everſa fuit. *Stephano* X. ſucceſſit *Nicolaus II.* qui Romæ anno MLIX. Synodum celebravit, in qua Berengarium ad Fidem Catholicam de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento profitendam compulit, & ad ſimoniacam averruncandam hæreſim, quæ ob inveteratam conſuetudinem altas radices egerat, ſtatuit, ſimoniacos abſque miſericordia eſſe deponendos *juxta Canonum Sanctiones & Decreta Sanctorum Patrum*. Inſuper, pluralitatem Beneficiorum vetuit, Clericos a Judicibus Laicis judicari inhibuit, &, ut deinceps nullus ad ſtatum Clericalem, niſi vocatus a Deo, accederet, cavit, ne Laicus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repente promoveretur, niſi mutato habitu ſæculari, diuturna converſatione fuiſſet inter Clericos comprobatus; Sacerdotibus vero, Diaconis, & Subdiaconis incontinentibus interdixit ſacris, ad hunc rigorem in ipſos exercendum excitatus præſertim a *S. Petro Damiani*, qui in Opuſculo 17. *De cœlibatu Sacerdotum*, quod huic Summo Pontifici nuncupavit, in hanc peſtem totis ingenii ſui viribus jure optimo invehitur. Circa hæc diſciplinæ Capita, & circa Romani Pontificis electionem, quæ freqnentibus id ætatis ſchiſmatibus perturbari ſolebat, tredecim extant Canones tomo 9. Conciliorum. Præter iſtud Concilium Romanum, *Nicolaus* II. eodem anno MLIX. aliud *Amalphiæ* in Apulia celebravit, in quo Tranenſem Epiſcopum ob cauſas canonicas depoſuit, ſicut teſtatur *S. Petrus Damiani* Opuſculo 31. cap. 6. Miſit etiam idem Summus Pontifex reſtaurandæ gratia diſciplinæ *Stephanum* Cardinalem Legatum Apoſtolicum in Gallias, qui juſſu & auctoritate Pontificis Kalendis menſis Martii anno MLX. *Turonibus* Concilium convocavit, in quo ſimonia, pluralitas beneficiorum, rerum Eccleſiaſticarum alienatio, beneficiorum a Laicis acceptio, inceſtæ nuptiæ, quæ vitia tunc multas Galliæ partes pervaſerant, damnata ac prohibita ſunt. Adhæc, mulieroſis & incontinentibus Clericis, qui poſt *Nicolai* II. Decretum, aut mulieres, aut miniſterium Eccleſiæ ſtatim non deſeruiſſent, omnis ſpes reſtitutionis adempta eſt. Canones decem iſtius Concilii Turonenſis diſciplinam Eccleſiaſticam, & Monaſticam ſpectantes edidit *Lucas Dacherius* in Notis *ad Vitam Lanfranci*, indeque tranſcripti ſunt tomo 9. Conciliorum Labbeanæ editionis.

,, (*a*) Alterum decretum Clementis II. in alte-
,, rutro ex conciliis Romanis ab eo habitis reperi
,, ego in Veteri codice MS. Bibliothecæ Canoni-
,, corum Majoris Eccleſiæ Lucenſis, & retuli in
,, meo Conciliorum Supplemento to. 1. pag. 1278.
,, In eo vero indicitur anathema contra ſacrilegos
,, venditores rerum eccleſiaſticarum, & ſacrorum Or-
,, dinum, ac dignitatum & jurium eccleſiaſticorum.

Sub *Alexandro II.* ſucceſſore *Nicolai II.* plura celebrata ſunt Concilia. Nam præter *Papienſe*, *Florentinum*, *Osborienſe*, *& Mantuanum* Concilia, in quibus *Alexandri* II. electio in Romanum Pontificem fuit confirmata, & damnatus *Cadalous Pallavicinus* Parmenſis Epiſcopus, qui Miniſtrorum *Henrici* Germaniæ Regis authoritate fretus inſignia Pontificatus temere uſurpaverat, & *Honorii II.* nomen ſibi ſumpſerat, præter, inquam, hæc quatuor Concilia contra illum Antipapam congregata, tres alias Synodos pro reformatione morum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratione Romæ habuit *Alexander II.* Primam anno MLXIII. cui centum, & amplius interfuerunt Epiſcopi, in hac Synodo duodecim conditi ſunt Canones, quibus *Leonis IX.* & *Nicolai II.* Decreta lata contra ſimoniacos renovata, ac denuo fuerunt approbata, vita communis Clericorum Baſilicæ Lateranenſis ſancita, beneficiorum pluralitas prohibita, conſanguineorum nuptiæ ad ſeptimam uſque generationem vetitæ, repentina Clericorum ordinatio interdicta, & damnata ambitio eorum, qui ſpe Abbatiæ conſequendæ Monachi fiebant. In eadem Synodo Romana *Petrus* Florentinus Epiſcopus, ſimoniæ convictus, depoſitus eſt. Extant duodecim iſtius Synodi Romanæ Canones tomo 9. Conciliorum. In altera Synodo Romæ habita anno MLXV. *Alexander* II. novam *Inceſtuoſorum* hæreſim præfocavit. Mota quippe eſt tum temporis a quibuſdam Juris Conſultis, & acriter defenſa quæſtio de gradibus conſanguinitatis, ſeu pertendebant nonnulli Juris Conſulti, quod germani fratres vel ſorores inter ſe eſſent in ſecundo gradu conſanguinitatis, filii vero eorum, vel filiæ in quarto gradu, nepotes vel neptes in ſexto, ac ſubinde propinquitatis gradus eadem ratione, qua in ſucceſſionibus numerari debere pertinaciter affirmabant. Hunc Juriſconſultorum errorem conſanguinitatis gradus perperam numerantium damnavit *Alexander II.* ut videre eſt in Decreto Synodali hujuſce ſecundæ Synodi Romanæ, quod *Gratianus* ſuæ Collectioni inſeruit cauſa 35. quæſt. 4. capite *Ad Sedem Apoſtolicam*, refertur etiam idem Decretum Synodale tomo 9. Conciliorum. (*a*) In tertia Synodo Romana eodem anno convocata *Alexander II.* omnes inceſtuoſos, juxta ſacrorum Canonum rigorem, Eccleſiaſtica communione privavit, teſte *Sancto Petro Damiano* in Apologetico *De contemptu ſæculi*, quod eſt Opuſculum 12. cap. 29. Juſſu ejuſdem Pontificis *Alexandri II.* ad finiendam controverſiam, quæ orta erat de primatu inter Cantuarienſem, & Eboracenſem Eccleſias, habita eſt anno MLXXII. in Anglia Synodus, cui præfuit *Hubertus* Sedis Apoſtolicæ Legatus. Cauſa coram Epiſcopis, & Abbatibus, & Sereniſſimo Angliæ Rege diſceptata eſt, pro Archiepiſcopo Cantuarienſi peroravit *Lanfrancus*, & poſtquam Primatum Cantuarienſi Eccleſiæ ſupra cæteras Angliæ Eccleſias ex Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum a Venerabili *Beda* concinnata, ex variis Angliæ Conciliis, & ex Romanorum Pontificum reſcriptis vindicaſſet, omneſque objectiones diluiſſet, omnium Patrum conſenſu Cantuarienſis Archiepiſcopi Primatus fuit confirmatus, eique adjudicatus.

,, (*a*) Ego pariter in meo Conciliorum Supple-
,, mento evulgavi e MS. Codice epiſtolam aliam
,, a Pontifice Romano datam, in qua agi-
,, tur de gradibus conſanguinitatis. Hanc ve-

„ vero ad Alexandrum II. pertinere (licet nec „ nomen Alexandri, nec alterius cujuſpiam præ- „ fert) & olim ſuſpicatus ſum, & nunc etiam „ credo.

Ex tot Conciliis, quæ undecimo ſæculo a Romanis Pontificibus celebrata hucuſque retulimus, facile intelligere potes, quanta cura, & ſollicitudine in reformationem Eccleſiæ ac morum incubuerint, quantove zelo diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ ſæculo decimo erat pene collapſa, reſtituerint, ac priſtinum ei conciliarint ſplendorem. At in reſtauranda diſciplina Eccleſiæ, & in ejus juribus atque privilegiis vindicandis, plus his Romanis Pontificibus, quos hactenus laudavi, laboraſſe videtur *Gregorius* VII. Pontifex Maximus, qui ſanctitate & doctrina toto Orbe celebris pro reformando Eccleſiæ ſtatu, ſimoniaca labe, & Clericorum incontinentia valde deturpato, & pro aſſerenda ſacrarum electionum libertate, quæ *Inveſtiturarum* prætextu a Principibus Laicis impune opprimebatur, undecim Romæ undecimo ſæculo celebravit Concilia, quæ hic breviter referemus. In primo Concilio, quod Romæ prima Dominica Quadrageſimæ anni MLXXIV. coegit *Gregorius* VII. & cui interfuere quinquaginta Epiſcopi, & Abbatum atque Clericorum multitudo, ſicut teſtatur *Hugo Flaviniacenſis* Abbas in Chronico Virdunenſi, decrevit Summus hic Pontifex, *ut qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt, interventu pretii ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum & officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant: Qui vero Eccleſias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant* (*a*). Sacerdotibus vero uxoratis & incontinentibus Miſſarum celebratione; Diaconis & Subdiaconis Altaris miniſterio interdixit. Hujus primæ Synodi Romanæ præcipua Capita memorat *Gregorius* VII. in Epiſtola ad *Ottonem* Conſtantienſem Epiſcopum, quæ extat in fronte Apologetici ab Auctore Anonymo coævo compoſiti, & *Labbeo* tomo 10. Conciliorum inſerti. Complectitur Apologeticus iſte liber capitula 24. in quibus Auctor egregie oſtendit, *Gregorium* VII. in iis, quæ in prima Synodo Romana ſtatuit, a ſanctorum Patrum doctrina ne tantillum quidem deviaſſe, ideoque male ac nefarie quoſdam ſimoniacos, & Concubinarios Clericos adverſus Sanctiſſimi illius Pontificis Decreta infremuiſſe. Altera Synodus a *Gregorio* VII. anno MLXXV. Romæ VI. Kalend. menſis Martii celebrata eſt, in qua diſtricte vetuit ſummus Pontifex, ne quis Chriſtianorum *Miſſam conjugati Presbyteri audiret*. Hoc Decretum ſanctiſſime licet inſtitutum, *Sigebertus* tamen in ſuo Chronico ad annum MLXXIV. auſus eſt maligne arrodere, & in ſenſum hæreticum detorquere, dictitans, *Gregorium* VII. Chriſtianis eo Decreto prohibuiſſe, ne Miſſam Sacerdotum Conjugatorum audirent, quia Sacramenta ab illis confecta nulla & invalida ſunt. Sed hoc *Sigeberti*, partibus *Henrici* Germaniæ Regis addictiſſimi, ac ſubinde ſchiſmatici, putidum commentum. Nec enim ſtatuit *Gregorius* VII. ut Sacramenta per Sacerdotes conjugatos, vel concubinarios confecta, eſſent nulla & invalida (doctior quippe, & fidei avitæ tenacior erat ſummus ille Pontifex, quam ut in prædamnatum illum ab univerſa Eccleſia Donatiſtarum errorem impingeret) ſed ſolum vetuit, ne Chriſtiani Miſſas Sacerdotum, qui erant conjugati, vel concubinarii, audirent, ut publico contemptu ad uxores dimittendas compellerentur: ſive ut ait ipſemet *Gregorius* VII. in Epiſtola mox laudata ad *Ottonem* Conſtantienſem Epiſcopum, *ut qui pro amore Dei, & Officii dignitate non corrigerentur, verecundia ſæculi & objurgatione Populi reſipiſcerent*. In eadem ſecunda Synodo Romana, prioris Synodi Decretis contra Simoniacam hæreſim novum robur additum eſt, & celebre contra *Inveſtituras* editum Decretum, ſicut aperte colligitur ex Epiſtola Decima lib. III. *Gregorii* VII. ad *Henricum* Regem Germaniæ, quamvis *Hugo Flaviniacenſis* Abbas in Chronico Virdunenſi, & Collectores Conciliorum iſtud contra Inveſtituras Decretum ad primam Synodum referant. Tertiam Romæ Synodum habuit *Gregorius* VII. anno MLXXVI. in qua *Henricus* Rex Germaniæ, *Sigefridus* Moguntinus, *Willelmus* Trajectenſis, & *Robertus*, Bambergenſis Epiſcopi ſchiſmatis incentores, fuerunt excommunicati, ut conſtat non ſolum ex Actis illius Synodi a *Lamberto Scafnaburgenſi* ad hunc annum relatis, ſed etiam ex vita *S. Anſelmi Lucenſis*, ab Auctore coævo ſcripta, & ex *Domnizone* Presbytero in vita *Mathildis*. Quartam Synodum Romæ ann. MLXXVIII. indixit *Gregorius* VII. cui centum circiter Epiſcopi, præter Abbates & Clericos, interfuerunt. In ea *Guibertus* Ravennas, *Thebaldus* Mediolanenſis, *Gaufredus* Narbonenſis Archiepiſcopi, aliique plures Henricianæ partis Epiſcopi excommunicati ſunt, & ab omni Sacerdotali officio ſuſpenſi. *Hugo etiam Blancus* Cardinalis dignitate jam pridem ob ſchiſma privatus, Eccleſiæ aditu uſque ad ſatisfactionem prohibitus eſt. Extant Acta quartæ illius Synodi Romanæ Tomo X. Conciliorum. Quintam Romæ Synodum III. Kalendas Decembris ejuſdem anni MLXXVIII. celebravit *Gregorius* VII. in qua *Nicephorus Botoniates*, qui, *Michaele* detruſo, Imperium per vim ſibi arripuerat, anathemate plexus eſt. *Henrici* & *Rodulphi* Regum Oratores jurarunt eorum nomine, nullis ſe malis artibus Colloquium Sedis Apoſtolicæ Legatorum de cauſa Regni in Germania habendum prohibituros. Multi inſuper contra ſimoniacos, & concubinarios, & Bonorum Eccleſiaſticorum prædones canones conditi ſunt, ex quibus ſelectos duodecim Chronico ſuo Virdunenſi inſeruit *Hugo Flaviniacenſis*. Extant etiam duodecim illi canones Tomo XII. Conciliorum (*b*). In ſexta Synodo, quam Romæ menſe Februario anni MLXXIX. habuit *Gregorius* VII. relapſus *Berengarius* hæreſim ſuam ejurare, & fidem Catholicam de præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento tertia fidei profeſſione teſtari compulſus eſt. In eadem Synodo *Henrici & Rodulphi* Regum Oratores, Dominorum ſuorum nomine, liberum in Germania Conventum promiſerunt, ad quem dicti Reges convenirent per ſe, vel per ſuos Legatos, Pontificis, vel Legatorum ejus ſententiam de cauſa Regni inter eos controverſa ſubituri.

bituri. Septimam Synodum anno MLXXX. Romæ habuit *Gregorius* VII. in qua Imperium *Henrico* Germaniæ Regi abrogatum eſt, & *Rodulpho* collatum, ea lege, ne deinceps Beneficiorum Inveſtituræ a Laicis conferrentur, vel acciperentur. Promulgavit etiam in eadem Synodo *Gregorius* VII. Sanctiſſimas pro Diſciplina Eccleſiaſtica Conſtitutiones, quæ extant Tomo X. Conciliorum. In octava Synodo, quam *Gregorius* VII. Romæ anno MLXXXI. convocavit, *Henrici* Germaniæ Regis, & omnium ejus fautorum excommunicatio fuit confirmata, Arelatenſis, & Narbonenſis Archiepiſcopi ei adhærentes depoſiti ſunt, & *Ildimundus*, & *Landus* Campaniæ Tyranni anathemate fuerunt confixi, ſicut teſtantur hujus Synodi Acta, quæ extant Tomo X. Conciliorum. Nonam Synodum Romæ XII. Kalend. Decembris anni MLXXXIII. collegit *Gregorius* VII. in qua de fidei forma, & Chriſtianæ Religionis converſatione, nec non de animi conſtantia ad ſuſtinendas perſecutiones ab *Henrico* Germaniæ Rege Eccleſiæ illatas neceſſaria egregie peroravit ſummus Pontifex, ut videre eſt in illius Synodi Actis, quæ inſerta ſunt Tomo X. Conciliorum. Decimam, & undecimam Synodum Romæ anno MLXXXIV. celebravit *Gregorius* VII. in quibus *Guibertus* Antipapa, & *Henricus* Germaniæ Rex denuo anathemate confixi ſunt ut teſtantur *Bertholdus* Conſtantienſis ad hunc annum, & *Leo Oſtienſis* lib. 3. cap. 53. Præter hæc undecim Concilia, quæ Romæ habuit *Gregorius* VII. alia ejuſdem Pontificis juſſu & authoritate anno MLXXXV. *Quintilinoburgi* celebrata eſt Synodus cui præfuit Sedis Apoſtolicæ Legatus. In ea damnata eſt *Henriciana* Hæreſis, eorum ſcilicet, qui ab Henrico Rege excommunicato & ſchiſmatico ſtabant. In *Guibertum* Antipapam, & ſchiſmaticos ejus fautores repetita eſt anathematis ſententia, ſeptemque in rem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ conditi ſunt canones, qui tomo X. Conciliorum recitantur deſumpti ex *Bertholdo* Conſtantienſi ad annum MLXXXV.

(*a*) „ In ea Synodo, quæ prima fuit ſub Gregorio „ VII. datum credo decretum Gregorii quo ab „ Eccleſiæ ingreſſu removentur Presbyteri, Diaco- „ ni, & Subdiaconi fornicarii quo ad uſque *pæniteant & emendent*. Hoc decretum refert Ger- „ hous Reicheſpergenſis, & ego ex illo in meo „ Conciliorum ſupplemento tom. II. pag. 1. ſic- „ ut etiam ibidem retuli geminas Epiſtolas Si- „ gefridi Archiepiſcopi Moguntini ad eundem „ Gregorium, in quibus præſto ſe offert ad pro- „ mulgandos Canones in eo Concilio editos. „ Ibi pariter mentionem feci de Concilio Pari- „ ſienſi, in quo communi conſenſu rejecta ſunt „ decreta ejuſdem Concilii Gregoriani, tan- „ quam ſi eſſent gravia nimis & ardua. Qua „ de re lege acta S. Gualterii Abbatis Ponti- „ ſaræ apud Bollandiſtas ad diem VIII. Aprilis „ cap. 2.

(*b*) „ Ad iſtud pariter Concilium ego adjicien- „ dam cenſui ſententiam a Gregorio latam con- „ tra Northmannos pervaſores rerum Monaſterii „ Caſaurienſis, quæ inſula eſt maris Adriatici in „ Aprutio ulteriori, legiturque in Chronico ejuſ- „ dem Monaſterii Rer. Italic. Tom. 11. part. 2. „ pag. 365.

Conſulto hic prætermitto quædam ſchiſmatica Conciliabula, Ultrajectinum, duo Moguntina, Wormatienſe, & Brixienſe, in quibus, ad nutum *Henrici* Germaniæ Regis, *Guibertus* Ravennas quondam Epiſcopus, in Sedem Apoſtolicam intruſus eſt, & *Gregorius* VII. legitimus Pontifex per ſummam & a ſæculis inauditam temeritatem depoſitus eſt, ac multorum criminum falſo inſimulatus. Sufficit hic dicere, hæc crimina quæ *Gregorio* VII. in his conventiculis objecerunt ſchiſmatici, & quæ *Benno* Pſeudo-Cardinalis in virulentum opus ſuum congeſſit, putidas eſſe calumnias, ſicut aperte probant ejuſdem *Gregorii* VII. vindicata ſanctitas, patrata ab ipſo miracula & graviorum teſtimonia hujus temporis ſcriptorum, qui ſanctiſſimum illum Pontificem a calumniis ei a ſchiſmaticis impactis egregie vindicarunt. Certe hujus conjurationis, ſchiſmatis, & atrocis perſecutionis adverſus Gregorium VII. ab *Henrico* Rege, & ejus fautoribus excitatæ veras cauſas aperit *Hugo Flaviniacenſis* in Chronico Virdunenſi his verbis: *Ob hanc igitur cauſam, quia ſcilicet Sanctam Dei Eccleſiam caſtam eſſe volebat, liberam, atque Catholicam; quia de Sanctuario Dei ſimoniam, & Nephytorum Hæreſim, & fædam libidinoſæ contagionis pollutionem volebat expellere, membra Diaboli cœperunt in eum inſurgere, & uſque ad ſanguinem præſumpſerunt in eum manus injicere, & ut eum morte vel exilio confunderent, multis eum modis conati ſunt dejicere.*

Sub finem undecimi Sæculi *Urbanus* II. Pontifex Maximus plura celebravit Concilia, cum in Italia, tum in Gallia, quo ſeſe velut in aſylum tutiſſimum receperat. Primum Concilium habuit *Melphiæ* in Apulia anno MLXXXIX. ut teſtantur *Lupus Protoſpata* in Chronico, *Joannes* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius in Epiſtola ab Abbatem Moliſmenſem, *Bollandus* ad diem IX. Februarii in vita Sancti *Sabini* Canuſini Epiſcopi, *Labbeus* Tomo X. Conciliorum, *Natalis Alexander*, *Pagius*, & alii. Ea in Synodo XVI. conditi ſunt canones, quibus damnantur ſimonia & incontinentia Clericorum, iiſque prohibetur, ne in aula & apud proceres commorentur, viriſque ac fœminis potentibus, ad ſui ordinis dedecus, obſequantur; ne veſtibus ſæcularibus induantur aut cum luxu vivant. Præcipitur Abbatibus, ut nullum pretium ab iis, qui Monaſticam vitam profiteri volunt, exigant. Sacerdotibus cura imponitur circa falſas Laicorum Pœnitentias invigilandi. *Inveſtiturarum* uſus penitus abrogatur, & alia id genus Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia ſtatuuntur, quæ legi poſſunt in Epiſtola *Joannis* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarii relata a *Labbeo* Tomo X. Conciliorum. (*a*)

Digitized by Google

(*a*) ,, Synodo huic adſcribendum cenſui in meo Supplemento tom. II. pag. 86. Decretum, quod Romani correctores Gratiani recitant ad Can. *Queſti ſunt* 16. q. 1. extractum ex Cod. Vatic. ubi ſunt Concilia duo, nempe Melphitanum & Placentinum. Decernitur vero in illo decimas Eccleſiæ Parochiali ſolvendas eſſe a colonis Monaſteriorum, non vero a Monachis de bonis quæ ipſi per ſeſe excolerent. Alios etiam canones hujus Concilii reperi in MS. Cod. Biblioth. Univerſitatis Taurinenſis, quorum prior eſt multa dignitatum quas forte obtinuerint excommunicatio, exilium, & in Monaſterium recluſio contra eos qui manus in Epiſcopum injecerint; qui vero id auſi fuerint in Clericos quoſcumque illis excommunicatio decernitur, *donec contumeliam captionis pro contumelia reſtituant*. Eundem Canonem habemus apud Labbeum Can. XXXII. ſed in multis diſcrepantem & non integrum; ac ab eo Concilio Claromontano tribuitur. Alios etiam Canones vide in meo Concilior. Suppl. tom. II. pag. 70. in Append.

Alteram Synodum anno MXC. *Toloſæ* in Galliis per ſuos Legatos habuit *Urbanus* II. in qua nonnulla, quæ in cauſis Eccleſiaſticis correctione indigebant, emendata ſunt, & decreta in Hiſpanias Legatio, *Alphonſo* Rege ſupplicante ad Eccleſiaſticam Diſciplinam in Toletana civitate reſtaurandam, ſicut narrat *Bertholdus* in Chronico. Extant Acta iſtius Synodi Toloſanæ Tomo X. Conciliorum, & apud Cardinalem *Aguirrium* Tom. III. *Conc. Hiſp.* eruditis Notis illuſtrata. Tertiam Sydodum celebravit *Urbanus* II. anno milleſimo nonageſimo primo apud *Beneventum*, in qua ſententiam Anathematis in *Guibertum* Antipapam, ejuſque fautores confirmavit, teſte *Bertholdo* in Chronico ad hunc annum MXCI. in hac Beneventana Synodo conditi ſunt quatuor canones, qui extant Tomo X. Conciliorum. Quartam Synodum habuit *Urbanus* II. anno milleſimo nonageſimo tertio *Trojæ* in Apulia, in qua de conjugiis conſanguineorum diſſolvendis editus eſt, canon, quem *Ivo* Carnotenſis part. 4. cap. 13. *Gratianus* cauſa 35. quæſt. 5. cap. 4. & Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 41. referunt. *Baronius* unum Concilium Trojanum in Apulia habitum in duo diſtinxit, quorum unum anno MLXXXIX. Alterum anno MXCII. celebratum fuerit. Sed hunc errorem refellit *Labbeus* Tomo X. Conciliorum, oſtenditque, unicam anno MXCIII. ab *Urbano* II. collectam *Trojæ* Synodum, cui, teſte *Ivone* Carnotenſi, adſuerunt Epiſcopi LXXV. Abbates XII. quod confirmat laudatus *Labbeus* ex Codicibus MSS. in quibus hæc leguntur: *Anno Dominicæ Incarnationis* MXCIII. V. *Idus Martii convenit Trojæ in Apulia Conciliorum Epiſcoporum fere* LXXV. *Abbatum* XII. ſubditur ibidem, actum fuiſſe in ea Trojana Synodo *de quibuſdam intra conſanguinitatis lineam copulatis*, & aliqua Capitula promulgata, inter quæ hoc unum fuit. *Si quis Treviam Dei* (ſeu Treugam Dei) *fregerit uſque tertio, ad ſatisfactionem ab Epiſcopo moneatur. Quod ſi nec tertio ſatisfacere conſenſerit, Epiſcopus vel cum Metropolitani Concilio duobus aut uno vicinorum Epiſcoporum in rebellem anathematis ſententiam dictet, & per ſcripturam Epiſcopis denunciet.* Ut autem intelligas quid nomine *Treugæ Dei* ſignificetur, obſervare debes, hanc undecimo ſæculo peſſimam invaluiſſe conſuetudinem, ut bella inter privatos, etſi legibus probata non eſſent, ſi tamen provocatio præceſſiſſet, non jure conſtituto haberentur, itaut in adverſarium cæde, prædis, & incendiis graſſari liceret. Multis quidem comminationibus Epiſcopi Gallicani his malis mederi conati ſunt, ſed cum viderent has commutationes contra hæc bella privata & cædes non ſatis proficere, delatæ ſunt paſſim Sanctorum reliquiæ, & cum malum adhuc non ceſſaret, anno milleſimo trigeſimo quarto varia celebrata ſunt Concilia, ut unicuique injurias ſibi illatas ulciſcendi, prædaſque agendi, facultas adimeretur. Tandem, cum eadem mala, iis non obſtantibus, perdurarent, inventa eſt Pax *Treuga Dei* appellata, qua confœderatio cum Epiſcopis & Magnatibus inita eſt, ut hiſce privatis bellis indicerentur induciæ certis hebdomadæ diebus; ſcilicet, diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Dominicæ, ea lege, ut nemo illis diebus ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, armis, cædibus, aliiſque hoſtilibus factis ſæviret, nec etiam a fidejuſſore pignus tolleret, pœna capitis, aut exilio, & excommunicatione in rebelles irrogatis. Hanc *Treugam* primitus in Aquitaniæ partibus anno milleſimo quadrageſimo primo inſtitutam, & deinde per reliquas Galliarum partes fuiſſe receptam, docent nos *Glaber* lib. 4. cap. 5. & *Hugo Flaviniacenſis* in Chronico Virdunenſi a *Labbeo* Tomo I. Bibliothecæ. *Petrus etiam de Marca* lib. 4. *de concordia Sacerdotii & Imperii* cap. 14. oſtendit hanc *Treugam* ab Epiſcopis & Proceribus decretam, a variis Conciliis fuiſſe undecimo Eccleſiæ ſæculo confirmatam. Sed ad explicandum quid eſſet illa *Treuga Dei*, ſeu pax, quam *in* Concilio *Trojano* in Apulia ab *Urbano* II. celebrato confirmatam eſſe obſervavimus, hæc obiter dicta ſint. Quintam Synodum *Urbanus* II. per *Gebehardum* Conſtantienſem Epiſcopum, ſuum in Germania Legatum, celebravit Conſtantiæ anno MXCIV. in qua Presbyterorum incontinentia caſtigata, & ſimoniacorum violentia exercita eſt: *Querimonia* etiam *Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ, a marito ſuo Henrico diſceſſit, ad Synodum Conſtantienſem pervenit, quæ ſe tantas tamque inauditas fornicationum ſpurcitias, & a tantis paſſam fuiſſe conqueſta eſt, ut etiam apud inimicos fugam ſuam facillime excuſaret, omneſque Catholicos ad compaſſionem tantarum injuriarum ſibi conciliaret*, ait *Bertholdus* Presbyter Conſtantienſis in Chronico. Sextam Synodum ex Epiſcopis Italiæ, Germaniæ, & Galliæ *Urbanus* II. Placentiæ in Longobardia menſe Martio anni MXCV. indixit, ad quam, ut ait mox citatus *Bertholdus*, teſtis oculatus tam innumerabilis

rabilis multitudo confluxit, ut in nulla Eccleſia civitatis comprehendi cum poſſet, extra urbem in campo celebranda fuerit. In ea Synodo *Praxedes*, ſive *Adelais* Regina, adverſus maritum *Henricum* conqueſta de ſpurcitiis, quas ab eo paſſa eſſet, abſoluta eſt, nec ulla ipſi impoſita pœnitentia, eo quod illas non tam commiſiſſe, quam invitam pertuliſſe certo conſtaret. In eadem Synodo Legati *Philippi* Galliarum Regis excuſantes, quod iter ad Synodum aggreſſus, legitimis cauſis impeditus fuiſſet, inducias ei uſque ad Pentecoſten impetravere. Qua de re plura habet *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus in Epiſtola 46. ad *Urbanum* II. Legati etiam Imperatoris Orientis auxilium contra Paganos implorantes auditi ſunt. Damnata rurſus Hæreſis Berengariana. *Guibertus* Antipapa, ejuſque fautores cum candelis ardentibus Chriſtiano ritu diris devoti ſunt. Omnia Decreta adverſus Clericos ſimoniacos, & incontinentes renovata, aliaque ſtatuta circa Diſciplinam Eccleſiaſticam fuerunt condita, quæ *Bertholdus* recitat. Quindecim etiam Canones iſtius Synodi Placentinæ extant Tomo X. Conciliorum. Septimam Synodum celebravit *Urbanus* II. in Galliis apud *Clarum-Montem* anno milleſimo nonageſimo quinto, cui tredecim Archiepiſcopi cum ſuis ſuffraganeis interfuerunt, & ducentæ quindecim Paſtorales Virgæ numeratæ ſunt, teſte *Bertholdo* in Chronico. In hac Synodo Claromontana, ut ait idem *Bertholdus* loco mox laudato: *Dominus Papa eadem ſtatutà, quæ & in præterita Synodo Placentina, confirmavit, inſuper & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eo quod propria uxore*, ſeu *Berta*, *dimiſſa*, *militis ſui uxorem*, ſeu *Bertradam* Falconis Andegavorum comitis uxorem, *ſibi in conjugem ſociavit*. Idem ſcribit *Sigebertus* in Chronico. *Willelmus* vero *Malmesburienſis* lib. 4. cap. 2. aſſerit, eadem excommunicatione multatam fuiſſe *Bertradam* Regiam pellicem. In eadem Synodo decreta eſt expeditio in Terram Sanctam, auctore vel incentore *Petro Eremita* Gallo, Diœceſis Ambianenſis, qui Jeroſolyma reverſus, ſignificavit Papæ, & Regibus ac Principibus Occidentis, Turcas, qui jam Syriam, & utramque Ciliciam, Iſauriam, Pamphiliam, Lyciam, Piſidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrumque Pontum, Bythiniam, & Aſiæ Minoris partem, intra modicum tempus ſuam in poteſtatem redegerant, Eccleſias dejicere, & Chriſtianos magno furore proſequi. Quibus Chriſtianorum in Oriente degentium calamitatibus commotus *Urbanus* II. indixit in Synodo Claromontana Expeditionem Hieroſolymitanam, plena pœnitentiatum relaxatione, & indulgentia iis facta, qui ad bellum ſacrum proficiſcerentur, pro teſſera militari geſtantes ſignum Sanctæ Crucis rubei coloris ſuper ſcapulam dextram impreſſum veſtibus. Plures Canones ea in Synodo Claromontana conditi ſunt, ex quibus triginta duos *Baronius*, & Conciliorum Collectores referunt, quorum vigeſimus quintus his verbis conceptus eſt: *Nec filios Presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis ſuſceptos liberos ad Presbyteratus gradum provehi licere, niſi aliquo in Monaſterio religionem profeſſi eſſent*. Cum enim eo tempore vix paterentur Presbyteri ſuas ſibi auferri uxores, prudenter judicavit Eccleſia, eorum filios a ſacris Officiis, & Ordinibus arcendos eſſe, ut hoc pacto Sacerdotes a concupiſcentiis carnis refrænari poſſent. Cæterum, ſi Presbyterorum filii Cœnobiis nomen darent, aut cum illis diſpenſare vellet Sedes Apoſtolica, ad ſacros Ordines promoveri poterant, ut conſtat ex Epiſtola *Urbani* II. ad Archiepiſcopum Turonenſem, & ex Epiſtola Noviomenſium Clericorum ad Cameracenſes data de filiis Clericorum ad ſacros Ordines admittendis, quam exhibet *Mabillonius* Tomo I. *Muſæi Italici* parte 2. Primatum Eccleſiæ Lugdunenſis in quatuor Provincias, Lugdunenſem ſcilicet, Rothomagenſem, Senonenſem, & Turonenſem confirmavit in hac Synodo Claromontana *Urbanus* II. Archiepiſcopos Senonenſem, & Rothomagenſem Pallii privatione mulctavit, eorumque in ſuffraganeos auctoritatem ſuſpendit, niſi *Hugonem* Lugdunenſem Archiepiſcopum *Gebuini* ſucceſſorem tanquam Primarem ſuum revererentur. Sed de hoc Primatu Eccleſiæ Lugdunenſis legendus eſt Illuſtriſſimus *Petrus de Marca* in Diſſertatione quam edidit, *De primatu Lugdunenſi*. Bellis privatis, quæ ut ſupra diximus, prava conſuetudo invexerat, & quæ perverſa hominum opinione legitima habebantur, ſi provocatio, ſeu (ut vulgo loquebantur) diffidatio præceſſiſſet, induciæ indictæ ſunt diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Dominicæ, ut qui *Treugam Dei*, ſeu pacem, his diebus frangeret, pœnis cum Eccleſiaſticis, tum civilibus ſubjaceret, ſicque *Treuga Dei* ſuperius a nobis expoſita ab *Urbano* II. in Concilio Claromontano fuit confirmata. Aliis ejuſdem Synodi Claromontanæ canonibus aſſerta eſt Eccleſiæ libertas, & ſancita Diſciplina. Principibus Laicis vetitæ Epiſcopatuum & Abbatiarum inveſtituræ, Officii Beatæ Virginis Mariæ recitatio Clericis præſcripta, & exhinc Sabbatum B. Virginis cultu & Officio fuit conſecratum. Creditur etiam, novem antiquis Præfationibus, quæ in Eccleſia legebantur, decimam in ea Synodo additam eſſe de Beata Virgine, cujus auctorem *Cardinalis Bona* lib. 2. *Rerum Liturgicarum* cap. 10. num. 3. ait eſſe *Urbanum* II. ſed ſine teſte. Extant Concilii Claromontani Acta & canones XXXII. Tomo X. Conciliorum pag. DVI. ubi ſubjicitur Appendicis vice Decretum *Urbani* II. de Primatu Lugdunenſi, & *Petri de Marca* eadem de re Diſſertatio. Sequitur poſtea Appendix altera a *Gabriele* Coſſartio concinnata, quæ canones aliquot hujus Synodi integros, reliquorum Breviaria varia, aliaque huc ſpectantia complectitur. *Stephanus* quoque *Baluzius* in additionibus ad caput XXXI. libri VI. Petri de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii* multa habet, quæ ad elucidationem canonum Concilii Claromontani haud parum juvare poſſunt.

Claromontano Concilio celebrato *Urbanus* II. Papa cum pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis *Lemovicas* perrexit, ibique octavam Synodum habuit anno milleſimo nonageſimo quinto exeunte, in qua de Hieroſolymitana Expeditione cum præſulibus contulit, & *Humbaldum* Lemovicenſem

Digitized by Google

ſem Epiſcopum certis criminibus accuſatum & convictum depoſuit. Regalem etiam Sancti *Martialis* Baſilicam, ab *Ademaro* Abbate inſtauratam ſolemni ritu dedicavit ſecundo Kalendas Januarii, ac in perpetuum *diem illum ſolemnem & celebrem dedicationis agi conſtituit*, ut narrant *Joannes Beslyus* in Hiſtoria Comitum Pictavorum & Aquitanorum Ducum ex Tabulario Lemovicenſi, *Gaufridus* Prior Voſienſis in Chronico ad annum MXCV. & auctor Chronici Malleacenſis ad eumdem annum. Extant Acta iſtius Synodi Lemovicenſis Tomo X. Conciliorum. Nonam Synodum *Turonibus* celebravit *Urbanus II.* anno MXCVI. in qua rurſus de Expeditione in Terram Sanctam, & de aliis negotiis Eccleſiaſticis actum eſt. Hujus Concilii meminere Turonenſe Chronicon MS. a *Labbeo* Tomo X. Conciliorum pag. 602. laudatum, & Chronographus Malleacenſis hujus temporis ſcriptor in ſuo Chronico ad annum MXCVI. De eadem Synodo Turonenſi hæc ſcribit *Bertholdus* in Chronico: *in tertia hebdomada quadrageſimæ Dominus Papa Synodum celebravit cum diverſarum Epiſcopis Provinciarum in civitate Turonis, ubi iterum ſuorum præteritorum ſtatuta Conciliorum generalis Synodi aſſenſione roboravit*. Decimam Synodum *Urbanus II.* celebravit *Nemauſi* die duodecima menſis Julii anni MXCVI. & in hac Synodo *Philippum* Regem Francorum, dimiſſa *Bertrada* pellice, pœnitentem abſolvit, ut teſtatur Chronographus Malleacenſis. Sexdecim canones in hac Nemauſenſi Synodo conditi, & quædam illius Actorum fragmenta a *Gabriele Coſſartio* eruta extant Tomo X. Conciliorum. Undecimam Synodum *Urbanus II.* e Gallia Romam rediens celebravit *Bari* in Apulia anno MXCVIII. ut jam oſtendimus agendo de Conciliis, quæ undecimo Eccleſiæ ſæculo in cauſa ſchiſmatis Græcorum fuerunt congregata. Ad hoc Barenſe Concilium *Urbanus* II. vocaverat etiam Græcos, ne jam decreta in Terram Sanctam contra Turcas expeditio aliquod ex ſchiſmate Eccleſiæ Orientalis pateretur impedimentum. Hujus Barenſis Concilii Acta perierunt, ſed ex vita *S. Anſelmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui iſtius Concilii os & ingenium fuit, ab *Eadmero* ipſius peregrinationis comite deſcripta diſcimus, *S. Anſelmum* perſuaſum a Papa, confutaſſe Græcos de Spiritus Sancti proceſſione diſputantes, indeque magni apud omnes eſſe habitum, & veneratione digniſſimum comprobatum. Refert idem *Eadmerus* S. Anſelmi iter, honorem ei in Concilio Barenſi ac laudes, cum ab aliis, tum ab ipſo Urbano Papa delatas. De libro, quem S. Anſelmus *de proceſſione Spiritus Sancti* contra Græcos ad petitionem *Hidelberti* Cenomonenſis Epiſcopi poſt Concilium Barenſe ſcripſit, commodius agemus in quinto Colloquio in Hiſtoriam XII. Eccleſiæ ſæculi, ubi referemus Sancti Anſelmi Opera. Duodecimam & ultimam Synodum *Urbanus* II. Romæ celebravit anno MXCIX. in qua, ut ait Chronographus Malleacenſis, *confirmavit viam Sancti Sepulchri Domini noſtri Jeſu Chriſti, & decrevit, omni ſexta feria jejunare pro peccatis ſuis, omnibus Chriſtianis, & maxime pro illis, de quibus non confeſſi ſunt immemores*. Rogerius Hovedenus de hac Synodo Romana ſcribit: *anno* MXCIX. *Urbanus Papa tertia hebdomada Paſcha magnum Concilium tenuit Romæ in quo excommunicavit omnes Laicos, Inveſtituras Eccleſiarum dantes, omneſque illas accipientes, & eos, qui pro Eccleſiaſticis honoribus Laicorum hominum ſervi, & quaſi ancillæ fiunt*. Bertholdus vero in Chronico ait, *Urbanum II.* Romæ collegiſſe Synodum *centum quinquaginta Epiſcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium, tertia hebdomada poſt Paſcha*, in qua, confirmatis *Deceſſorum ſuorum ſtatutis, ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham* (Antipapam) *& omnes ejus complices iteravit. Statuit quoque ibi, ne communicare præſumerent iis, qui concubinas haberent, niſi prius eas dimitterent*. De promovenda etiam Expeditione Hieroſolymitana *Urbanus* II. ea in Synodo fuit multum ſollicitus. Extant Tomo X. Conciliorum cum Notis *Binii*, & *Coſſartii* canones ſeptemdecim iſtius Synodi Romanæ, quorum duodecim priores iidem ſunt cum iis, qui editi ſunt in Concilio Placentino, quos cum *Urbanus II.* in Concilio Claromontano promulgaſſet, in hac quoque Synodo Romana confirmavit. Habes nunc omnia Concilia uno tenore deſcripta, quæ undecimo Eccleſiæ ſæculo a Romanis Pontificibus pro variis emergentibus Eccleſiæ negotiis fuerunt celebrata. (a)

„ (a) Et hic pariter longior catalogus adjiciendus eſſet Conciliorum quæ mihi quærenti obvenerunt, in meo Supplemento to. 1. ſuggeſta; uti Romanum anni 1014. ſub Benedicto VIII. pro Epiſcoporum quorundam depoſitione, & definienda ætate Clericorum ordinandorum, quæ pro Diaconis ſtabilita eſt ad annum XXV. ætatis, pro Sacerdotibus & Epiſcopis ad XXX. qui contra faxerint anathemate plectuntur. Romanum ſub Joanne XIX. pro lite de jure Metropolitico inter Aquilejenſem & Gradenſem Antiſtites; atque pro Aquilejenſi definita eſt. Romanum alterum anno eodem 1027. pro approbanda translatione epiſcopatus Citicenſis ad urbem Nauburgenſem. Romana Concilia duo ſub Benedicto IX. ann. 1038. & 1039. illud pro depoſitione Ariberti Archiepiſcopi Mediolanenſi; hoc vero pro injungenda pœnitentia Bracilao Bohemiæ Duci, quod propria auctoritate lypſana S. Adalberti e Polonia Gneſnam tranſtuliſſet. Synodos alias, a Romanis Pontificibus hoc ſæculo habitas, ne longior ſim, omitto; Has vero ex meo Conciliorum Supplemento to. I. repetas.

D. Nulla igitur alia, præter ea, quæ hactenus recenſuiſti, undecimo Eccleſiæ ſæculo celebrata ſunt Concilia?

M. Nonnulla alia Concilia Nationalia undecimo Eccleſiæ ſæculo in Gallia, Germania, & Anglia habita ſunt, quæ ut ordine recenſeam, a Conciliis Gallicanis initium ſumam. In primis, occaſione ſectæ novorum Manichæorum in Galliis undecimo ſæculo exortæ, de qua in ſuperiori Colloquio ſermonem habuimus, celebratum eſt *Aurelianis* Concilium anno milleſimo vigeſimo ſecundo, in quo *Liſojus*, & *Stephanus Heribertus*,

qui

qui Reginæ *Conſtantiæ* uxoris *Roberti* Galliarum Regis erat a confeſſionibus, hujus ſectæ Principes, cum aliis duodecim Clericis, qui in obſtinatione perſtiterunt, ſolemni ritu de Eccleſiaſtico gradu dejecti, juſſu Regis *Roberti* ad ignem damnati ſunt. Multi moderni Scriptores, quos inter cenſentur Conciliorum Collectores tomo 9. Conciliorum afferunt, hoc Concilium indictum fuiſſe anno milleſimo decimo ſeptimo. Sed certum eſt, iſtud Aurelianenſe Concilium revocandum eſſe, ut diximus, ad annum milleſimum vigeſimum ſecundum. In brevi ſiquidem Chronico Autiſiodorenſi a *Labbeo* tomo 1. Bibliothecæ edito legitur ad annum milleſimum vigeſimum ſecundum: *Aurelianis igne cremantur Clerici diabolica ſuggeſtione a Fide Catholica exorbitantes effecti, ac ſi denuo Manichæi*. In fragmento etiam Hiſtoriæ Aquitanæ ad eumdem annum milleſimum vigeſimum ſecundum habetur: *apud Toloſam inventi Manichæi & deſtructi*. Supereſt adhuc privilegium a *Roberto* Francorum Rege conceſſum *Alberto* Miciacenſi Abbati, in quo dicitur ſententiam in illos hæreticos prolatam fuiſſe anno milleſimo vigeſimo ſecundo. Quapropter, corrigendus eſt error illorum Scriptorum, qui Concilium iſtud Aurelianenſe perperam illigant anno milleſimo decimo ſeptimo. *Lucas Dacherius* tomo 13. Spicilegii exhibet Synodum Atrebatenſem a *Gerardo* Atrebatenſi & Cameracenſi Epiſcopo celebratam anno MXXV. contra quoſdam hæreticos, qui de Italiæ finibus in Belgium venerant, & quamdam novæ hæreſeos ſectam invehentes, Evangelicæ atque Apoſtolicæ Sanctionis diſciplinam pervertere moliebantur. In hac autem Atrebatenſi Synodo omnia fidei dogmata, quæ nunc credenda proponit Sancta Mater Eccleſia de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, de pœnitentia, de jejuniis, de culto Sanctorum, de veneratione Imaginum, de precibus fuſis pro mortuis &c. tam luculenter expoſuit, tamque ſolide ſtabilivit Sanctus ille Epiſcopus, ut tandem convicti novi iſti ſectarii repudiatis illis erroribus, quos quidam nomine *Gandulphus* Italus illis inſtillaverat, ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ confeſtim redierint.

Magna undecimo Eccleſiæ ſæculo *Lemovicis* in Gallia Clericos inter Civitatis, & Monachos Sancti *Martialis* rixa enata eſt, ad quam dirimendam neceſſariom fuit quædam convocare Concilia. Illius rixæ hæc cauſa fuit. In Litaniis, & publicis ſupplicationibus nomen S. *Martialis*, unius e LXX. diſcipulis, ex antiquo rito inter Confeſſores habebatur, cumque *Hugo* Abbas *S. Martialis* eum inter Apoſtolos annumerare, & Apoſtoli nomeo illi dare cœpiſſet, eo potiſſimum nomine, quod *S. Martialis*, ut vulgo creditur, primus apud Lemovicenſes Evangelii præco extitiſſet, *Jordanus* Epiſcopus Lemovicenſis, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ antiquom morem, juxta quem *S. Martialis* Confeſſoribus, non vero Apoſtolis annumerabatur, acriter defendere inſtituerunt. Ad hanc itaque definiendam litem *Willelmus* Aquitanorum Dux Synodum *Pictavi* anno MXXIII. congregari curavit, in qua tamen nihil decidi potuit. Quapropter anno ſequenti, ſeu MXXIV. aliud Pariiſis, præſente *Roberto* Galliarum Rege, celebratum eſt Concilium, ubi frequentior Doctorum numerus adfuit, & in eo ſtatutum eſt, *S. Martialem* vocandum eſſe Apoſtolum. Hæc Concilii Pariſienſis de Apoſtolatu *S. Martialis* ſententia, in quam lubentiſſime inclinavit *Robertus* Galliarum Rex, miſſa eſt ad *Joannem XIX.* Pontificem Maximum, qui eam auctoritate ſua confirmavit, ut videre eſt in epiſtola, quam ea de re ſcripſit ad *Jordanum* Lemovicenſem, cæteroſque Galliarum Epiſcopos, quæ nunc extat tomo 9. Conciliorum. Pro aſſerendo itidem Sancto *Martiali* per totam Galliam Apoſtolatus honore, tria alia Concilia quibus præfuit *Aymo* Archiepiſcopus Bitoricenſis, fuerunt in Galliis celebrata. Primum fuit *Lemovicenſe* coactum anno MXXIX. Alterum eſt *Bituricenſe* celebratum anno MXXXI. in quo conditi ſunt Canones viginti quinque, quorum primus eſt de Sancti *Martialis* Apoſtolatu, ſtatuiturque, ut non inter Confeſſores, ſed inter Apoſtolos proponatur & celebretur. Tertium eſt Lemovicenſe ſecundum quod eodem anno, diebus quindecim poſt Concilium Bituricenſe in Eccleſia *S. Stephani* Proto-Martyris habitum eſt, in quo variis documentis Apoſtolatus S. *Martialis* probatus eſt, ejuſque memoriam, Apoſtolorum ritu, juxta *Joannis XIX.* Papæ litteras, & Bituricenſis Synodi Decreta celebrandam, ſtatutum fuit. Extant integra Acta hujuſce Synodi Lemovicenſis ſecundæ binis ſeſſionibus abſolutæ tomo 9. Conciliorum. Velim obiter hic obſerves, hanc traditionem de adventu *S. Martialis*, unius e LXX. Diſcipulis, in Gallias, & de Lemovicenſi Sede ab ipſo primitus fundata, in dubium a multis peritis Criticis revocari, eo quod antiquiores Gallicani Scriptores videlicet *Severus Sulpicius*, & *S. Gregorius* Turonenſis Epiſcopus palam ei adverſari videantur. *Severus* quippe *Sulpicius* lib. 2. Hiſt. Sacræ loquens de Lugdonenſi contra Chriſtianos perſecutione, quæ ſub *Marco Aurelio* Imperatore exarſit anno CLXXVII. ait: *Tum primum inter Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei Religione ſuſcepta*. *Gregorius* vero Turonenſis Epiſcopus lib. 1. *Hiſt. Francorum* cap. 30. hæc habet: *Hujus* (ſcilicet Imperatoris Decii) *tempore, ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias ſunt, ſicut Hiſtoria Paſſionis Sancti Martyris Saturnini enarrat*. Porro, inter illos ſeptem Epiſcopos in Gallias ad prædicandum miſſos ſub Conſulatu *Grati*, & *Decii*, qui incidit in annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum, numerator *S. Martialis*, qui Lemovicis fuit deſtinatus. Verum, quamvis ultro fatear, hanc traditionem de adventu in Gallias S. *Martialis*, *Trophimi*, *Dionyſii Areopagitæ*, *Magdalenæ*, *&c.* magnis laborare difficultatibus, exiſtimo tamen conſultius eſſe, nihil palam dicere aut ſcribere, quod piam Gallorum opinionem convellere, aut falſi convincere poſſit.

His Gallicanis Conciliis addi debent Concilia *Narbonenſe* anno MLIV. habitum, in quo viginti novem conditi ſunt Canones, qoi omnes fere *Treugam Dei*, ſuperius a nobis expoſitam, ſpectant; Concilium *Julioboneſe*, in Normannia celebratum, ſeu in Territorio Caletenſi Diœceſis Rotomagen-

ſis anno MLXXX. in quo itidem actum eſt de ſervanda *Treuga Dei*, ſeu pace, & tredecim diſciplinæ Eccleſiaſticæ conditi ſunt Canones, qui extant tomo 10. Conciliorum, & apud *Ordericum* lib. 5. cap. 552. & ſeq. Concilium *Pictavienſe ſecundum* ab *Hugone* Dienſi Epiſcopo, ac Summi Pontificis Legato anno MLXXVII. convocatum, in quo decem ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes editi ſunt Canones, qui extant tomo 10. Conciliorum. Prætermitto alias Synodos, quæ in Galliis ſub finem undecimi ſæculi habitæ ſunt, *Avenionenſem*, *Anſanam*, *Divionenſem*, *Auguſtodunenſem*, ſive *Æduenſem*, quia obſcuræ ſunt, & nullius fere nominis, quorum tamen Acta inſerta ſunt tomo 10. Conciliorum.

In Germania anno MXXII. *Aribo* Moguntinus Epiſcopus cum quinque Coepiſcopis Synodum *Saleguntſtadii* ad Mœnum celebravit, cui interfuit *Burchardus* Epiſcopus Wormatienſis doctrina & pietate conſpicuus, qui iſtud *Saleguntſtadienſe* Concilium ſuis Decretorum libris intexuit. Viginti in ea Synodo conditi ſunt Canones, in quorum quinto præcipitur, *ut unuſquiſque Presbyter in die non amplius quam tres Miſſas celebrare præſumat*. Ex quo intelligimus, Presbyteris, qui plures Parochias in Diœceſi Moguntina regebant, plurium Miſſarum in die celebrationem fuiſſe alias permiſſam. In Anglia nono ſupra milleſimo anno habita eſt Synodus *Ænhamenſis*, regnante *Ethelredo*, in qua pro ſancienda diſciplina Eccleſiaſtica duo ſupra triginta conditi ſunt Canones, qui extant tomo 9. Conciliorum. Poſtremo, in Hiſpania undecimo ſæculo tria potiſſimum Concilia, quæ hic recenſeri merentur, celebrata ſunt, videlicet *Barcinonenſe*, *Jaccetanum* in Aragonia, & *Burgenſe* in Caſtella veteri, in quibus Officium Gothicum in Hiſpania abrogatum eſt, & Romanum admiſſum. Quod quidem ut clarius intelligas, obſervare debes, Officium divinum, quo Hiſpania, & vicinæ regiones ad undecimum uſque ſæculum utebantur, dictum fuiſſe *Gothicum*, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi in Hiſpania dominabantur. Dictum eſt etiam *Mozarabicum*, quia cum Arabes ſæculo octavo Hiſpaniam pene omnem occupaſſent, Chriſtiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, ideſt, mixti Arabibus, appellati ſunt. Illud Officium Gothicum viguit in Hiſpania, & in Gallia Narbonenſi, aliiſque Gothorum regionibus, donec *Alexandri II.* Papæ auctoritate paulatim cœperit abrogari, ejuſque loco Romanum ſubſtitui. Anno milleſimo ſexageſimo tertio, quo *Remirus*, ſeu *Ranimirus* in Aragonia regnabat, congregatum eſt *Jaccæ* in eodem Regno Concilium, in quo, agente *Remiro* Rege, abrogatum eſt Officium Gothicum, & Romanum ſuſceptum, ut oſtendit *Antonius Pagius* in Critica Baronii ad annum MLX. num. 2. qui & anno ſequenti probat, *Alexandrum II.* Papam miſiſſe in Hiſpaniam Legatum *Hugonem Candidum* Presbyterum Cardinalem anno milleſimo ſexageſimo octavo, tum ad tollendum ſchiſma, tum ut divinorum Officiorum ritus Romano ex more conſtitueret, quod evincit non ſolum ex *Diago* lib. 1. Hiſt. Comit. Barcin. cap. 57. ſed etiam ex *Surita* lib. 1. cap. 21. ex quibus conſtat, Officium Romanum, uti jam decretum fuerat in Concilio Jaccetano anno MLXIII. coacto, fuiſſe receptum ab *Hugone* Legato, & a *Sanctio Ranimiro* Rege Aragoniæ *Remiri* filio & ſucceſſore. Teſtatur etiam idem *Diagus*, Hugonem Candidum *Alexandri II.* Papæ Legatum indixiſſe Barcinone Concilium, cui interfuere Epiſcopi & Abbates Principatus Barcinonenſis anno MLXVII. in quo communi conſenſu Officium Gothicum repudiatum eſt, & juxta ſacros Canones decretum, ut in poſterum Clerici in perpetua continentia viverent, neque ut antehac, per gravem legum Eccleſiaſticarum abuſum factum fuerat, uxores ducerent. De eodem Officio Gothico in Hiſpania penitus abrogando & Romano in ejus locum ſubſtituendo *Gregorius VII.* eodem anno, quo ordinatus eſt Pontifex, ſollicite curavit. Hanc in rem *Hugonem Candidum* Cardinalem, illum ipſum, qui anno MLXVIII. ab *Alexandro II.* Papa Legatus miſſus fuerat, in Hiſpaniam iterum deſtinavit, qui ſtatim in Aragoniam cum quibuſdam Monachis Cluniacenſibus perrexit, & Epiſcopos apud Sanctum Joannem Pennatenſem congregavit, ubi Epiſcopi Officium Romanum jam antea a *Sanctio Ramiro* Aragoniæ Rege, & *Hugone* Cardinali Legato in quædam loca introductum, anno milleſimo ſeptuageſimo tertio, Monachorum Cluniacenſium opera, receperunt. Verum, licet Romanum Officium ab Aragonenſibus facile admiſſum fuerit, rem promovente *Sanctio* Rege hujus nominis primo, majori tamen cum difficultate ab aliis Hiſpaniarum Regibus ſuſceptum eſt. Tandem, ſedente *Urbano II.* Pontifice Maximo, *Alphonſus VI.* Legionis & Caſtellæ Rex circa annum milleſimum octuageſimum nonum juſſit, tumultuante licet populo, & a veteri precandi ordine, avitiſque cæremoniis ægerrime diſcedente, ut Romanum Officium in omnibus Regni ſui finibus ſuſciperetur, ſicut ſcribit *Rodericus* Toletanus lib. 6. cap. 26. Obſervat tamen idem Scriptor, in aliquibus Cathedralibus, & Hiſpaniarum Monaſteriis ritum *Mozarabicum*, ipſo vivente, retentum fuiſſe. Immo, Toleti in antiquis Eccleſiis, quæ *Mozarabum* fuerunt, ſtatis anni diebus etiamnum res divina Gothico ritu peragitur, idemque fit Salmanticæ in Sacello Doctoris Talabricenſis. Sed hæc de Gothico Officio ſatis dicta ſint occaſione Conciliorum Hiſpaniæ, in quibus undecimo ſæculo abolitum fuit, & ejus loco Romanum ſubſtitutum. Alia Concilia, quæ in Hiſpania eodem ſæculo habita ſunt, nimirum *Legionenſe*, *Pampilonenſe*, *Compoſtellanum*, *Coyacenſe &c.* cum non ſint tanti momenti, ſilentio prætermitto, quæ tamen, ſi per otium liceat, poteris in Collectione Conciliorum Hiſpaniæ, quam adornavit Cardinalis *d'Aguirre*, qui omnia Concilia Hiſpaniæ cum variis Decretis, quæ in illis condita ſunt, & quæ ex MSS. Codicibus eruit; accuratiſſime exhibet, atque eruditis Notis illuſtrat. Hæc igitur de Conciliis, quæ ſæculis Eccleſiæ decimo, & undecimo celebrata ſunt compendio attigiſſe, nobis impræſentiarum ſufficiat.

COL-

COLLOQUIUM. V.

De Viris Illuſtribus, qui cum doctrina tum pietate X. XI. Eccleſiæ ſæculis floruerunt.

D. Cum ſæculum Eccleſiæ decimum poſt Cardinalem Baronium appellaveris *ferreum*, *plumbeum*, & *obſcurum*, facile intelligo, paucos admodum eo in ſæculo adeo ſtetili extitiſſe viros, qui doctrinæ laude claruerint, & Eccleſiam ſuis lucubrationibus defenderint, aut illuſtrarint. Præſtat itaque, ut ab illius ſæculi Scriptoribus breviter nos expediamus.

M. Cum ab extremis opinionibus perinde deflectere, & in medio, quantum fieri poteſt, ſtare debeamus, nolim quidem aſſerere cum Auctore libri *de perpetuitate fidei* 3. par. pag. 367. ſæculum x. inter feliciſſima Eccleſiæ ſæcula connumerari poſſe, illudque non minus viris doctiſſimis, quam ſuperiora ſæcula abundaſſe; nec illis itidem aſſentiri velim, qui verſa vice, ſæculum decimum ita obſcurum, totque denſis ignorantiæ, & inſcitiæ tenebris offuſum fuiſſe dictitant, ut nulli in eo celebres floruerint Scriptores: inter utramque igitur ſententiam e diametro oppoſitam ipſe medium tenens, exiſtimo, ſæculum decimum appellari *obſcurum* ob paucitatem Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſi cum præcedentibus, aut ſubſequentibus comparatio fiat, quamvis negari haud poſſit, aliquot eo in ſæculo, immo complures, quam credidit *Bellarminus*, doctrina inſignes claruiſſe Scriptores, ſicut compertum habemus ex Catalogis Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui noſtra ætate editi ſunt.

D. Gaudeo plane, quod decimi ſæculi Eccleſia non ita ſterilis fuerit, ſicut popularis habet opinio, & quod eam eruditi Scriptores per ea tempora haud parum illuſtrarint. Noſtrum igitur, ſi placet, incipiamus Colloquium ab his Eccleſiaſticis Scriptoribus, qui ſæculo decimo magis in Oriente doctrina inclyti fuerunt, dein, eorum ſeriem texes, qui ejuſdem ſæculi Eccleſiam eruditione ſua in Occidente nobilitarunt.

M. Unum e præcipuis Scriptoribus, qui in Oriente ſæculum Eccleſiæ decimum doctrina, & pietate illuſtrarunt, fuit *Simeon* patria Conſtantinopolitanus, qui ob generis claritatem, opes, dignitatem, ac in primis doctrinam, facundiam, & prudentiam ſingularem, magno in pretio fuit. A *Leone*, dicto *Sapiente*, Imperatore, ſub quo floruit, multis honoribus, officiis, & dignitatibus auctus eſt, quippe qui factus eſt Proto Secretarius Imperatoris Patricius, & Logotheta, ſeu, uti apud nos vocatur, Cancellarius; quo fit, ut juremerito ſugillandi ſint nonnulli Heterodoxi, quos ſcribere non puduit, hunc *Simeonem* fuiſſe *trivialem Ludimagiſtrum*. Porro, hic *Simeon* appellatur vulgo *Magiſter*, & *Metaphraſtes*, quod vitas ſanctorum continua phraſi, ſeu eodem ſtylo deſcripſerit, nova forma, & methodo diſpoſitas in ordinem redegerit, & ad menſium dies digeſſerit, exornarit, atque correxerit. Varia Opera a *Simeone Metaphraſte* fuiſſe lucubrata diſerte inſinuat *Michael Pſellus* in ejus encomio apud *Leonem Allatium* in Diatriba *de Simeonum ſcriptis*. Confundi tamen non debet hic *Pſellus* encomiaſtes *Simeonis Metaphraſtis* cum alio *Pſello*, *qui fuit Leonis*, cognomento *Sapientis*, Imperatoris præceptor. Hic ſiquidem *Pſellus*, qui *Leonis* Imperatoris præceptor fuit, floruit nono Eccleſiæ ſæculo; alter vero *Pſellus*, qui junior dicitur, & Simeonis Metaphraſtæ eſt encomiaſtes, claruit dumtaxat ſæculo Eccleſiæ undecimo, ſicut evincit *Leo Allatius* in Diatriba *de Pſellis*, & in Diatriba *de Simeonibus*. Vitas Sanctorum a *Simeone Metaphraſte* fuiſſe concinnatas fatentur quidem omnes, ſed quia inter illas multæ reperiuntur ſpuriæ, quæ falſo Simeoni Metaphraſtæ adſcribuntur, difficile admodum eſſet genuinas a ſuppoſititiis ſecernere, niſi hunc laborem in ſe recepiſſet doctiſſimus *Leo Allatius*, qui in Diatriba *de Simeonum ſcriptis* pag. 130. & ſeqq. egregie diſcurrit *de Simeonis Metaphraſtæ* Operibus tam editis, quam manuſcriptis, & primo oſtendit, centum & viginti duas Sanctorum vitas eſſe genuinos fœtus *Simeonis Metaphraſtæ*. Secundo, enumerat centum & quindecim aliorum vitas, quæ Simeonis Metaphraſtæ nomen, in nonnullis Codicibus MSS. falſo præſeferunt, quarum vero Authores nulla ſe diligentia inveſtigare potuiſſe teſtatur. Tertio, alias Sanctorum Vitas & Encomia Panegyrica ccccliv. *Simeoni Metaphraſtæ* in quibuſdam Codicibus MSS. perperam adſcripta recenſet *Allatius*, & veros ſingulorum Authores deſignat. Poſtremo, memorat idem Scriptor alia germana Simeonis Metaphraſtæ Opera, videlicet, Orationes in Feſtivitates Chriſti, Dei-paræ, & aliorum Sanctorum, Orationes xxiv. *de moribus* ex ſcriptis Sancti Baſilii excerptas, Epiſtolas IX. pluresque preces, quarum nonnullæ inter Ritualium Græcorum libres reponuntur, ac varia carmina Jambica, & Politica. Simeonem Metaphraſtem a ſene quodam Anachoreta Inſulæ *Pari* ad ſcribendum fuiſſe incitatum, eumque primo Vitæ Sanctæ *Theocliſtæ* Virginis Lesbiæ ſcribendæ manum admoviſſe docet nos *Pſellus* junior in oratione, quam in laudem Simeonis Metaphraſtis Græce habuit, quamque *Leo Allatius* latine vertit, ſicut & Officium quod de Simeone Metaphraſte Græce coucinnavit idem *Pſellus* junior. Colitur Simeon Metaphraſtes a Græcis die xxviii. Novembris. De Vitis Sanctorum, a Simeone Metaphraſte ſcriptis, per *Leonem Allatium*, recte etiam differit *Bollandus* in Præfatione ad tomum 1. Sanctorum menſis Januarii cap. 1. parag. 3.

Conſtantino Porphyrogennetæ, Imperatoris *Leonis* cognomine *Sapientis* filio, quique poſt mortem patris Imperium Orientis ſæculo Eccleſiæ decimo adminiſtravit, plurimum litteræ debent. Sic enim eruditione excelluit, & ſcientias omnes didicit, ut Arithmeticam, Muſicam, Aſtronomiam, Geometriam & Philoſophiam apprime calluerit; medicos etiam & Hiſtoricos legerit, nihilque omiſerit, quod ad ſingularem, quam ſibi indefeſſe ſtudio comparavit, eruditionem conferre poſſet. Præclara reliquit ingenii ſui monumenta, inter quæ primo cenſentur: *Narratio de Imagine Chriſti ab ipſo*

ſer-

Digitized by Google

ſervatore, ad Abgarum Edeſſæ Regem miſſa, & ab Edeſſa Conſtantinopolim deportata (quam *Narrationem* noſter *Combefiſius* in originum, rerumque Conſtantinopolitanarum manipulo Græce & latine exhibet) & *Vita Baſilii Macedonis* Imperatoris Avi ſui, quam *Leo Allatius* Græce & Latine edidit. Præterea *Conſtantinus Porphyrogenneta*, compoſuit librum *de adminiſtrando Imperio*, librum *Tratticorum*, inſuper duos libros *de Thematibus Imperii Orientalis*, & ſeptemdecim *Novellas Conſtitutiones*, quæ Opuſcula Politica *Joannes Meurſius ſuis aliorumque Notis* illuſtrata Lugduni Batavorum Græco-Latina publicavit anno MDCVII. Aliud egregium opus adornaverat *Conſtantinus Porphyrogenneta*, in quo collegerat *Pandectas Hiſtoricas & Politicas* ex univerſo Hiſtoricorum corpore excerptas, & in titulos quinquaginta tres digeſtas. Sed hujus eximii Operis duo ſolummodo ſuperſunt Tituli, nempe vigeſimus ſeptimus, qui excerpta Legationum continet, Græce editus a *Davide Heſchelio* Auguſtæ Vindelicorum anno MDCIII. Latine vero Pariſiis anno MDCIX. & Titulus quinquageſimus, qui complectitur collectanea *de Virtutibus* & *Vitiis* ex Hiſtoricis XIV. vetuſtioribus deprompta. Hunc titulum quinquageſimum Notis illuſtratum Græco-Latinum edidit *Henricus Valeſius* Pariſiis anno MDCXXXIV. jubente eodem *Conſtantino Porphyrogenneta*, quatuor Chronographiæ libros contexuit quidam *Leontius*, quibus totidem Imperatorum vitas ac res geſtas expoſuit, nempe *Leonis Armeni*, *Michaelis Balbi*, *Theophili*, *Michaelis Balbi filii*, & *Michaelis*, *Theophili filii*. Hos quatuor libros Græce, & Latine Pariſiis anno MDCLXXXV. edidit noſter *Combefiſius* inter Scriptores poſt *Theophanem*, una cum *Vita Baſilii Macedonis Imperatoris*, cujus auctor creditur *Conſtantinus Porphyrogenneta*, quamvis id non ſit omnino certum, ut videre eſt apud *Labbeum* in lib. *de ſcript. Eccleſ.*

Inter illuſtres Scriptores, qui decimo Eccleſiæ ſæculo in Oriente floruerunt, numerari itidem debent *Joannes Cameniata*, *Hippolytus Thebanus*, *Euthychius* Patriarcha Alexandrinus; *Nicon Armenus*, *Nicephorus* Philoſophus, & *Moſes Barcepha*, quorum Opera hic breviter referam. Et primo, *Joannes Cameniata* Clericus Theſſalonicenſis univerſam patriæ ſuæ, ſeu Theſſalonicæ, a barbaris anno nongenteſimo quarto exciſæ ac miſeris modis funeſtatæ Hiſtoriam ita proſecutus eſt, *ut non ſcribere, ſed pingere ponereque ante oculos videatur*, inquit *Leo Allatius* in Diatriba *de Simeonum ſcriptis pag.* 149. Hunc *Joannis Cameniatæ* libellum *de excidio Theſſalonicenſi* doctiſſimus noſter *Combefiſius* inter Scriptores, qui poſt Theophanem, Hiſtoriam Byzantinam continuarunt, publicavit. *Hippolitus Thebanus*, quem nonnulli male cum *Hippolito Portuenſi* confundunt, ſcripſit *Syntagma Chronicum* a Chriſto nato ad ſua uſque tempora, cujus quædam duntaxat fragmenta extant apud *Caniſium* tom. 3. Antiq. Lectionum, & apud *Coteleriun* in Notis ad Scriptores Apoſtolicos. Eidem *Hippolito Thebano* adjudicant periti Critici *Indiculum de* XII. *Apoſtolis*, quem noſter *Combefiſius* ſub *Hippoliti ſenioris* nomine Græco-Latinum tom. 2. Auctuarii Bibliothecæ Patrum Græcorum Pariſiis publici juris fecit anno MDCXLVIII. *Eutychius*, qui Eccleſiam Alexandrinam ab anno nongenteſimo tertio uſque ad annum quadrageſimum rexit, multa edidit Opera Medica. Scripſit etiam librum *de rebus Siciliæ*, poſtquam a Saracenis capta eſt. Item *diſputationem inter Heterodoxos & Chriſtianos*, & Alexandrinorum Annales, quos non paucis erroribus ac fabulis refertos in Linguam Latinam vertit *Eduardus Pocockius*, & Oxonii anno MDCLXIII. publici juris fecit. *Seldenus* vero ejuſdem *Eutychii* integrum Tractatum de Marco Evangeliſta, de originibus, & vetuſtiſſimis moribus Eccleſiæ Alexandrinæ, necnon de electionibus Patriarcharum Alexandrinorum edidit Londini Arabice & Latine anno MDCXLII. (*a*) Sed eum *Abrahamus Ecchellenſis* confutavit, & quæ inde in gratiam Heterodoxorum *Seldenus* expiſcatus fuerat, vana & caduca eſſe demonſtravit. *Nicon* Armenus ad Monaſterium *Aureæ petræ* in finibus Ponti, & Paphlagoniæ ſitum clam parentibus puer adhuc aufugit, ubi per plures annos Monaſticum Inſtitutum diligenter excoluit. Dein, circa annum nongenteſimum ſexageſimum primum miſſus eſt a ſuo Archimandrita ad prædicandam fidem in Armenia, & in variis Orientis regionibus, quibus peragratis, venit in Cretam Inſulam a Saracenorum jugo nuper liberatam, quam a ſuperſtitionis Saracenicæ reliquiis purgavit, & incolas ad meliorem frugem, atque ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reduxit. Librum edidit *Nicon de peſſima religione*, ſeu de erroribus *Armenorum*, qui latine habetur in Bibliotheca Patrum. *Nicephorus* Philoſophus Conſtantinopolitanus ſcripſit Orationem Encomiaſticam vitæ *S. Antonii* cognomento *Cauleæ*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, quam *Bollandus* recitat ad diem XII. menſis Februarii, qua colitur Sanctus ille Patriarcha. Denique *Moſes Barcepha* Syrorum Epiſcopus edidit Orationes quinque *de opere ſex dierum*. Item libros tres *de Paradiſo*, qui, *ab Andrea Maſio* e lingua Arabica, qua conſcripti ſunt, in linguam Latinam tranſlati prodierunt Antuerpiæ, anno MDLXIX. & extant tom. 17. Bibliothecæ Patrum. Inter Scriptores, qui decimo Eccleſiæ Sæculo in Oriente floruerunt, & quos hactenus memoravi locum merito habere debet *Suidas*, qui condidit *Lexicon* prolixum, in quo non pauca habet ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantia, & varia veterum fragmenta, ſæpe Auctoris nomine non memorato.

(*a*) „ Annalium Alexandrinorum portionem „ quamdam Arabice & Latine edidit Seldenus „ Londini an. 1642. a quo nihil ulterius ex Eu„tychii Operibus productum eſt; neque enim di„verſus ab eo Opere eſt Tractatus in Marcum „ hic a Graveſonio indicatus. Integros vero An„nales Arabice & Latine in lucem edidit Eduar„dus Pocockius Oxonii 1659. Quæ vero idem Eu„tychius ſcripſit opus hiſtoricum de rebus Siciliæ, „ tum & *diſputationem inter Heterodoxos & Chri„ſtianos*. Porro Eutychii commenta in Annali„bus Alexandrinis non Allatius tantummodo, „ qui in fragmentum a Seldeno vulgatum ſcripſit, „ ſed & Cl. Aſſemanus Bibliot. Orient. tom. 1. „ pag. 498. & 506. mendacii convicit.

D. Alios ſcriptores Eccleſiaſticos, qui decimo Eccleſiæ ſæculo in Occidente, præſertim, in Gallia, Italia, Germania, Hiſpania, & Anglia floruerunt, percurramus, ut eorum deducta ſerie palam fiat, ſæculum decimum non ita vacuum, ſterile & obſcurum fuiſſe, ſicut falſo nonnulli ſibi perſuadere ſolent.

M. In Gallia decimo Eccleſiæ ſæculo doctrina excelluit *Flodoardus*, quem alii appellant *Frodoardum* Vixit ſub Archiepiſcopis Remenſibus, *Heriveo, Seulfo, Artoldo, & Odalrico:* ſub Regibus vero Francorum *Carolo Simplice, Ludovico Tranſmarino*, & *Lothario* ejuſdem *Ludovici* filio. Presbyter fuit & Canonicus Eccleſiæ Remenſis. At poſtea relicto canonicatu vitam Monaſticam ſub Regula Sancti Benedicti profeſſus eſt, & Abbas Cœnobii Sancti *Remigii* Remenſis creatus fuit, ſicut *Sigebertus*, & *Trithemius* teſtantur. *Flodoardum* fuiſſe virum litteris excultum, variæ lectionis, magnæ diligentiæ, & indefeſſi laboris oſtendunt Opera ab ipſo lucubrata. Compoſuit quippe Hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis quatuor libris comprehenſam, quam ex veſtutis illius Eccleſiæ Archiviis, Conciliorum Actis, Geſtis Martyrum, aliorumque Sanctorum, Epiſtolis Pontificum, & ex aliis probatæ fidei monumentis eruit ac concinnavit. Hanc a *Flodoardi* ſcriptam Eccleſiæ Remenſis Hiſtoriam vulgarunt *Sirmondus* Pariſiis anno MDCXI. & *Colvenerius* Duaci anno MDCXVII. Scripſit etiam *Flodoardus* verſibus libros XV. *de Triumphis Italicis Martyrum & Confeſſorum*: item libros tres *de Triumpho Chriſti & rebus Sanctorum Palæſtinæ*: libros duos *de Triumphis & Rebus Antiochiæ*, ſicut ipſemet teſtatur lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis capite ſexto, inſuper *Miracula* ſuo tempore facta in Eccleſia B. Mariæ ab *Hincmaro* ædificata. Sed iſti *Flodoardi* libri, quorum noſter *Joannes Bunderus*, qui vivebat anno MDL. meminit in Indice MSS. Codicum extantium in Belgio, necdum publici juris facti ſunt, excepta tamen ultima parte libri XII. *de Triumphis Italicis Martyrum & Confeſſorum* a tempore *Gregorii* II. uſque ad *Leonem* VIII. quam *Mabillonius* ſæculo III. Benedictino parte II. publicavit ex Codice MS. qui extabat Pariſiis in Bibliotheca Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum, & poſtea in Arverniam translatus eſt, & repoſitus in Bibliotheca Cœnobii ejuſdem Ordinis. Præter hæc Opera, edidit *Flodoardus* Chronicon ætatis ſuæ accuratiſſimum, quod inchoavit ab anno DCCCLXXVII. Sed nunc non extat integrum, cum, deperdita priorum annorum ſerie, ſolum incipiat ab anno nongenteſimo decimo nono, & terminetur ad annum nongenteſimum ſexageſimum ſextum, quo anno *Flodoardus* Chronico ſuo ſimul & vitæ finem impoſuit. Hoc *Flodoardi* Chronicon *Pithæus*, & *Ducheſnius* inter ſcriptores Hiſt. Francorum ediderunt, quamvis *Pithæus* dubitet, abſque ullo tamen fundamento, ut aſſerunt omnes alii periti Critici, num iſtud Chronicon ſit illius *Flodoardi*, qui Hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis deſcripſit. Floruerunt in Gallia eodem Eccleſiæ ſæculo quinque eruditione, & pietate inſignes viri, videlicet *Abbo*, *Aimonius*, *Fulcuinus*, *Herigerus* & *Dudo*, quorum primus, ſeu *Abbo*, fuit Abbas Monaſterii Floriacenſis & Martyr, urgente in Vaſconiæ partibus Martyrii ſanguine laureatus. Multa ſcripſit Opuſcula, quorum pauca ad nos uſque pervenerunt. Scripſit *Epitomen de vitis Romanorum Pontificum* : *Vitam Sancti Eadmundi* Anglorum Regis & Martyris : *Epitomen Canonum* a Mabillonio editam Tomo II. Analectorum. Compoſuit quaſdam Epiſtolas, nec non *Apologeticum* contra obtrectatores cum Præſules, tum Monachos, ad *Hugonem Capetum*, & ejus filium *Robertum* Francorum Reges, ut dilueret ſibi afficta crimina, a quibus etiam palam ſe ſe purgavit in Concilio *San-Dionyſiano*, quod habitum fuit anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo, ut jam obſervavimus in ſuperiori Colloquio. *Aimoinus* Cœnobii Floriacenſis Monachus ſcripſit Vitam Sancti *Abbonis* Abbatis Floriacenſis & Martyris : duos libros *de Miraculis S. Benedicti*, & *Hiſtoriam Francorum* in quatuor libros diſtributam, quam poſtea Auctor Anonymus interpolavit, & uno libro auxit. *Aimoini* Francorum Hiſtoriam inſeruit *Andreas Ducheſnius* Tomo III. Hiſtoric. Franc. (*a*) *Fulcuinus* Ordinis Benedictini Monachus, & Monaſterii Laubienſis Abbas ſcripſit Geſta Laubienſium Abbatum, quæ *Lucas Dacherius* edidit *Tomo* VI. *ſui ſpicilegii*. Librum etiam edidit *de Miraculis S. Urſmari*. Sigebertus in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 196. de hoc *Fulcuino* mentionem facit (*b*). Decimo cadente ſæculo, ſanctitatis & doctrinæ fama illuſtris fuit *Herigerus* Ordinis quoque Benedictini Monachus, & Laubienſis Monaſterii poſt *Fulcuinum* Abbas, & *Notgero* Leodienſi Epiſcopo cariſſimus. Scripſit Geſta Pontificum Leodienſium, quæ *a Chapeavillæo* Leodienſi Canonico in lucem edita ſunt, ſcripſit etiam metro vitam S. *Urſmari*, Epiſtolam ad *Hugonem* de quibuſdam quæſtionibus, Dialogum *De diſſonantia Eccleſiæ*, *de Adventu Domini* & librum *De Corpore & Sanguine Domini*, qui a P. *Cellotio* Soc. Jeſu vulgatus abſque nomine Auctoris, ſub titulo *Anonymi Cellotiani* laudari conſueverat. At *Joannes Mabillonius* in Præfatione ſæculi IV. Benedictini aperte evincit, hujus libelli parentem eſſe *Herigerum* Abbatem Cœnobii Laubienſis. In hoc libro *De Corpore & Sanguine Domini* Herigerus impugnat quidem *Paſchaſium* circa modum, quo Corpus Domini exiſtit in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſed ab illo non diſſentit in dogmate de præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, & de Tranſubſtantiatione, ſicut oſtendimus in Colloquio III. in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi. Eidem *Herigero* tribuuntur duæ Antiphonæ in honorem S. *Thomæ* Apoſtoli, ſcilicet *O Thoma Didyme*, & *Thoma Apoſtole*, & Hymni de Beata Virgine, *Ave per quam &c.* Vixit *Hericus* uſque ad annum ſeptimum undecimi ſæculi, & obiit pridie Kalendas Novembris. *Dudo S. Quintini* Decanus ſcripſit tres libros *de Moribus & Actis Normannorum*, quos ex Codicibus MSS. *Franciſci Amboſii*, & *Jacobi Sirmondi* edidit *Andreas Ducheſnius* inter Scriptores Veteres Normannicæ Hiſtoriæ. Conſulto hic prætermitto Sanctos *Odonem*, *Odilonem* Abbates Cluniacenſes,

qui

qui decimo Eccleſiæ ſæculo ſanctimonia & doctrina clariſſimi fuerunt, quia in proximo Colloquio de Diſciplina Monaſtica agendo, de illis eorumque Operibus diſſerendi opportunior ſeſe dabit occaſio. At hic prætermittere haud poſſum *Gerbertum*, natione Gallum, patria Aquitanum & poſtea Summum Pontificem dictum *Silveſtrum* II. qui ſumma in Mathematicis præſertim Diſciplinis peritia præditus fuit. Compoſuit librum *De Geometria*, quem in Bibliotheca Farneſiana ſe legiſſe teſtatur *Onuphrius Panvinus* in Annotationibus ad *Platinam*, librum *de Numeris* ad *Conſtantinum* Monachum Floriacenſem, quem *Mabillonius* edidit Tomo II. Veterum Analectorum, Sermonem egregium *de informatione Epiſcoporum*, quem ibidem *Mabillonius* una cum libro *de ſphæræ conſtructione* ab eodem *Gerberto* compoſito publicavit, teſtaturque, ejuſdem *Gerberti Geometriam*, & *Rithmomachiam* in Bibliothecæ Thuaneæ MS. Codice extare. Plures etiam Epiſtolæ breves, quas *Gerbertus* ante Pontificatum ſcripſit, extant partim in Bibliotheca Patrum editæ ex Codice *Papyrii Maſſoni*, partim Tomo II. Hiſtoriæ Francorum *Andreæ Duſchenii*. Nonnulli poſt *Baronium*, & *Bzovium* tribuunt eidem *Gerberto* vitam Sancti *Adalberti* Pragenſis Epiſcopi & Martyris; ſed *Henſchenius*, ad diem XXIII. menſis Aprilis, quo S. *Adalbertus* colitur, & *Mabillonius* ſæculo V. Benedictino momentis evincunt, hanc vitam S. *Adalberti* eſſe fœtum alicujus Monachi Anonymi. Fabulam de Necromantia, ſeu Magia *Gerberti* dicti in Pontificatu *Silveſtri II.* jam exploſimus in ſecundo Colloquio ubi de Pontificibus, qui ſæculis X. & XI. Sedem Romanam tenuerunt, ſermonem habuimus (*b*).

„ (*a*) Folcuini ſive Fulcuini duo pariter diſtinguendi ſunt; alter ſcilicet Abbas Laubienſis auctor chronici Abbatum Laubienſium, qui circa annum 990. floruit, qui Fulcojus ſe appellat, & Eccleſiæ Meldenſis Subdiaconus erat circa annum 1010. cujus ſunt epiſtolæ metricæ nonnullæ quarum una eſt ad Alexandrum II. Papam, alia ad Gervaſium Remenſem Antiſtitem, & opera alia, de quibus Fabricius in Biblioth. mediæ, & infimæ latinitatis lib. VI.

„ (*b*) Prætereundum nequaquam eſſe judico Acta conciliabuli Dorocurtenſis prope Remos Gerbertum hunc auctorem habere, uti omnes admittunt. Num vero Acta hæc Gerbertus dolo malo confinxerit, vel interpolaverit diſſident eruditi. Affirmat Baronius, nunc vero plerumque eruditi cenſent nihil ab eo confictum. Vide ea de re Hiſtoriæ litterariæ Gallicæ Scriptores Benedictinos tom. VI. pag. 589.

Italiam decimo Eccleſiæ ſæculo illuſtrarunt *Ratherius*, *Atto*, & *Luitprandus*. Primus, ſeu *Ratherius*, fuit Monachus Laubienſis; qui per totum pene vitæ ſuæ curſum adverſo fortunæ flatu uſus, variis jactatus eſt procellis. In Italiam ſiquidem ad *Hugonem* Regem Italiæ profectus, ab eo Epiſcopus Veronenſis conſtitutus eſt, ſed quarto poſt anno ſede pulſus, ex Italia ejectus eſt. Dein, a *Brunone* fratre *Ottonis* Imperatoris, & Archiepiſcopo Colonienſi, cujus præceptor fuerat, ſedi Leodienſi per obitum *Faraberti* tunc vacanti præfectus eſt. At paulo poſt Clero Leodienſi auſteros illius mores, rigidamque in obſervatione canonum diſciplinam ægre ferente, *Baldrico* Epiſcopatum cedere coactus eſt. Mox, *Brunone* Archiepiſcopo Colonienſi ſatagente apud Imperatorem fratrem ſuum, priſtinæ ſedi Veronenſi reſtitutus eſt, quam tamen diu non tenuit, quippe qui rurſus *Hugonis* Italiæ Regis imperio ab ea deturbatus eſt, & tertia vice exul, receſſit in Monaſterium ſuum Laubienſe, ubi diem ultimum clauſit. Legitur in ejus Epitaphio hic verſus.

Veronæ Præſul, ſed ter Ratherius exul.

Complura Opuſcula compoſuit *Ratherius* quorum quædam necdum edita ſunt, quædam vero fuere vulgata a *Luca Dacherio* Tomo II. Spicilegii. *Atto* Aldegarii filius, & Epiſcopus Vercellenſis, duo ſcripſit Opuſcula, quorum unum eſt *De preſſuris Eccleſiaſticis* in tres partes diviſum. In prima agit *de judiciis Epiſcoporum*. In ſecunda, *de Ordinationibus eorumdem*, & in tertia, *de Facultatibus Eccleſiarum*. Alterum Opuſculum continet Collectionem Canonum centum Capitulis conſtantem. Hæc duo *Attonis* Opuſcula e MS. Codice Vaticano admodum mendoſo, & plurimis hiante lacunis, quæ ſuppleri nulla induſtria potuerunt, cura Abbatis *Joannes Bona*, poſtea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, deſcripta in lucem emiſit *Lucas Dacherius* Tomo VIII. Spicilegii. Scripſit etiam *Atto* Epiſcopus Vercellenſis ſeptemdecim Sermones ad Populum, & *Polypticum* quod *Perpendiculum* appellat, *quo inhoneſta redarguere, & honeſta ſancire docet*. Sed iſti ſermones ſeptemdecim, & *Polypticum*, ſeu *Perpendiculum* extant adhuc in Codicibus MSS. Vaticano, & Vercellenſi (*c*). *Luitprandus* Eccleſiæ Ticinenſis primum Diaconus, deinde Cremonenſis Epiſcopus, ſcripſit Hiſtoriam rerum geſtarum ab Europæ Imperatoribus & Regibus in ſex libros diviſam, quæ deſinit in capite quinto libri ſexti. Quapropter, Caput ſextum & alia ſequentia ejuſdem libri ſexti Capita ab alio ſcriptore adjecta & aſſuta fuiſſe jure optimo probant *Baronius*, & *Bellarminus* ex diverſitate ſtyli, ex rerum, quæ in prædictis Capitibus narrantur, cum reliquæ Hiſtoriæ corpore male cohærentium inconſequentia, & ex ſæpius *Luitprandi*

Cre-

Digitized by Google

Cremonenſis Epiſcopi in his repetita mentione. Scripſit etiam *Luitprandus* Legationem, quam ad *Nicephorum Phocam* Orientis Imperatorem pro *Ottone* Occidentis Imperatore ſuſcepit. At librum de Pontificum Romanorum Geſtis a Sancto *Petro* uſque ad *Formoſum*, non eſſe germanum *Luitprandi* fœtum colligunt viri eruditi ex diſſimilitudine ſtyli, & ex ſilentio *Sigeberti* & *Trithemii*, qui hunc librum *Luitprando* non attribuunt. *Chronicon* etiam & *Adverſaria* anilibus fabulis & mendaciis a capite ad calcem, referta quæ aliquot abhinc annis ſub *Luitprandi* nomine prodierunt, ſuppoſititia eſſe, & perperam *Luitprando* adſcripta convenit inter omnes petitos Criticos, idque fuſe demonſtrat *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hiſpana Veteri cap. XVI. & ſeqq.

„ (c) Ex codice Vaticano deſcripſi mihi *Polypticum* ſeu *Perpendiculum* hoc Attonis Vercellenſis cum Sermonibus quibuſdam, quæ propediem lucem aſpicient hic Lucæ in Appendice ad ſecundum volumen Miſcellaneorum Baluzii, quæ hic recuduntur; ubi etiam dabo fragmentum quoddam ad Opuſculum *De preſſuris Eccleſiaſticis* in editione Dacherii per incuriam omiſſum cum aliis nonnullis ejuſdem Attonis fragmentis. Cum vero in Perpendiculo Sylveſtri *Summi Opilonis* jam defuncti Atto meminerit, obieritque Sylveſter anno 1003. inde colligendum cenſui Attonem uſque ad hunc annum vitam porogaſſe, & alium eſſe ab Attone I. Vercellenſi Epiſcopo, qui anno 946. uſque ad 960. in Vercellenſibus tabulis ſignatur. Inſuper etiam ex titulo, quem canonum collectio præfert in codice Vaticano (quem titulum in Dacherio non legas) deduxi canones illos Attonis opus non eſſe, ſed potius Attonis tempore vim legis in judiciis obtinuiſſe.

In Germania decimo Eccleſiæ ſæculo litteris claruerunt *Otblo*, *Burchardus*, *Notgerus*, ſeu *Notkerus*, *Witichindus*, & *Gerardus*. Vitam Sancti Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, quam *Wilibaldus* paucis poſt ejus obitum ſcripſerat, Epiſtolis, Actis Conciliorum, & aliis quibuſdam monumentis *Otblo* Monachus Fuldenſis auxit. Scripſit etiam vitam Sancti *Pyrmini* Epiſcopi Metenſis, vel ut alii volunt, Meldenſis, quam *Broverus* publicavit Moguntiæ anno MDCXVI, *Burchardus* Epiſcopus Wormatienſis veteres Eccleſiæ Canones in unum Volumen viginti libris diſtinctum, adjutore *Olberto* Monacho Laubienſi, digeſſit, ipſum tamen *Antonius Auguſtinus* reprehendit, quod *non ex fontibus ipſis hauſit ſingula, ſed ex rivulis & ſtagnis aliorum*: Nonnulli ab hoc *Burchardo* deducunt primordia Diſciplinæ Juris Canonici, quam ſæculo XII. *Gratianus* in ſcholas invexit, redactis in Epitomen Canonibus, quos *Burchardus* Wormatienſis, & *Ivo* Carnotenſis Antiſtites collegerant. *Notgerus*, ſeu *Notkerus* Monachus *S. Galli*, vulgo *Balbus* ob linguæ impedimentum appellatus, multa edidit Opera, ſed præſertim *Martyrologium*, quod *Caniſius* publici juris fecit in libro ſexto Antiquarum Lectionum. Confundi non debet hic *Notgerus*, ſeu *Notkerus* cum alio *Notgero* Leodienſium Epiſcopo, qui eodem ſæculo vixit, quique *Hiſtoriam* ſcripſit *Epiſcoporum Trajectenſium*, & aliquas Sanctorum vitas. Confundi iidem non debet cum aliis duobus *Notgeris*, qui decimo etiam ſæculo Monaſterii *Sancti Galli* alumni fuerunt, ſicut accuratiſſime obſervat *Jodocus Metzlerus* Monachus S. *Galli* in Epiſtola ad *Goldaſtum* data anno MDCXIX. *Witichindus*, cujus cum laude meminit *Sigebertus* in lib. De Scriptoribus Eccleſiaſticis, compoſuit tres libros *De Rebus Saxonum*: libros duos *De Geſtis Ottonis I.* Imperatoris: *Sermones ad fratres* librum unum: *Paſſionem S. Teclæ Virginis* ſtricta Oratione: *Epigrammatum* librum unum: *De ſtudiis veterum* librum unum. Denique, *Gerardus* Preſbyter Auguſtanus vitam S. *Uldarici* Epiſcopi Auguſtæ Vindelicorum litteris mandavit, & alium *de ejuſdem S. Uldarici Miraculis* librum condidit. Quæ duo Opuſcula ſub *Gerardi* nomine exhibet *Mabillonius* ſæculo quinto Benedictino.

Hiſpania decimo Eccleſiæ ſæculo ſub Saracenorum tyrannide & infeſtationibus gemens, nullum ingenio & doctrina clarum protulit Scriptorem. Certe *Nicolaus Antonius* in ſua *Bibliotheca Hiſpana Veteri* ne ullum quidem laudat Auctorem, qui decimo Eccleſiæ ſæculo eruditionis laude in Hiſpania floruerit. At in Anglia decimo Eccleſiæ ſæculo illuſtres fuerunt, *Odo*, *Dunſtanus*, & *Alfricus* Archiepiſcopi Cantuarienſes; *Ethewoldus* Epiſcopus Wintonienſis, & *Oſwaldus* Antiſtes Vingornienſis, quorum Sanctitati ac eruditioni Eccleſia Anglicana debet Diſciplinæ tam Eccleſiaſticæ, quam Monaſticæ reſtitutionem. Vitam S. *Odonis* Archiepiſcopi Cantuarienſis publicavit *Mabillonius* ſæculo V. Benedictino. S. *Dunſtanus* Epiſcopus itidem Cantuarienſis Regulam compoſuit, ut omnes Monachi & ſanctimoniales Angliæ Regni unanimes & unius moris in Monaſteriis habitare, & Deo ſervire poſſent. Hæc Regula legitur Tomo IX. Conciliorum. S. *Dunſtani* vitam ſcripſit *Osbernus* Monachus Cantuarienſis, eamque ſæculo V. Benedictino inſeruit *Mabillonius*. Complura Opuſcula ſcripſit *Alfricus*, ſeu *Ælfricus* Cantuarienſis etiam Archiepiſcopus, quorum quædam adhuc inedita ſunt, & in Bibliothecis aſſervantur, quædam vero edita ſunt Londini anno 1623. & 1638. Sancto *Ethewoldo* Wintonienſi Epiſcopo multa Opuſcula attribuit *Pitſeus*, quæ forte temporis injuria perierunt. Quanto affectu Sanctus ille Antiſtes Monachos complecteretur, teſtatur Willelmus *Malmesburienſis* lib. 2. *de Regibus Angliæ* cap. 8. ubi hæc habet: *Tot & tanta Monaſteria fecit* (ſeu Ethewoldus) *quod vix modo credibile videatur, ut talia fecerit Epiſcopus Urbis unius, qualia vix poſſet Rex Angliæ totius. Fallor, & præcipiti ſententia pecco, ſi non palam ſit quod dico*. Vitam S. *Ethewoldi* Epiſcopi Wintonienſis a *Worſtano* Monacho ejus

diſ-

diſcipulo deſcriptam publicavit *Mabillonius* ſæculo v. Benedictino. His factis Epiſcopis pietate & doctrina haud inferior fuit S. *Oſwaldus* primum Wingorníenſis, poſtea Eboracenſis Antiſtes, cujus vita ab Auctore Anonymo, qui incerta ætate vixit, ſcripta eſt, & a Bollando ad diem XXIX. Februarii, *Mabillonio* vero ſæculo v. Benedictino publicata. Aliam S. *Oſwaldi* vitam ab *Eadmero* Monacho Cantuarienſi elucubratam vulgavit *Wartonus* in parte II. Angliæ ſacræ. Hi ſunt Antiſtites, qui ſæculo decimo tanquam Sydera per Angliam micuere, quique multos habuerunt imitatores, præſertim Monachos, quos inter, *Fridegodus*, Anglus Monachus Cantuarienſis, ſcripſit vitam Sancti *Wilfridi* Eboracenſis, quam metrice compoſitam, ſed in fine mutilam edidit *Mabillonius* parte I. ſæculi III. Benedictini, ſed poſtea ex Codice Bibliothecæ Cottonianæ nactus, quod in ea deſiderabatur, ſupplementum ſatis amplum, exhibuit parte I. ſæculi IV. Benedictini. Prætermitto alios Monachos, qui in Anglia, Italia, Gallia, & Germania ſæculo Eccleſiæ decimo vitas Sanctorum Epiſcoporum, Abbatum, & Monachorum ſcripſerunt, quæ legi poſſunt apud doctiſſimum *Mabillonium*, qui eas ſæculis Benedictinis inſeruit, Notiſque illuſtravit. Non plura addam de Scriptoribus ſæculi decimi, quia quæ hactenus diximus, abunde ſufficiunt ad diffladam calumniam Hæreticorum, qui perfricta fronte aſſerunt, tantam fuiſſe decimi ſæculi Epiſcoporum, Sacerdotum, Monachorum, omniſque Clericalis Ordinis, depravationem morum, & ignorantiam, adeo fuiſſe collapſam diſciplinam, & ubique terrarum regnaſſe faſtum, ambitionem, avaritiam, fraudes, perjuria, luxum, libidinem, totamque vitiorum Lernam, ut mirum non ſit, ſi in tam corrupto rerum ſtatu, & in ſumma Scriptorum penuria, multis erroribus, atque Superſtitionibus inquinata fuerit Eccleſia. Hoc, inquam, hæreticorum commentum ex his, quæ in hocce Colloquio de Scriptoribus decimi Sæculi hactenus diximus, & ex his etiam, quæ in primo Colloquio obſervavimus de Sanctitate vitæ Imperatorum, & Regum Angliæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, qui eodem ſæculo decimo vixerunt, falſi manifeſto convincitur.

D. Probe intelligo, ſæculum decimum hominibus ingenio & eruditione claris, ac bonis, piiſque Principibus non ita fuiſſe exhauſtum, ſicut falſo aſſerere ſolent hæretici, ut inde ſuos ſtabilire errores, & Eccleſiam Romanam, a cujus communione ſunt ſeparati, facilius calumniari poſſint. Sed miſſa hac hæreticorum calumnia, quæ rimarum plena, inſtar dolii pertuſi, hac illac perfluit, nunc recto tramite pergamus ad viros illuſtres, ſeu Scriptores undecimi Eccleſiæ ſæculi & ab his initium ſumamus, qui peſtilentiſſimam *Berengarii* hæreſim eo ſæculo exortam doctiſſimis ſuis lucubrationibus impugnarunt.

M. Sæculum undecimum licet doctrinæ ubertate, Pontificum Romanæ Eccleſiæ ſanctitate, & rerum geſtarum magnitudine longe præſtiterit ſæculo decimo, in hoc uno tamen, ut jam obſervavimus, fuit eo infelicius, quod ſæculum decimum Sectas, aut Hæreſes in Eccleſia latina protulerit nullas, ſæculum vero undecimum nefariam *Berengarii* Andegavenſis Archidiaconi hæreſim, quæ ad noſtra uſque tempora per *Henricianos*, *Petrobuſianos*, & *Waldenſes* in noviſſimas *Lutheri*, & *Calvini* Sectas tranſmiſſa eſt, infelici partu ediderit. Verum, divino conſilio factum eſt, ut idem ſæculum undecimum, quod hanc deteſtabilem *Berengarii* hæreſim protulit, viros quoque pepererit fortiſſimos, eoſque doctiſſimos, qui iſtud monſtrum in perniciem Eccleſiæ natum ſua virtute fugarunt, doctrina vicerunt, ſuiſque eruditis Scriptionibus omnino deleverunt. Hos inter naſcenti *Berengarii* hæreſi ſe ſe ſtrenue ſtatim oppoſuerunt, ac bellum indixerunt *Hugo* Lingonenſis, *Adelmannus* Brixienſis, *Deoduinus* Leodienſis, Antiſtites, quibus ſe adjunxerunt doctiſſimi Monachi Benedictini, *Lanfrancus*, *Guitmundus*, *Durandus*, quorum Opera hic breviter referemus. Contra *Berengarium* primus ſcribere aggreſſus eſt *Hugo* Lingonenſis Epiſcopus, qui alias ſub *Fulberto* Epiſcopo Carnotenſi vitæ Sanctitate & doctrina illuſtri, cum eodem *Berengario* & *Adelmanno* Theologiæ operam dederat, & poſtea a *Roberto* Francorum Rege ad Sedem Lingonenſem fuerat evectus. Hic, inquam, *Hugo* Lingonenſis Epiſcopus ſcripſit contra *Berengarium* brevem quidem Tractatum *De Corpore & Sanguine Chriſti*, ſed nervoſum & luculentum, in quo hunc hæreticum etiam atque etiam hortatur, ut contra divinam Omnipotentiam argumentari, ac cæleſte Myſterium impugnare tandem aliquando deſiſtat. Extat hic Tractatus *Hugonis* Lingonenſis Epiſcopi Tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunenſis, eumque edidit *Lucas Dacherius* in Appendice ad *Lanfranci* Opera Pariſiis anno MDCXLVIII. *Adelmannus* ex Clerico & Scholaſtico Leodienſi Epiſcopus Brixienſis in Italia creatus, ſtatim ac audiviſſet, *Berengarium*, qui, ſicut ipſemet, *Fulberti* Carnotenſis Epiſcopi fuerat diſcipulus, doctrinam *de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistia* Orthodoxæ fidei contrariam ſpargere, ad eum ſcripſit Epiſtolam, in qua pluribus illum adhortatur, ut famam ſuam tam fœda labe non maculet, & a doctrina *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Hieronymi*, & aliorum Sanctorum Patrum deflectere non præſumat. Poſtea, in eadem Epiſtola ſolis Chriſti Domini verbis innixus, ductoque ab omnipotentia divina argumento invicte probat, vere, realiter, ſubſtantialiterque contineri in Euchariſtia Corpus & Sanguinem Chriſti Domini. Hanc Epiſtolam ad *Berengarium* ſcripſit *Aldemannus* non anno MXXXV. ſicut viſum eſt *Baronio*, ſed circa annum MXLVIII. Teſtatur ſiquidem *Ughellus* Tomo V. *Italiæ Sacræ*, Adelmannum Brixienſem rexiſſe Eccleſiam ab anno MXLVIII. uſque ad annum MLXI., quo fit, ut hanc Epiſtolam ſcribere haud potuerit ante annum MXLVIII. Hæc *Adelmanni* Epiſtola, cujus cum laude meminit *Sigebertus* in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. CLIII. extat in Biblioth. Patrum. *Deoduinus*, ſeu *Theotuinus*, Imperatoris Henrici III. conſanguineus, & Epiſcopus Leodienſis contra Berengarii hæreſim ſcripſit Epiſtolam ad *Henricum* Galliarum Regem, in qua eum vehementer exorat,

ut

Digitized by Google

ut hanc impiam & ſacrilegam hæreſim, quæ adſtruit, Corpus Domini non tam corpus eſſe, quam umbram & figuram Corporis Domini, e toto ſuo Regno quam primum exterminare ſatagat, ac penitus de medio tollat. Hæc autem Epiſtola ſic erat inſcripta: *Epiſtola D. Leodicenſis*, ſeu Leodienſis, *Epiſcopi*. Quæ littera D occaſionem errandi *Baronio* præbuit. Putavit ſiquidem *Baronius*, hanc litteram D nomen deſignare *Durandi* Leodienſis Epiſcopi, a quo hanc Epiſtolam aſſerit fuiſſe ſcriptam anno milleſimo trigeſimo quinto. Sed modo convenit inter omnes peritos Criticos, hanc litteram D indicare nomen *Deoduini* Epiſcopi Leodienſis, qui iſtam Epiſtolam ſcripſit anno milleſimo quinquageſimo, eodem videlicet anno, quo *Henricus* Galliarum Rex ad damnandam *Berengarii* hæreſim Synodum Pariſiis congregari curavit. Hanc *Deoduini* Epiſcopi Leodienſis Epiſtolam, quæ *Baronii* tempore mutila erat, integram exhibet *Mabillonius* tomo 4. Analectorum. Jam vero, quanto zelo *Lanfrancus*, Papia Italiæ Civitate oriundus, Ordinis Benedictini Monachus, ex Priore Cœnobii Beccenſis Abbas Codomenſis factus, & poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus, totiuſque Angliæ primas, Catholicam Fidem contra *Berengarium* propugnaverit, ſat ſuperque in præcedentibus Colloquiis diximus, & dumtaxat hic referemus Opera ab ipſo edita, quæ *Lucas Dacherius* doctiſſimus Monachus Benedictinus Congregationis S. *Mauri* Pariſiis in lucem emiſit anno MDCXLVIII. eoque ordine illa diſpoſuit. In primis, Vitam *Lanfranci* ſcriptam a *Milone Cripino* Monacho Cœnobii Beccenſis præfixit ejus Operibus, eamque illuſtravit eruditis Notis, quæ *Lanfranci* ſanctitatem, doctrinam & ſapientiam ſpectabiliorem reddunt. Sequitur poſtea brevis Commentarius *Lanfranci* in Epiſtolas Pauli. Hunc Commentariom excipit liber, quem *Lanfrancus* edidit contra *Berengarium* de Corpore & Sanguine Domini. Dein, ſubnectuntur *Decreta Lanfranci pro Ordine S. Benedicti*, in quibus tamen jure merito ſuſpicatur *Dacherius*, nonnulla a quodam conſarcinatore fuiſſe adjecta, tum quia gravitatem, & ſtyli *Lanfranci* majeſtatem non referunt ubique; tum quia etiam ipſemet *Lanfrancus* citatur Sectione 2. cap. 2. illorum Decretorum, ubi hæc leguntur: *Cantent Matutinas* (*decretas Lanfranci*) *Laudes*. Poſt hæc *Lanfranci Decreta pro Ordine S. Benedicti*, ſexaginta illius Epiſtolas ad diverſos ſcriptas exhibet *Lucas Dacherius*, quamvis non dubitet, complures alias a *Lanfranco* fuiſſe ſcriptas, quæ haud dubie, magno rei literariæ diſpendio, perierunt, dum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto ruit ditiſſima Monaſterii Beccenſis Bibliotheca, in qua bene multi Codices MSS. cura & ſtudio tam B. *Lanfranci*, quam S. *Anſelmi* lucubrati, & caſtigati ſtudioſe aſſervabantur. Ultimo loco Operum *Lanfranci* reponit *Dacherius* librum *De celandis Confeſſionibus*, cujus obſcuriora loca perdoctis Notis illuſtrat, & ad calcem ſuæ Operum *Lanfranci* editionis attexit Appendicem, in qua ex diverſis MSS. Codicibus inſerit *Chronicon Beccenſe*, *Vitas B. Herluini Fundatoris ac primi Abbatis Cœnobii Beccenſis*, & *quatuor priorum Abbatum ejuſdem* Monaſterii. *Vitam S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli*: *Tractatus duos de Euchariſtiæ Sacramento contra Berengarium*, *Hugonis videlicet Lingonenſis Epiſcopi*, & *Durandi Abbatis Troarnenſis*. Deſideratur tamen in hac Operum *Lanfranci* Editione adornata a *Luca Dacherio* Sermo a *Lanfranco* compoſitus, quem ante hac ineditum idem *Luchas Dacherius* evulgavit tomo 4. Spicilegii. Zelum *Lanfranci* in confutanda *Berengarii* hæreſi æmulati ſunt eodem ſæculo undecimo *Guitmundus*, & *Durandus*, quorum prior, ſeu *Guitmundus* Monachus Ordinis Benedictini, *Crucis S. Leufredi* Diœceſis Ebroicenſis in Normannia, & poſtea Averſanus in Italia Archiepiſcopus, ſcripſit adverſus *Berengarium* libros tres *de Corporis & Sanguinis Chriſti veritate in Euchariſtia*, in quibus hæreticos umbraticos (ita Berengarianos appellat) refellit locupletiſſimus Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum teſtimoniis. Scripſit etiam *Guitmundus* confeſſionem *de Sancta Trinitate*, *Humanitate Chriſti*, & *veritate Corporis & Sanguinis Domini*, & *Orationem ad Guillelmum I.* Angliæ Regem, in qua Epiſcopatum ſibi ab eo oblatum modeſtiſſime recuſat. Hæc *Guitmundi* Opera habentur tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum. *Durandus* vero ex Monacho Fiſcanenſi Ordinis Benedictini primus Abbas Monaſterii Troarnenſis edidit contra Berengarii hæreſim eruditum librum *de Corpore & Sanguine Domini*, quem in novem partes diſtribuit, & in eo multa eruditione cum ex ſacris Scripturis, tum ex perpetua Sanctorum Patrum traditione hauſta Berengarianæ hæreſis ſectarios contrivit. Hunc *Durandi* Troarnenſis Abbatis librum *Lucas Dacherius*, ut jam obſervavimus, primus publica luce donavit in Appendice Operum Lanfranci, indeque in Bibliothecis Patrum inſertus. His doctiſſimis Scriptoribus, qui undecimo ſæculo in *Berengarium* calamum acuerunt, accenſeri merito debet *Humbertus* e Lotharingia oriundus, Tullenſis Cœnobii Ordinis Benedictini Monachus, & propter ſingularem, qua pollebat, eruditionem, a *Leone IX.* ſanctiſſimo Pontifice creatus Epiſcopus Sylvæ Candidæ, & inter S. R. E. Cardinales cooptatus. Præſcripſit ſiquidem *Humbertus*, jubente *Nicolao II.* Pontifice Maximo, formulam abjurationis, quam *Berengarius* Sacramentariorum parens pronunciavit in Concilio Romano. Quam ob rem, *Humbertum* laceſſivit *Berengarius*, eum, ut jam obſervavimus, *Burgundum* per contemptum appellans. At *Lanfrancus* in libro *de Corpore & Sanguine Domini* cap. 2. ab inſultu *Berengarii* præclare vindicat *Humbertum*, quem ut *Virum religioſum*, *Fide Chriſtiana & ſanctiſſimis operibus perſeverantiſſime decoratum*, *ſcientia divinarum*, *ac ſæcularium litterarum apprime eruditum* commendat. Oſtendimus in tertio Colloquio, hunc *Humbertum* a Leone IX. Pontifice Maximo Legatum Conſtantinopolim miſſum, ut Orientale ſchiſma componeret, cauſam Eccleſiæ ſtrenue propugnaſſe adverſus *Michaelem Cerularium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, *Leonem Acridanum*, & *Nicetam Pectoratum*, quorum calumnias in Latinos egregio confutavit editis libris, qui extant in Appendice tomi II. Annalium Cardinalis *Baronii*, apud *Henricum Caniſium* tomo 5. Lect. Antiq. & in Biblioth. Patrum.

D. Ut in aliis recenſendis viris illuſtribus, qui

fa-

Digitized by Google

ſæculo Eccleſiæ undecimo floruerunt, recto ordine progrediamur, meamque, in retinendis eorum nominibus, & libris ab ipſis editis, memoriam juvare poſſim, rogo te, ut exhibeas Scriptores, qui in Occidente celebriores fuerunt, & primo illos in medium producas, qui Italiam; ſecundo, qui Galliam; tertio, qui Germaniam; quarto, qui Hiſpaniam; quinto, qui Angliam doctrina & pietate illuſtrarunt, quorum omnium ſeriem claudent Scriptores Græci, qui in Oriente eodem ſæculo undecimo aliqua doctrinæ laude fulſerunt.

M. Quatuor potiſſimum Scriptores pietate & doctrina conſpicuos dedit Italia undecimo Eccleſiæ ſæculo, duos videlicet Romanos Pontifices *Gregorium VII.* & *Victorem III.* *S. Petrum Damianum* Cardinalem Oſtienſem, & *Anſelmum* Lucenſem Epiſcopum. *Gregorius VII.* de quo multa in ſuperioribus Colloquiis diximus, & quę hic repetere ſupervacaneum omnino eſſet, ſcripſit epiſtolarum libros decem, qui extant tomo 10. Conciliorum. Obiter tamen advertere debes, Regeſto *Gregorii VII.* inter epiſtolam quinquageſimam quintam libri ſecundi, & epiſtolam quinquageſimam ſextam inſertas eſſe viginti ſeptem propoſitiones, quæ inter ſe nullatenus cohærent, nulla temporis nota conſignantur, nec epiſtolæ, nec tractatus, nec ſermonis rationem habent. Harum propoſitionum, ſeu articulorum Collectionem *Gregorii VII. Dictatum* inſcriptam, putant nonnulli, poſt Baronium, eſſe genuinum fœtum *Gregorii VII.* Alii vero periti Critici negant, *Gregorium VII.* eſſe Auctorem hujuſce *Dictatus*, hiſque rationibus moventur. Primo, quia *Bellarminus*, & *Labbeus* in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* Opera *Gregorii VII.* recenſentes, ejus tantum epiſtolarum mentionem faciunt, & de illo *Dictatu* ne minimum quidem verbulum habent. Secundo, quia nullus Auctor coævus vel ſuppar meminit hujuſce *Dictatus*, aut eum Gregorio VII. adſcripſit. Tertio, quia nuſquam ipſemet *Gregorius VII.* in ſuis epiſtolis hunc *Dictatum* laudavit aut vindicavit. Quarto, quia credibile non eſt, *Gregorium VII.* litteris mandaſſe hunc *Dictatum*, in quo nonnulla continentur, quæ ejus modeſtiam, pietatem, ſapientiam non redolent, & ab ejus doctrina videntur aliena. Dubitant etiam periti Critici, an *Expoſitio in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales*, quæ ſub nomine S. *Gregorii Magni* circumfertur, adjudicari debeat *Gregorio VII.* Aſſervatur etiamnum in Anglia *Commentarius manuſcriptus in Matthæum*, quem a *Gregorio VII.* ante Pontificatum, ſeu, dum adhuc Monachus eſſet, lucubratum fuiſſe ferunt, ſed hic Commentarius manuſcriptus necdum in lucem prodiit.

De *Victore III.* in Sede Romana *Gregorii VII.* ſucceſſore, quique ante Pontificatum *Deſiderius* appellabatur, & erat Caſſinenſis Monaſterii Abbas, plura etiam diximus in Colloquio ſecundo diſſerendo de Pontificibus, qui Romanam Eccleſiam ſæculo undecimo rexerunt. Addam hic dumtaxat, nulla proſus fide dignum eſſe *Hugonem* Abbatem Flaviniacenſem, dum in ſuo Chronico mortem *Victoris* III. his verbis deſcribit: *Hic igitur* (ſeu Victor III.) *conſecratus ab Oſtienſi Epiſcopo, cum Miſſas apud S. Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percuſſus eſt. Et quamvis tarde cognoſcens ſe erraſſe, ſe ipſe depoſuit, & accitis Fratribus de Monte Caſſino, qui ſecum aderant, præcepit, ſe illo deferri, & in Capitulo non ut Papam, ſed ut Abbatem ſepeliri.* Ea in re, inquam, nulla fides habenda eſt *Hugoni* Abbati Flaviniacenſi, quippe qui ſtetit a partibus *Hugonis* Archiepiſcopi Lugdunenſis, qui immoderato Pontificatus adipiſcendi deſiderio inflammatus, *Victoris* III. Summi Pontificis electionem ac conſecrationem, per quam ſpes fallaces, & ſuæ de aſſequendo Pontificatu Romano cogitationes in fumum abierunt, ægre ac iniquo animo tulit, ut videre eſt in prolixa illa epiſtola, quam conviciis in *Victorem* III. Sanctiſſimum Pontificem ſcatentem queribundus ſcripſit ad *Mathildem* Comitiſſam. Extat hæc epiſtola tomo 10. Conciliorum. Præterea, *Victorem* III. Papam ab hac calumnia, quam ipſi impingit *Hugo* Flaviniacenſis Abbas, vindicant non ſolum ea, quæ de illius vitæ ſanctitate, & in recuſando Pontificatu modeſtia in citato Colloquio in medium attulimus, ſed etiam ejus Epitaphium a *Baronio* recitatum, & Martyrologium Benedictinum, cui nomen Sanctiſſimi illius Pontificis ad diem 16. Septembris inſcriptum eſt his verbis: *In Monaſterio Caſſinenſi obitus B. Victoris Papæ* III. *ſanctitate vitæ, & miraculorum gloria clariſſimi.* Quatuor Dialogorum libros *de Miraculis Sancti Benedicti, & SS. Monachorum Caſſinenſium* ſcripſerat *Victor* III. Papa, ut teſtatur *Petrus Diaconus* in libro *de Viris Illuſtribus Cęnobii Caſſinenſis* c. 18. Sed tres dumtaxat illius Pontificis Dialogorum libros ex Codice Vaticano primus eruit, additiſque Notis edidit Romæ *Joannes Baptiſta Marus* Romanus, Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Angeli in Foro Piſcium Canonicus. Deinde prodierunt Pariſiis cum ejuſdem Canonici Notis an. MDCLXVI. & extant apud *Mabillonium* parte II. ſæculi IV. apud *Henſchenium* ad diem 21. menſis Martii, & in Bibl. Patrum. Scripſit etiam idem *Victor* III. Papa plures epiſtolas ad *Philippum* Galliarum Regem, & ad *Hugonem* Cluniacenſem Abbatem, habuitque *Orationem ad Epiſcopos in Synodo Beneventana*, quæ reperitur apud *Leonem Oſtienſem* c. 71. l. 3. Chronici Caſſinenſis, & apud *Baronium* ad annum MLXXXVII.

S. *Petrus Damianus* Ravenna oriundus, Monachus fuit Congregationis *Sanctæ Crucis Fontis Avellani* a Beato *Lodulpho* fundatæ. Docuit Fratres ſuæ Eremi, ac dein Monachos Pompoſianos. Præfuit magna cum laude Eremo Fontis Avellani, ac quinque extruxit Monaſteria, ſive *Eremitarum habitacula*, ut teſtatur Sanctus *Joannes Laudenſis* in Vita, quam de eo ſcripſit. Sub Romanis Pontificibus *Gregorio* VI. *Clemente II. Leone* IX. *Victore II. Stephano IX. Nicolao II.* & *Alexandro* II. egregiam Eccleſiæ Sanctus *Petrus Damianus* navavit operam. Ab *Stephano* IX. Epiſcopus & Cardinalis Oſtienſis, volens nolens, creatus, omnem ſuam induſtriam ad ſchiſma Antipapę *Benedicti* contra *Nicolaum* II. & pſeudo-Pontificis *Cadaloi* adverſus *Alexandrum* II. penitus abolendum contulit. Legationem in Gallia, & Germania obiit nomine *Alexandri* II. qui eum in tanto honore habebat, ut ſcribens ad Galliarum Epiſcopos hoc illum celebret elogio:

Ta-

Talem vobis virum deſtinare curavimus, quo poſt nos major in Romana Eccleſia non habetur, Petrum Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum noſter eſt oculus, & Apoſtolicæ Sedis immobile firmamentum. Ab eodem Summo Pontifice *Alexandro* II. miſſus eſt *Petrus Damianus* Florentiam, ut natum ea in Eccleſia ſchiſma Epiſcopum inter & Monachos componeret. Ravennam quoque juſſu ejuſdem Pontificis profectus eſt, ut Cives Ravennates reconciliaret Eccleſiæ Romanæ, eoſque anathematis vinculo, quo erant innodati ſolveret. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus fuit S. *Petrus Damianus*, eamque acerrime propugnavit contra Simoniacos, contra Clericos incontinentes, & contra Laicos nubentes conſanguineis. Omnium ſui ſæculi virorum eruditorum extitit patronus, decus & præſidium, multaque ipſemet reliquit ingenii ſui monumenta, quæ in tres tomos diſtributa Romæ edidit *Conſtantinus Cajetanus* Monachus Benedictinus Cœnobii Cataneñſis S. *Nicolai de Arena*, ſimul cum ejus Vita a S. Joanne Laudenſi ejus Diſcipulo ſcripta, quam *Bollandus* ad diem 23. menſis Febr. recudit, ac præviis Commentariis illuſtravit. Librum *de Correctione Papæ, & Epiſcopi*, qui Argentorati anno MDLXII. ſub nomine S. *Petri Damiani* excuſus eſt, non eſſe genuinum S. *Petri Damiani* fœtum, recte monet *Poſſevinus* in *Apparatu ſacro*. Confundi haud debet S. *Petrus Damianus* cum *Petro de Honeſtis*, qui Canonicos Regulares in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Portu in agro Ravennate inſtituit, eiſque peculiarem ſcripſit Regulam a *Paſchali II.* Pontifice Maximo approbatam. Hunc enim *Petrum de Honeſtis* eſſe diverſum a *Petro Damiano*, aperte contra nonnullos evincunt *Rubeus* lib. 5. *Hiſt. Ravenn.* & *Pennotus* lib. 2. cap. 48.

Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, patria non Mantuanus, ſed Mediolanenſis, nepos *Alexandri* II. multos ſcripſit libros, ex quibus duo ſuperſunt contra *Guibertum* Antipapam, & ſequaces ejus pro defenſione *Gregorii VII.* qui nunc extant in Biblioth. Patrum. Eidem Lucenſi Epiſcopo attribuitur in pluribus MSS. Codicibus inſignis *Collectio Canonum Eccleſiaſticorum*, quam tamen viri eruditi ei abjudicant, tum quia in hac Collectione Decreta *Urbani II.* & ſequentium Pontificum continentur, cum tamen certo certius conſtet, *Anſelmum* Epiſcopum Lucenſem ad illorum tempora non perveniſſe; tum quia etiam vetus Auctor Presbyter Pœnitentiarius domeſticus *Anſelmi* recenſens in illius vita Opera ab ipſo edita, iſtius *Canonum Eccleſiaſticorum Collectionis* nullatenus meminit, ſicut nec *Sigebertus*, nec *Trithemius*. De ea *Collectione* legendus eſt *Baluzius* in Opere *De emendatione Gratiani*, tam in Præfatione n. XIX. quam etiam in Notis p. 641. Vitam *Anſelmi* Epiſcopi Lucenſis a Presbytero Pœnitentiario ejus domeſtico ſcriptam recitat *Bollandus* in Actis Sanctorum ad diem XVIII. menſis Martii. (*a*)

(*a*) „ Collectionem canonum Eccleſiaſticorum „ Anſelmo Lucenſi vindicavi ego in adnotatione „ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Natalis Alexandri, „ tum quod Lucenſi alicui tribui oportere demonſtret codex Barberinus eodem fere ſeculo, quo „ vixit Anſelmus deſcriptus, in cujus titulo luculenter ſcriptum eadem manu reperi Anſelmum ejuſdem operis authorem eſſe. Inſuper „ quod primum occurrit in eodem codice eſt formula manumiſſionis cujuſdam ab Epiſcopo Lucenſi factæ.

In Gallia XI. Eccleſiæ ſæculo bonæ Artes, & ſcientiæ, quæ ſeculo X. haud parum neglectæ fuerant, refloreſcere cœperunt, magnumque ſuſceperunt incrementum. Teſtatur ſiquidem *Egaſſius Bulæus* Tomo I. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pag. 347. in multis Galliarum urbibus Scholas XI. Eccleſiæ ſæculo fuiſſe paſſim reſtitutas, aut jam inſtitutas novum recepiſſe ſplendorem *Remis*, *Aureliæ*, *Carnuti*, *Andegavi*, *Lauduni*, ſed præcipue in Academia Pariſienſi, ad quam ex omni mundi parte homines veræ ſapientiæ acquirendæ deſiderio flagrantes, velut ad locupletiſſimum bonarum Artium & litterarum emporium diſcendi gratia convolarunt, qui deinde ſcientias conſecuti, eas in aliis urbibus & oppidis maxima cum laude docuerunt, videlicet *Fulbertus* Carnuti, *Anſelmus* Lauduni, *Marbodus* Andegavi, *Lanfrancus*, & *Anſelmus* ex Italia profecti in Cœnobio Beccenſi, & alii innumeri viri illuſtres omnium diſciplinarum notitia Pariſiis imbuti non ſolum in Gallias, ſed & in alias Orbis Nationes univerſæ eruditionis theſauros copioſiſſime effuderunt, quorum elogium texit idem *Bulæus* in *Catalogo illuſtrium Academicorum*, quem ad calcem Tomi I. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* adjecit. Infinitus profecto eſſem, ſi de ſingulis clariſſimis viris, qui XI. ſæculo e Pariſienſi Academia toto Orbe celeberrima prodierunt. Provinciam differendi hic ſuſcipere vellem. Nonnullos jam laudavi Scriptores Gallos, qui *Berengarii* Hæreſim XI. ſæculo enatam confutarunt, videlicet *Hugonem* Lingonenſem, *Adelmannum*, *Durandum* Abbatem Troarnenſem, & *Humbertum* Cardinalem, quibus aliquot alios impræſentiarum addam illuſtres viros, qui in Galliis eodem ſæculo celebres fuerunt. Hos inter principem locum obtinet *Fulbertus*, qui licet *Romanus*, vel *Italus* fuerit, ſicut ex Epiſtola ejus ſecunda ad *Einardum* colligit *Mabillonius* Tom. II. Analectorum, floruit attamen in Galliis, quippe qui, ut teſtantur veteres Annales MSS. Collegii Navarrici, Galliarum Regis *Roberti* Cancellarius fuit, & Carnotenſis Epiſcopus poſt *Rodulphum* ab eodem Rege deſignatus. Docendi Officium, quod in ſchola Carnotenſi ad Epiſcopatum ſuſceperat, non reliquit *Fulbertus* factus Epiſcopus, ſcholamque habuit diſcipulorum undequaque confluentium frequentia pernobilem. Inter complures ejus diſcipulos inſignes, cum Clericos, tum Monachos, numerantur *Olbertus* in Laubienſi Cœnobio primum educatus, deinde Trecis, Pariſiis, poſtremo Carnuti litteris imbutus, poſtea *Burchardi*, Epiſcopi Wormatienſis Magiſter; *Angelrannus* Picardus Centulenſis Cœnobii doctiſſimus Monachus: *Adelmannus* Clericus Leodienſis, *Hugo* Lingonenſis Epiſcopus, *Berengarius* Turonenſis, multique alii doctrina viri illuſtres, adeout, quandiu vixit *Fulbertus*, nulla ſchola celebrior in Gallia

vita

viſa fuerit, quam Carnotenſis, ſicut teſtatur *Buleus* in *Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis* ſæculo II. Scripſit *Fulbertus* Tractatum *adverſus Judæos*, Canonem *de Pœnitentia Mulierum*, complures Epiſtolas, Sermones, Proſas, & Hymnos, præſertim in laudem B. Mariæ Virginis, quam ſingulari devotionis affectu coluit, & in cujus honorem magnificam Carnotenſem Eccleſiam, *Canuto* Angliarum Rege ſumptus in id ſuppeditante, excitavit. Epiſtolam *Fulberti de rebus Eccleſiæ religioſe & caute diſtribuendis* antehac ineditam publici juris fecit *Lucas Dacherius* in Appendice ad Tomum II. ſpicilegii.

Poſt *Fulbertum* Carnotenſem Epiſcopum, Catalogo virorum illuſtrium, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo in Gallia floruerunt, accenſeri merito debent quatuor Monachi Ordinis Sancti Benedicti, videlicet *Ademarus*, *Glaber Rodulphus*, *Helgaldus & Anſelmus*. Scripſit *Ademarus* Cœnobii Sancti Eparchii Engoliſmenſis Monachus Chronicon a principio Monarchiæ Francorum, præcipue ab anno 829. uſque ad annum MXXVIII. quo e vivis exceſſit. Extat iſtud Chronicon, ad res Aquitanicas illuſtrandas præſertim utile, Tomo II. Bibliothecæ *Philippi Labbei*. Tribuitur eidem Ademaro *Supplementum ad Amalarii Opus de Divinis Officiis*, quod *Mabillonius* edidit Tomo II. Analectorum. Teſtatur quoque *Dupinus* cap. XI. *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum XI. ſæculi*, doctiſſimum *Baluzium* penes ſe, habuiſſe Epiſtolam manuſcriptam, & Sermones adhuc ineditos ejuſdem *Ademari*, in quibus, ea tum temporis inter Lemovicenſes fervente lite, de qua ſuperius ſermonem habuimus, magna animi contentione probat, Sanctum *Martialem* appellari debere Apoſtolum. *Glaber Rodulphus* Monachus Sancti Germani Antiſſiodorenſis vixit ſub Regibus Francorum *Roberto*, & *Henrico I.* compoſuitque Hiſtoriam quinque libris comprehenſam ab anno circiter nongenteſimo nonageſimo ad annum milleſimum quadrageſimum ſextum, quam in lucem emiſit *Franciſcus Ducheſnius* inter Antiquos Scriptores Hiſtoriæ Francorum Tomo IV. ſcripſit etiam *Glaber* vitam Sancti *Guilielmi* Abbatis S. *Benigni* Divionenſis, quam edidit *Bollandus* inter Acta Sanctorum ad 1. diem menſis Januarii. *Elgaldus* Floriacenſis Monachus edidit *Epitomen vitæ Roberti Regis Francorum*, quam inter Antiquos Scriptores Hiſtoriæ Francorum publicavit jam citatus *Ducheſnius* Tomo IV. *Anſelmus* Remenſis Monachus ſcripſit Itinerarium *Leonis IX.* dum videlicet Roma in Gallias profectus eſt Romanus ille Pontifex. Prætermitto, brevitatis ergo, multos Abbates & Monachos, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo ſcripſerunt aliquorum Abbatum & Monachorum vitas, quæ legi poſſunt apud *Mabillonium* in ſæculis Benedictinis.

A Gallis Scriptoribus tranſeamus ad Germanos, quorum undecim præcipue numerantur, qui ſæculo Eccleſiæ undecimo eruditionis laude claruerunt, videlicet, *Meginfredus*, *Berno*, *Bruno*, *Hermannus Contractus*, *Lambertus Scafnaburgenſis*, *Bertholdus Conſtantienſis*, *Adamus Bremenſis*, *Gebhardus*, *Stephanus*, *Paulus Bernriedenſis*, & *Gerochus*, quorum edita Opera hic breviter indicare ſufficiet. In primis, *Meginfredus* Fuldenſis primum Monachus, & poſtea Archiepiſcopus Magdeburgenſis ſcripſit vitam Sancti *Emmerani* Archiepiſcopi Ratiſponenſis, quam vulgavit *Caniſius* Tomo II. Antiquæ lectionis. *Berno* Abbas Cœnobii Augiæ Divitis prope Conſtantiam ad Rhenum, humana & divina ſapientia præditus fuit, ſicut teſtatur *Sigebertus* cap. 158. libri de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & ſcripſit librum *de quibuſdam rebus ad Miſſæ Officium pertinentibus*, qui in Bibliotheca Patrum editus eſt, ac vitam S. *Uldarici* Epiſcopi Auguſtani, quam recitat *Surius* ad diem IV. menſis Julii. Hunc *Bernonem* Augiæ Divitis Abbatem male confundit *Baronius* cum *Bernone*, qui fuit fundator, & primus Abbas Ordinis Cluniacenſis, & e Burgundia erat oriundus. Male etiam *Gerardus Joannes Voſſius* cap. 44. lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* confundit eumdem *Bernonem* Augiæ Divitis Abbatem cum alio *Bernone*, qui nono ſæculo fuit diſcipulus *Hincmari* Archiepiſcopi Remenſis, & Eccleſiæ Pariſienſis Clericus, & ut liquet ex Epiſtola *Æneæ* Pariſienſis Epiſcopi ad eumdem *Hincmarum* data, & a Baronio relata. *Bruno* Imperatoris *Conradi* Patruelis, & Epiſcopus Herbipolenſis, vir fuit, teſte Trithemio in lib. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in divinis ſcripturis ſtudioſus, vita & converſatione ſanctiſſimus, qui ob meritorum ſuorum excellentiam Catalogo Sanctorum adſcriptus eſt*. Scripſit Bruno *Expoſitionem* ſeu Commentarium *in totum Pſalterium*, aliaque compoſuit Opuſcula in *Cantica tam veteris, quam novi Teſtamenti*, in *Orationem Dominicam*, & *in Symbola Apoſtolicum, & S. Athanaſii*, quæ a *Joanne Cochlæo* recenſita extant Tomo XVIII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunenſis. *Hermannus Contractus* filius *Wolferadi* Comitis Veringenſis in Suevia, & Cœnobii Augiæ Divitis Monachus Ordinis Benedictini, cum ab infantia ſua omnibus corporis membris eſſet contractus, inde *Contractus* fuit cognominatus. Tres linguas, Græcam, Latinam, & Arabicam, teſte *Trithemio* in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, apprime calluit. Multa compoſuit Opera tum ſtricta, tum ſoluta oratione, & Græcorum Philoſophorum, Arabumque Aſtronomorum Tractatus aliquot latio donavit; ſed præcipue ſcripſit *Chronicon* ab ortu Chriſti uſque ad annum milleſimum quinquageſimum tertium, quod *Chriſtianus Urſtiſius* Tomo unico *Rerum Germanicarum* edidit gemino contextu. Editionem ejuſdem Chronici *Hermanni Contracti* locupletiorem adornavit *Caniſius*, quam inſeruit Tomo I. Antiq. lect. Hæc Caniſiana Editio, quæ caſtigatiſſima eſt, extat in Bibliothecis Patrum Colonienſi & Lugdunenſi. *Hermanni Contracti* Chronicon *Bertholdus* Presbyter Conſtantienſis ad Rhenum ab anno MLIII. ubi deſiit *Hermannus Contractus*, perduxit uſque ad annum MC. Hiſtoriam *Gregorii VII. & Henrici IV.* accorate & fideliter ſcripſit, variaque lucubravit Opuſcula pro *Gregorio* VII. contra ſchiſmaticos, quæ partim *Gretzerus* Soc. Jeſu in Apologia pro eodem Pontifice, partim *Sebaſtianus Tengnagel* in lucem emiſerunt. *Lambertus Scafnaburgenſis*, Cœnobii Hirsfeldenſis

in

in Diœceſi Moguntina Monachus, elegantet & accurate concinnavit *Hiſtoriam Rerum Germanicarum* uſque ad annum MLXXVII. quam poſtea Anonymus Monachus Erphordienſis continuavit ad annum uſque MCCCCLXXII. Hanc *Lamberti Scafnaburgenſis* Hiſtoriam, ejuſque continuationem *Joannes Piſtorius* inſeruit *Collectioni*, quam edidit, *illuſtrium virorum Scriptorum, qui Rerum Germanicarum Hiſtorias, vel Annales poſteris reliquerunt*. Cum maxima ſinceritate & diligentia *Adamus* Bremenſis Canonicus ſcripſit quatuor libros *De Hiſtoria Eccleſiaſtica Dammaburgenſis, & Bremenſis Diœceſeon a tempore Caroli Magni uſque ad Henricum IV.* & ad calcem ſuæ Hiſtoriæ adjecit Tractatum *De ſitu Daniæ, & reliquarum, quæ trans Daniam ſunt, regionum natura, moribus, & religione*. Hæc *Adami Bremenſis* Hiſtoria publicata fuit ab *Erpoldo Lindenbrogio* Lugduni Batavorum anno 1595. & deinde cum Notis prodiit *Helmſtadii* an. MDCLXX. *Gebhardus* Salisburgenſis Epiſcopus, & *Stephanus* Halbeſtadienſis ſcripſerunt Epiſtolas pro *Gregorio VII.* contra ſchiſmaticos, quas *Sebaſtianus Tengnagellus* Cæſareus Viennæ Bibliothecarius ex MSS. Codicibus inter alia vetera monumenta edidit, una cum duobus libris *de Geſtis Mathildis Comitiſſæ*, quos *Domnizo* Presbyter veraci, ſed inculto Carmine compoſuit. Denique *Gerochus* Reicherſpergenſis in Bavaria præpoſitus ſcripſit ſyntagma de *Henrico* IV. & V. Imperatoribus, & de *Gregorio VII.* nonnulliſque aliis conſequentibus Pontif. Romanis, quod *Gretſerus* Soc. Jeſus Theologus publica luce donavit (*a*). Hi ſunt celebriores Scriptores, qui in Germania undecimo Eccleſiæ ſæculo litteris inclyti fuerunt. Conſulto tamen prætermiſi S. *Brunonem* Colonienſem, qui eodem ſæculo doctrina & pietate maxime micuit, atque Carthuſienſem Ordinem fundavit, quia in proximo Colloquio, ubi de Monaſtica diſciplina XI. ſæculi agemus, opportunior de ſancto illo fundatore, ejuſque Operibus differendi ſeſe dabit occaſio. Nolui etiam in ſerie illuſtrium undecimi ſæculi Germaniæ Scriptorum aliquam de *Bennone*, natione licet Germano, & pſeudo-Cardinali facere mentionem, eo quod *Benno* tempore ſchiſmatis *Clementi III.* Antipapæ obſtinato animo adhæſit, & fuit infenſiſſimus *Gregorio VII.* legitimo Pontifici Romano, in quem duos ſcripturivit libros injuriis, conviciis, & contumeliis ſcatentes, qui extant apud *Ortbuinum Gratium* in *Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum*, quem typis edidit anno MDXXXV. Eoſdem *Bennonis* libros anno MDCXI. in lucem emiſit *Melchior Goldſtadus* inter varia *Opuſcula Anti-Gregoriana*.

„ (*a*) Gerochi hujus extat enarratio in omnes „ Davidis pſalmos quam integram uno ſatis „ grandi volumine, conficiente tomum ſextum „ Anecdotorum ſuorum evulgavit P. Petz. Alia „ ejuſdem auctoris opuſcula vide apud Fabricium „ in Bibliotheca mediæ, & infimæ latinitatis v. „ *Gerohus*.

Seriem Scriptorum, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo in Hiſpania aliquot Opera ediderunt, *Nicolaus Antonius* capite primo Tomi ſecundi *Bibliothecæ Hiſpaniæ veteris* auſpicatur a *Santpiro* natione Hiſpano, & Aſturicenſi Epiſcopo, qui *Chronicon* condidit ab anno octingenteſimo ſexageſimo ſeato, quo in Hiſpania regnare cœpit *Alphonſus Magnus* hujus nominis *III.* illudque perduxit uſque ad obitum *Ranimiri III.* Hiſpaniarum Regis, hoc eſt uſque ad annum nongenteſimum octuageſimum quintum, quod poſtea *Pelagius* Ovetenſis Epiſcopus uſque ad mortem *Adelphonſi VI.* Hiſpaniarum Regis, annumque milleſimum centeſimum decimum nonum continuavit. Iſtud *Sampiri* Chronicon, una cum aliis Hiſpaniæ Chronicis anno MDCXV. & MDCXXXIV. edidit *Prudentius Sandovalius*, Notiſque ac Diſſertationibus illuſtravit. Præter *Sampirum*, alios paucos obſcuri nominis Scriptores undecimi ſæculi Hiſpanos, loco mox a me laudato, memorat jam citatus *Nicolaus Antonius*, quos hic lubens prætermitto. Obiter duntaxat velim obſerves, Hiſpanos vulgo exiſtimare, *Avicennam* Medicorum Arabum Principem ex Hiſpania oriundum fuiſſe, ibique ſæculo XI. floruiſſe. Sunt tamen inter Hiſpanos alii, qui *Avicennam* Bæticum, alii Cordubenſem, alii Hiſpalenſem, alii Aragonenſem, alii demum Valentinum fuiſſe dictitant. Sed hanc fabulam merito explodit *Nicolaus Antonius* cap. 2. Tomi 2. *Bibliothecæ Hiſpaniæ veteris*, ubi primo fatetur, ſe prorſus neſcire, unde Hiſpanos invaſerit hæc diu nata perſuaſio, quod *Avicenna*, qui certe natione Perſa fuit, in Hiſpania fuerit natus. Deinde multis momentis probat, *Avicennam* toto vitæ ſuæ tempore nec in Hiſpaniam unquam veniſſe; nec venire potuiſſe, tantum abeſt ut fuerit Hiſpanus. Quod vero ſpectat Opera, quæ edidit *Avicenna*, qui XI. ſæculo claruit, aſſerit ibidem *Nicolaus Antonius*, Opera Arabica *Avicennæ* extare manuſcripta in Bibliothecis Eccleſiæ Toletanæ octo Voluminibus comprehenſa; hebraice antem verſa quatuor aliis Voluminibus, quæ in Bibliotheca PP. Soc. Jeſu Collegii Romani adhuc aſſervantur. Fuerunt etiam Opera *Avicennæ* Latino idiomate donata a *Gerardo* Carmonenſi hiſpano Provinciæ Bæticæ, ut teſtatur idem *Nicolaus Antonius* Tomo 2. *Bibliothecæ Hiſpaniæ veteris* pag. 263.

Anglia undecimo Eccleſiæ ſæculo aliquos protulit eruditos Scriptores, de quibus late differunt *Balæus*, & *Pitſeus*. Tres tantum celebriores hic proferam, videlicet *Marianum Scotum*, *Osbernum*, & *Hemmingum*. Primus, ſeu *Marianus Scotus* in Scotia ſeu Hibernia natus, Ordinis S. *Benedicti* Monachus, ſcripſit *Chronicon* a Chriſto nato ad annum uſque MLXXXIII. quod poſtea ad annum MCC. continuavit *Dodechinus* Abbas. Hoc *Mariani Scoti* Chronicon continuatum publici juris fecit *Piſtorius* inter veteres Scriptores Rerum Germanicarum. *Osbernus* Eccleſiæ Cantuarienſis præceptor & Monachus condendis ſanctorum vitis præſertim incubuit, quippe *Vitam S. Odonis* Cantuarienſis Archiepiſcopi a Mabillonio inſertam ſæculo V. Benedictino, *Vitam* & miracula *S. Dunſtani* Cantuarienſis itidem Archiepiſcopi deſcripſit duobus libris, quos *Bollandiani* in Actis Sanctorum menſe Majo Tomo IV. & Mabillonius ſæ-

Digitized by Google

culo V. Benedictino exhibent. Scripſit quoque *Osbernus* vitam & paſſionem S. *Elphegi* Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris, quam *Bollandiani* ad diem XIX. menſis Aprilis in Actis Sanctorum ediderunt. *Hemingus* Monachus *Wigornienſis* compoſuit quinque libros *De Eccleſiæ Wigornienſis Dotatione, Privilegiis, & Poſſeſſionibus*. Sed de his, & aliis Scriptoribus Anglis, Scotis, & Hibernis legendi ſunt *Joannes Balæus* in ſuis centuriis *De ſcriptoribus Angliæ & Scotiæ*, *Joannes Pitſeus* in Catalogo Scriptorum Angliæ, *Jacobus Varæus* in libro *De Hibernia & antiquitatibus ejus*, & *Henricus Warthonus* in Opere, quod edidit *De Anglia ſacra*.

Præter iſtos Scriptores, quos undecimo Eccleſiæ ſæculo in Italia, Gallia, Hiſpania, & Anglia floruiſſe hactenus diximus, fuerunt etiam eodem ſæculo alii pietate & doctrina illuſtres Monachi, qui Cœnobiorum, in quibus Monaſticam vitam degebant, Chronicon condiderunt, videlicet Chronicon *Gemblacenſis Monaſterii* Diœceſis Namurcenſis, quod editum eſt Tomo VI. Spicilegii Dacheriani; Chronicon Moſomenſis Monaſterii Diœceſis Remenſis Tomo V. ejuſdem Spicilegii inſertum; Chronicon *Abbatiæ Fontanellenſis* Diœceſis Rothomagenſis Tomo III. ejuſdem Spicilegii publicatum; Chronicon Monaſterii *Afflegemenſis*, ſeu *Affligenienſis* in Brabantia, quod extat Tomo X. ejuſdem Spicilegii, Chronicon *Centulenſis Abbatiæ*, ſeu *S. Richarii*, editum Tomo IV. Spicilegii. Chronicon Andrenſis, ſive *Adernenſis* Monaſterii Diœceſis Bolonienſis, quod habetur Tomo IX. ſæpius jam citati Spicilegii Dacheriani. Fuerunt etiam eodem ſæculo undecimo complures in Occidente Scriptores, præſertim Monachi, ſed Anonymi qui vitam Sanctorum Abbatum, & Monachorum ſcripſerunt, quæ legi poſſunt apud *Mabillonium* in ſæculis Benedictinis. Inter illos Scriptores Anonymos unus eſt, qui ſub finem ſæculi vixit, & Auctor eſt *Micrologi* ſeu libri *De Eccleſiaſticis Obſervationibus*, ideſt *Divinis Officiis*, inſcripti, qui duobus ſupra ſexaginta capitibus conſtat. Voce autem *Micrologi* Scriptores mediæ & infimæ ætatis librum, qui in Epitomes ſpeciem editus eſt, intellexerunt. Extat hic *De Divinis Officiis* Micrologus in Bibliothec. Patrum Editionis Lugdunenſis. Advertere tamen debes, *Guidonem Aretinum*, Monachum Benedictinum in Italia, & doctiſſimum ſæculi undecimi Muſicum, non eſſe Auctorem illius *Micrologi* de Divinis Officiis, ſicut *Poſſevino*, & aliis nonnullis perperam viſum eſt, illum tamen Auctorem eſſe cujuſdam Operis Muſici, quod *Micrologum* inſcripſit, & in quo excogitavit novam cantandi methodum, quam vulgo *Solmiſationem* vocant, ſeu *Gammam* cum notis, Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La. Hinc *Donnizo* Presbyter in Carmine de Geſtis Comitiſſæ *Mathildis*, agens de *Thebaldo* Aretino Epiſcopo, canit:

Micrologum librum ſibi dictat Guido peritus.
Muſicus & Monachus, necnon Eremita beandus. (*a*)

„ (*a*) Micrologum hunc diſtinguas volo ab „ opere eundem titulum præferente, in quo de „ Miſſa, ſacriſque Eccleſiæ ritibus agitur, cujus „ auctor ignoratur. Modo vero ex titulo, quem „ præfert Codex Lambethenſis in Anglia, con„ ſtat apud eruditos Ivoni Carnotenſi Epiſcopo „ tribuendum eſſe. Vide Hiſt. Literar. Gallic. „ Tom. VIII. & Tom. X. pag. 145.

D. Amplum ſatis Catalogum texuiſti Scriptorum Latinorum, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo pari doctrinæ & pietatis laude conſpicui fuerunt. Supereſt, ut ſub finem iſtius Colloquii, brevi ac compendiario ſtylo referas Scriptores Græcos, qui eodem ſæculo Orientalem Eccleſiam doctrinæ & virtutum ſplendore illuſtrarunt.

M. De præclaris undecimi Eccleſiæ ſæculi Scriptoribus Græcis, eorumque Operibus dicturus, incipiam a *Leone Grammatico*, qui, *Theophanis* Chronographiam ab anno DCCCXIII. quo deſiit *Theophanes*, continuavit uſque ad annum MVIII. Hanc Chronographiæ continuationem doctiſſimus noſter *Combefiſius* Græco-Latinam, Notis illuſtratam, ac Theophani ſubjectam typis edidit Pariſiis an. MDCLV. Suam Hiſtoriam *Rerum geſtarum in Oriente Joannes Scylitza* auſpicatus eſt ab obitu *Nicephori* Imperatoris, hoc eſt ab ann. DCCCXI. eamque perduxit uſque ad initium Imperii *Iſaacii Comneni*, qui, *Michaeli Stratiotico* anno MLVII. ſucceſſit. Fuit *Joannes* ille *Scylitza* natione *Tharaceſius* (Tharaceſium autem eſt pars Aſiæ Minoris ad Mare Ægeum, teſte Imp. Conſtantino Porphyrogenita, lib. 1. de *Thematibus*.) Variis officiis in Aula Imperatoris functus eſt *Joannes Scylitza*, inter quæ fuerunt *Protoveſtiariatus*, ſeu Præfectura veſtiarii Imperialis, & *Magnus Drungariatus vigiliæ*, ideſt, Præfectura Excubiarum, ac tandem ad dignitatem Curopalatæ provectus eſt. Cum adhuc protoveſtiarius Imperatoris eſſet, ſcripſit *Epitomen Hiſtoriarum* ab anno DCCCXI. uſque ad annum MLVII. quam integram *Georgius Cedrenus* ſcriptor itidem Græcus, ſed inſignis plagiarius, in ſuo Hiſtoriarum Compendio verbo tenus exſcripſit. Fatetur hoc ipſemet *Cedrenus* in ſua Præfatione, ubi refert ſe primam ſuæ Hiſtoriarum ſynopſeos partem uſque ad Imperatores *Maximianum*, & *Maximinum* deductam, ex *Georgio Syncello* tranſcripſiſſe; Secundam vero partem uſque ad *Nicephorum* Imperatorem ſumpſiſſe ex *Theophane*, tertiam denique ad *Iſaacium Comnenum* Imperatorem deprompſiſſe ex *Joanne* Protoveſtiario, cognomine *Tharaceſio*, qui, ut teſtantur periti Critici *Leo Allatius* in Diatriba *de Georgiis*, *Voſſius* lib. 2. de *Hiſtoricis Græcis* cap. 16. *Lambecius* lib. 2. Biblioth. Cæſareæ cap. 7. *Pagius* in *Critica Baronii*, & alii viri doctiſſimi, idem eſt ac *Joannes Scylitza*. Unde manifeſtum eſt *Cedrenum* ex variis Hiſtoriis, non ſententiis ſolum, ſed verbo tenus ſuum Hiſtoriarum compendium conſarcinaſſe, quæ ut ait *Leo Allatius* loco mox a me laudato, ſibi ab Auctoribus repeterentur, nudus ipſe *Cedrenus*, æque ac cornicula illa, remaneret. Cæterum *Joannes Scylitza*, poſtquam ex Protoveſtiario & Magno Drungario evaſiſſet Curopalata, publicavit ſecundam compendii

ſui

Digitized by Google

ſui Hiſtorici editionem auctam hiſtoria ſuorum temporum, ab initio videlicet Imperii *Iſaaci Comneni*, ſeu ab an. MLVII. uſque ad initium Imperii *Alexii Comneni*, ideſt uſque ad ann. MLXXXI. quo *Alexius Comnenus* abdicato *Nicephoro Botoniatæ* in Imperio ſucceſſit. Hujus ſecundæ Compendii Hiſtorici *Joannis Scylitzæ* editionis a *Cedreno* non interpolatæ exemplar antiquiſſimum MS. extare in Bibliotheca Cæſarea teſtatur *Lambecius* loco jam citato. Conſtat itaque ex dictis *Georgium Cedrenum* undecimi ſæculi Scriptorem Græcum, qui *Annales*, ſeu *Compendium Hiſtoriarum* ab orbe condito ad annum uſque MLXII. conſcripſit, fuiſſe inſignem plagiarium, & Opus ab ipſo editum nihil aliud eſſe a capite ad calcem, quam Centonem ex multis pannis ſordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris promiſcue conſutum. Gratias tamen illi eo potiſſimum nomine rependere debemus, quod Auctores præcipuos & raros ſuo ipſe furto nobis conſervavit. Extant *Georgii Cedreni* Monachi *Annales*, ſeu *Compendium Hiſtoriarum*, quod cum Notis, & Animadverſionibus *Xylandri*, *Fabroti*, & noſtri doctiſſimi *Goari* Græce, & Latine Pariſiis excuſum eſt anno MDCXLVII. ſicut olim Baſileæ anno MDLXVI.

Multi poſt Baronium aſſerunt, *Joannem Xiphilinum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſæculo XI. claruit, Hiſtoriam *Dionis Caſſii* in compendium redegiſſe. Sed non eſt dubium quin in hoc fallantur. *Joannes* ſiquidem *Xiphilinus* Dionis abbreviator, quem *Guillelmus Blancus* Albienſis anno MDLI. primum in linguam latinam verſum Pariſiis edidit, & *Georgio Armeniaco* Cardinali nuncupavit, conceptis verbis aſſerit, ſe non eſſe *Xiphilinum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſed ejus nepotem. Sic enim *de Monarchia Cæſaris Auguſti* loquendo, ait pag. 51. *Quod ego non dico Dionis nomine, qui fuit Imperatorum Severi & Alexandri temporibus; Sed ut Joannes Xiphilinus, Joannis Patriarchæ nepos, qui tempore Michaelis Imperatoris filii Ducæ, ex multis libris Dionis hanc Epitomen compoſui*. Teſtatur etiam *Guillelmus Blancus* in ſua Epiſtola nuncupatoria ad *Georgium Armeniacum* Cardinalem, hunc *Joannem Xiphilinum*, qui *Dionis* Epitomen confecit, non fuiſſe *Joannem Xiphilinum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſed ejus nepotem; Sic enim ſcribit: *Hic* (ſeu *Joannes Xiphilinus* Dionis Abbreviator) *cum eſſet Joannis Xiphilini Patriarchæ Conſtantinopolitani nepos, Michaelis Imperatoris temporibus, videretque fortaſſe Hiſtoriam Dionis, qui annis circiter* CCCCC. *ante ſcripſerat, negligi, quod multis longiſſima eſſe videretur, hanc ejus Epitomen fecit*. Verum quamvis *Xiphilinus* Patriarcha Conſtantinopolitanus Auctor non ſit Epitomes Hiſtoriæ *Dionis Caſſii*, attamen inter inſignes Scriptores Græcos, qui XI. Eccleſiæ ſæculo floruerunt, jure merito connumerari debet, quippe qui vir fuit, ut teſtatur *Glycas* parte IV. Annalium, *propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam & virtutem admirandus*. Aliquot Homilias *Xiphilini* Patriarchæ Conſtantinopolitani exhibet *Gretzerus* Tomo II. *de Sancta Cruce*. Multæ etiam Homiliæ ejuſdem Patriarchæ extant MSS. Græce in Bibliotheca Sereniſſimi Bavariæ Ducis, & in Bibliotheca Vaticana, quas *Caſimirus Oudinus* digniſſimas judicat, quæ in publicum prodeant.

Theophylactus patria Conſtantinopolitanus, Acridæ Archiepiſcopus, totiuſque Bulgariæ Metropolitanus, floruit ſub finem XI. ſæculi. Vir fuit undecumque doctiſſimus, & in lectione Græcorum Patrum, præſertim S. *Joannis Chryſoſtomi* verſatiſſimus. Vixit ſub Imperatoribus Orientis *Michaele Duca*, *Nicephoro Botoniate*, ſed præcipue ſub *Alexio Comneno*, ut patet ex ejus Epiſtolis, quarum quædam ad *Adrianum* fratrem *Alexii Comneni* Imperatoris, ad *Nicephorum Meliſſenum* Cæſarem, ad *Georgium Taronitam*, qui *Alexii Comneni* ſororem in matrimonio habebat, ad *Nicephorum Bryennium* conſocerum Alexii Comneni, ad *Bryennium* ejuſdem *Alexii Comneni* generum, & ad alios ex Alexiana & Comnena familia Principes datæ ſunt. *Theophylacti* Epiſtolæ, & alia quædam ejus Opuſcula nunc Tom. XVIII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunenſis leguntur, ſicut & *Inſtitutio Regia ad Conſtantinum Porphyrogenitum Michaelis Ducæ & Mariæ Auguſtæ filium*, quam *Petrus Poſſinus* Soc. Jeſu poſt mortem Baronii edidit. Extat etiam ejuſdem *Theophylacti* in Biblioth. Bavarica Tractatus MS. *De Latinorum erroribus*, in quo diſcordiam Græcos inter & Latinos in uno de Proceſſione Spiritus Sancti articulo conſtituit, ut habet *Joannes Veccus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus in Oratione ſecunda *de injuſta ſui depoſitione* Tomo II. *Græciæ Orthodoxæ*. Scripſit inſuper *Theophylactus* Orationem *in adorationem Crucis*, quam *Gretzerus* Soc. Ieſu edidit Tom. II. *de Cruce*, & *Commentaria in IV. Evangelia: in Acta Apoſtolorum; in Epiſtolas S. Pauli, & in quatuor Prophetas Minores, Habacuc, Jonam, Naum, & Oſeam*, quæ ex Operibus Sancti *Chryſoſtomi* cum ſint deflorata, illorum Breviarium jure poſſunt appellari. *Oecumenium*, Scriptorem Græcum, cujus veram ætatem expiſcari non potui, hic *Theophylacto* adjungendum eſſe duxi, quia *Oecumenius* magnam novi Teſtamenti partem, non ſecus ac Theophylactus, ex veterum Commentariis, potiſſimum ex *Chryſoſtomo*, qui ipſi prora ac puppis eſt, dilucide, conciſe, ac diſerte, expoſuit. Extant etiamnum Commentarii *Oecumenii* in Acta Apoſtolorum, in Epiſtolas Pauli, & in ſeptem Epiſtolas Canonicas. Ejus Opera Græce & Latine edita ſunt Pariſiis anno MDCXXXI. Inter Scriptores Græcos, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo Homilias, vel Commentarios in Scripturam Sacram adornarunt, numerari etiam debent *Nicetas*, *Serron* cognomento dictus, & *Theophanes Cerameus*. Ex variis Patrum Græcorum Expoſitionibus *Nicetas Serron* Heracleenſis Archiepiſcopus, & Theophylacti coætaneus contexuit *Catenam in Job*. *Venetiis* latine edita eſt anno MDLXXXVII. & *Londini* Græce ac Latine a *Patricio Junio* anno MDCXXXVII. Scripſit etiam idem *Nicetas* Commentarium *in Gregorii Nazianzeni Orationes*, Latine inter Opera ejuſdem S. Gregorii Nazianzeni editum. *Theophanes Cerameus*, Tauromenii in Sicilia Archiepiſcopus ſcripſit *Homilias* LXXII.

Digitized by Google

LXXII. *in Evangelia Dominicalia & Feſta totius anni*, quas cum Notis & Prolegomenis ampliſſimis *Franciſcus Scorſus* Græce ac latine Pariſiis edidit anno MDCXLIV. Hunc *Theophanem* nono Eccleſiæ ſæculo floruiſſe exiſtimavit *Franciſcus Scorſus*, at in hoc deceptum fuiſſe, & ad undecimum ſæculum referendum eſſe *Theophanem* colligunt periti Critici ex ejus Homiliis, in quibus citatur *Simeon Metaphraſtes* decimi ſæculi Scriptor Græcus, quo proinde *Theophanem*, cognomento *Cerameum*, juniorem fuiſſe, & ſæculo undecimo vixiſſe neceſſe eſt.

„ (*a*) Commemoranda hic venit inſignis col-
„ lectio operum omnium Theophylacti, quæ mo-
„ do excuditur Venetiis, ac tertius ejus tomus
„ jam prodiit, & parum aberit quin & quartus
„ omnium poſtremus producatur. In ea vero,
„ præter edita hucuſque, omnia, epiſtolæ quædam
„ nondum alias vulgatę ſeſe offerunt, tum &
„ tractatus de *Latinorum erroribus* ex interpreta-
„ tione P. Finetti Ordinis Prædicatorum, cum
„ aliis nonnullis exhibetur.

D. Miror certe, quod nihil hactenus dixeris de Scriptoribus Græcis, qui undecimo ſæculo, incentore *Michaele Cerulario* Patriarcha Conſtantinopolitano, libros ediderunt contra Eccleſiam Romanam, a cujus communione funeſto ſchiſmate fuerunt ſeparati.

M. Præter *Michaelem Cerularium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Orientalis Schiſmatis Auctorem, de quo in præcedentibus Colloquiis multa diximus, nonnulli undecimo ſæculo fuerunt Græci, qui *Michaelis Cerularii* veſtigiis inſiſtentes contra Eccleſiam Romanam ſcripſerunt, inter quos præcipue recenſentur *Leo* Acridę Archiepiſcopus, & totius Bulgariæ Metropolitanus, *Niceta Pectoratus*, *Michael Pſellus*, & *Nicolaus* Metropolita Methonenſis, quorum Opera breviter hic extremis, ut dicunt, digitis attingere ſufficiet. *Leo* Acridanus Archiepiſcopus ſcripſit Epiſtolam acerrimam adverſus Latinos ad *Joannem Tranenſem* in Apulia Epiſcopum, quæ latine reddita extat apud *Baronium* ad annum MLIII. *Nicetas*, quem latini *Pectoratum*, Græci vero *Stethatum* appellant, Monachus Conſtantinopolitanus in Cœnobio Studienſi, ſcripſit adverſus Latinos librum *De Azymis, de Sabbatorum jejuniis, & nuptiis Sacerdotum*, quem *Caniſius* Tomo VI. Antiq. lect. & *Baronius* ad Tomum XI. Annalium ediderunt. Scripſit etiam idem *Nicetas* Tractatum de Anima, Hymnum in laudem S. Nicolai, & alterum Hymnum in honorem *Simeonis Metaphraſtis*, quorum fragmenta quædam refert *Leo Allatius*. Schiſmati Græcorum, ut jam obſervavimus in Colloquio, mordicus adhæſit *Michael Pſellus* Conſtantinopolitanus ex nobili, conſulari, & Patricia proſapia oriundus, & *Michaelis Duca* Imperatoris præceptor. Hic fuit vir doctiſſimus, qui pene infinita ſcripſit, Philoſophica, Mathematica, Medica, Hiſtorica, & Theologica, quorum Catalogum ſatis amplum mira diligentia texit *Leo Allatius* in Diatriba *de Pſellis*, *eorum ſcriptis* ubi de iſto *Michale Pſello* perhonorificum profert judicium: *Auſim dicere*, inquit, *neminem ea*, *vel ſubſequente ætate*, *Græce vel invenniſſe acrius*, *vel ordinaſſe aptius*, *vel locutum eloquentius*, *vel profundius res pertractaſſe*. *Nulla fuit ſcientia*, *quam vel ipſe Notis non illuſtraverit*, *vel compendio non tentaverit*, *vel optima methodo non expediverit*. Multa *Michaelis Pſelli* variis locis ac variis annis edita ſunt Opuſcula, quorum quædam extant Tomo XVIII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunenſis, præter alia, quæ adhuc in Bibliothecis Vaticana, Cæſarea, & Regis Galliarum Chriſtianiſſimi inedita habentur. Hiſtoriam Byzantinam, quam *Michael Pſellus* a *Baſilio*, & *Conſtantino* Porphyrogenitis inchoavit, & *ad Michaelem Conſtantini Duca* Imperatoris filium perduxit, doctiſſimus noſter *Combefiſius*, qui Auctoribus Græcis in linguam Latinam vertendis, præſertimque illis, qui de Hiſtoria Byzantina ſcripſere, magno rei litterariæ diſpendio immortuus eſt, prælo paratam habebat, ſicut & quædam alia ejuſdem Auctoris Opera Hiſtorica, quæ in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi adhuc manuſcripta aſſervantur. Denique *Nicolaus* Metropolita Methonenſis. ſcripſit adverſus Latinos *tres Tractatus De Proceſſione Spiritus Sancti*, quos in Bibliotheca Vaticana MSS. ſe legiſſe teſtatur *Leo Allatius* parag. 2. cap. 10. lib. 2. de *Conſenſu Eccleſiæ* &c. Sed, quod maxime contra hæreticos noſtri temporis velim hic obſerves, idem *Nicolaus* Metropolita Methonenſis, etſi ſchiſmaticus fuerit, ſcripſit tamen Librum *De Corpore & Sanguine Chriſti* adverſus eos, qui dicunt, panem & vinum non converti in Corpus & Sanguinem Chriſti. Unde liquet, Græcos, etſi a Communione Eccleſiæ Romanæ ſchiſmate ſeparatos, ab avita doctrina fidei de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, & de converſione ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti non deſciviſſe. Hanc etiam Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali circa hoc fidei dogma conſenſionem probat *Samonæ Gazenſis Epiſcopi*, qui eodem in Eccleſia Græca ſæculo undecimo floruit, *Diſceptatio cum Achmed Saraceno*, *ſuper veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ*, in qua ex perpetua Patrum Græcorum traditione Catholicam fidem de converſione panis & vini in ſubſtantiam Corporis & pretioſi Sanguinis Chriſti in Euchariſtia luculenter adſtruit. Sed de *Samona* Gazenſi Epiſcopo, ejuſque *Diſceptatione*, quæ extat in Bibliotheca Patrum legendus eſt præſertim liber III. Tomi I. *De perpetuitate Fidei Eccleſiæ Catholicæ circa Euchariſtiam propugnata* cap. VI.

D. Percenſe alios, ſi qui ſint, Scriptores, qui undecimo ſæculo Eccleſiam Orientalem ſuis Lucubrationibus illuſtrarunt.

M. Pauci adhuc ſuperſunt, quos prætermittere haud debemus. *Alexius* Cœnobii Studiani Monachus, & poſtea Patriarcha Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quam rexit ab anno MXXV. uſque ad annum MXLIII. ſcripſit *Decreta de diverſis cauſis Eccleſiaſticis*, quæ extant in libro quarto *Juris Græco-Romani*. *Eugeſippus*, Auctor ignotus, ſcripſit Tractatum *De diſtantiis locorum Terræ Sanctæ*, quem Leo Alla tius in ſua Collectione Scriptorum

Digitized by Google

Græcorum, & Latinorum vulgavit. *Nilus* Cognomento *Doxopatrius*, Eccleſiæ Græcæ Archimandrita, rogatus per litteras a *Rogerio* Siciliæ Rege, ſcripſit librum *de Majorum Patriarcharum ſedibus*, in quo de quinque Thronis Patriarchalibus, iiſque ſubjectis Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, de Sedium Patriarchalium inſtitutione, ordine, juribus ac Privilegiis differit. Multa hujuſce libri fragmenta profert *Leo Allatius* in libro *de Concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali*, integrum vero librum Græco-Latinum publica luce donavit *Stephanus Moynius* Tom. I. *Variorum Sacrorum*. Orationes & aliquot Opuſcula compoſuit *Simeon* dictus *junior* Conſtantinopolitanus, & Monaſterii Xerocercenſis Abbas, quem nonnulli male confundunt cum Simeone Logotheta juniore, qui vixit ſub finem XII. ſæculi. *Triginta tres Orationes* illius Simeonis Junioris *De Fide & moribus tum Chriſtianis, tum Monaſticis*, ejuſdem *liber divinorum amorum, ſeu de laudibus ſacris Commentationes*, & tandem *Capita Moralia, Practica, & Theologica* ab eodem Simeone Juniore lucubrata prodierunt latine ex *Jacobi Pontani* verſione cum *Gretzeri* Notis, *Ingolſtadii* an. MDCIII. Alias *Simeonis junioris* Orationes LXIV. præter eas a *Jacobo Pontano* editas, enumerat *Leo Allatius* in Diatriba *de Simeonibus eorumque ſcriptis*, & multa ejuſdem Scriptoris Græci Opera in variis Bibliothecis manuſcripta haberi ibidem teſtatur. His omnibus Scriptoribus, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo doctrinæ laude claruerunt, addi poteſt *Samuel*, natione Afer, patria Marochianus, qui ex Religione Judaica ad fidem Chriſti converſus ſcripſit Arabice ad *Rabbi Iſaac* librum, ſive Epiſtolam *de adventu Meſſiæ*, quem fruſtra Judæi adhuc expectant. Hic liber, quem latine tranſtulit noſter *Alphonſus Hiſpanus*, ſæpius prodiit in lucem Mantuæ, Antuerpiæ, & Coloniæ, extatque in Bibliotheca Patrum Tomo XVIII.

D. Dabo pro virili operam, ut tot inſignium Scriptorum, quos hactenus laudaſti, nomina, Patria, & merita penitus in memoria mea inſideant, eorumque opera ſæpius ac ſtudioſe pervolvam, ne quoſdam ſciolos imitari videar, qui, ut apud imperitos popularem auram aucupentur, longam illuſtrium virorum nominum ſeriem inflatis tibiis memoriter recitare ſolent, quorum Opera ne primoribus quidem labiis prægustarunt. Profecto, hujuſmodi homines, qui, ſicut nihil excelſi intelligunt, ita pro eorum ignavia & ruditate ad mordendum, ſtimulandum, accuſandum, carpendum & irridendum ſunt propenſiores, odi & execror, atque ab illorum cœtibus & Colloquiis penitus abſtineo.

COLLOQUIUM VI.

De doctrina Fidei, & de Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica, necnon de Ethices Chriſtianæ doctrina, qua Chriſtiani ſæculorum X. & XI. fuerunt imbuti.

M. HÆretici noſtri temporis, quorum profecto pectora felle virent, & lingua ſuffuſa eſt veneno, doctrinam, quam Catholica Eccleſia decimo & undecimo ſæculis tenuit, circ duo potiſſimum Capita carpere, ac virulento, ut eſt eorum natura, dente corrodere ſolent. In primis fabulantur, doctrinam de præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, quam primus, ut temere aſſerunt, ſub finem noni ſæculi in Eccleſiam invexerat *Paſchaſius Radbertus*, faventibus ſæculi decimi tenebris tam longe lateque fuiſſe propagatam, ut Chriſtiani XI. ſæculi, quamvis litteratiores facti, hanc *Paſchaſii Radberti* opinionem præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, quam cum lacte ſuxerant, pro aris ac focis propugnarint. En primam immutationem quam in fide & doctrina Eccleſiæ contigiſſe decimo ſæculo dictitant hæretici. Aliam immutationem in fide & doctrina Eccleſiæ referunt hæretici ad ſæculum undecimum, eamque attribuunt *Gregorio* VII. Romano Pontifici, quem peſſimam hæreſim in Eccleſiam induxiſſe effutiunt, dum Sacerdotum connubia prohibuit, eiſque cœlibatus legem impoſuit. In hanc cœlibatus legem acriter invehuntur Centuriatores Magdeburgenſes Centuria 11. cap. 7. pag. 389. his verbis. *Quod Sacerdotibus connubiis interdixit Hildebrandus Pontifex* (ſeu Gregorius VII.) *pleriſque Epiſcopis, aliiſque eruditis, ſimplicibus, apertis atque bonis (præter conjuratos, qui ſuæ cauſæ ſerviebant) novum dogma, omnium maxime peſtifera hæreſis, quæ unquam Chriſtianum perturbaſſet Regnum, viſa eſt.* Papæ! quam egregii, ſi ſuperis placet, ſunt iſti hæretici Eccleſiæ Reformatores, quibus diſplicet cœlibatus, placet vero matrimonium. Sed, remoto joco, rem ipſam aggrediamur, & invictis argumentis adverſus hæreticos evincamus, duas illas in fide & doctrina Eccleſiæ immutationes, quas decimo & undecimo Eccleſiæ ſæculis accidiſſe obſtrepunt, eſſe totidem fabulas ab ipſis ineptiſſime excogitatas.

D. Multis jam argumentis in Colloquio ſexto in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi exploſiſti putidam illam fabulam, quam quidem Sectæ Calvinianæ pſeudo-Miniſtri, ut ſuam ruinoſam, ac rimas undique agentem hæreſim incruſtare, & quadantenus ſtaruminare poſſint, commenti ſunt de immutata videlicet ſub finem noni ſæculi a *Paſchaſio Radberto* antiqua fide & doctrina Euchariſtiæ, & de nova ab eodem *Paſchaſio* invecta realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia opinione, quæ ſenſim ſine ſenſu, faventibus præſertim, denſiſſimis, ut ajunt, decimi ſæculi tenebris, inolevit, ac nemine reclamante, totum Orbem Chriſtianum invaſit. Verum, quamvis ea, quæ loco mox laudato ad exſufflandam iſtam hæreticorum tam male conſarcinatam fabulam adduxiſti argumenta, abunde ſufficere poſſint; quia tamen in Hiſtoria ſæculorum Eccleſiæ decimi & undecimi in præſentia verſamur, optarem, ut aliqua modo ſuppeditares momenta petita ex Hiſtoria ſæculi decimi, quibus liquido conſtaret, nullam omnino, etiam faventibus ſæculi decimi tenebris, in fide, & doctrina Euchariſtiæ fuiſſe factam, aut fieri potuiſſe immutationem.

M. In promptu habeo multa momenta, quæ rem plane conficiunt. Et primo, ſi qua ſub finem

Digitized by Google

noni Eccleſiæ ſæculi in fide & doctrina Euchariſtiæ facta fuiſſet a *Paſchaſio Radberto* immutatio, & ſi ejuſdem *Paſchaſii* opinio præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, faventibus ſæculi decimi tenebris fuiſſet toto Orbe Chriſtiano ſuſcepta, neceſſe eſſet ut univerſa Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſque ad finem noni ſæculi credidiſſet, Corpus & Sanguinem Chriſti non vere, non realiter, ſed tantum typice & in figura contineri in Euchariſtiæ Sacramento. At quam falſa, quamve abſurda ſit iſta ſuppoſitio, ſole clarius demonſtrat *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus in Opere *de perpetuitate fidei Eccleſiæ Catholicæ circa Euchariſtiam propugnata*, ubi non ſolum ex locupletiſſimis Scripturæ, & Sanctorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum teſtimoniis, ſed etiam ex perpetua conſenſione omnium Gentium, Nationum, ætatum, & ſæculorum, oſtendit, ſemper, ubique, & ab omnibus in Catholica Eccleſia creditum eſſe, Corpus & Sanguinem Chriſti vere ac realiter contineri in Euchariſtiæ Sacramento. Præterea ſi antiqua fides, & doctrina Euchariſtiæ ſub finem ſæculi noni fuiſſet a *Paſchaſio Radberto* immutata, & in ejus locum, faventibus ſæculi decimi tenebris, nova, ut ajunt hæretici, præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia opinio eſſet ſubſtituta, numquid, amabo, *Michael Cerularius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, aliique Græci, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo a Communione Eccleſiæ Romanæ infelici ſchiſmate erant ſeparati, quique Latinis multos errores affingebant, hanc recens intruſam in Eccleſiam Latinam opinionem, fideique immutationem eis palam objeciſſent? & tamen *apud Michaelem Cerularium* alioſque undecimi ſæculi Græcos ſchiſmaticos de illa immutatione in fide & doctrina Euchariſtiæ faventibus ſæculi decimi tenebris facta in Eccleſia Latina, ne minimum quidem verbulum invenitur. Immo *Nicolaus* Metropolita Methonenſis, & *Simonas* Gazenſis Epiſcopus, Scriptores XI. ſæculi, quos in ſuperiori Colloquio laudavimus, præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia editis libris ſtrenue defenderunt. *Theophylactus* etiam Acridæ Archiepiſcopus Catholicum dogma de reali, ſubſtantialique præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia luculenter ac diſerte adſtruit in ſuis Commentariis in cap. 26. S. Matthæi, in c. 14. S. Marci, & in cap. 6. S. Joannis. Quæ loca contra *Albertinum*, & *Claudium* Calvinianæ ſectæ Miniſtros acriter urget jam citatus eruditiſſimus *Antonius Arnaldus* cap. 9. lib. 2. tom. 1. *perpetuitatis Fidei Catholicæ circa Euchariſtiam propugnatæ*. Hinc eſt, quod in ſequentibus ſæculis Græci ſchiſmatici, quotieſcumque relicto ſchiſmate ad Eccleſiæ Romanæ unitatem in Conciliis Lugdunenſi, & Florentino redierunt, diſerte profeſſi ſunt, ſe fidei & doctrinæ præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia tamquam avitæ omnium Eccleſiarum Orientalium, & Patrum Græcorum doctrinæ indivulſe adhærere. In hoc Catholico preſentiæ realis, Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, & tranſubſtantiationis dogmate omnes etiamnum cum Eccleſia Latina conſentire Eccleſias Orientales *Græcorum*, *Moſcovitarum*, *Armenorum*, *Cophtorum*, & *Æthiopum*, aperte probant Inſtrumenta & teſtimonia authentica Patriarcharum, Antiſtitum, & Legatorum, quæ inſerta ſunt tom. 1. & 3. eximii Operis *de perpetuitate Fidei Catholicæ circa Euchariſtiam*. Legendus etiam eſt eruditus Tractatus *de Fide Orientalis Eccleſiæ circa Euchariſtiam*, quam edidit perdoctus *P. Pariſius* Canonicus Regularis Congregationis *S. Genovefæ*, ex quo facili negotio intelliges, in hoc præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia & tranſubſtantiationis dogmate perpetuam Eccleſiæ Græcæ cum Latina fuiſſe, & adhuc eſſe conſenſionem ſummam. Tertio, quamvis ſæculo decimo non tot floruerint homines eruditi, quot in præcedentibus & in ſequentibus Eccleſiæ ſæculis recenſentur, nihiloſecius ſæculo decimo tam in Oriente, quam in Occidente doctrinæ fama celebres extiterunt haud pauci, ſanctiſſimi etiam Epiſcopi, Abbates & Monachi, ut in ſuperiori Colloquio oſtendimus, qui profecto ad oppugnandam & deſtruendam illam, quam fingunt hæretici, in fide & doctrina Euchariſtiæ immutatione, & ad ſtabiliendam, propagandamque fidem, quam ſolam veram eſſe putaſſent, omnia ſtudia, curas ac labores contuliſſent; & tamen in Operibus, quæ ſæculi decimi Scriptores de rebus divinis & Eccleſiaſticis reliquerunt, illius mutationis, quam in fide & doctrina Euchariſtiæ decimo ſæculo factam hæretici comminiſcuntur, ne vola quidem, vel minimum apparet veſtigium. Quin, Scriptorum decimi ſæculi Opera manifeſto probant, tunc temporis credidiſſe Eccleſiam, ut modo credit, & ab initio credidit, Corpus & Sanguinem Chriſti vere, & reipſa in Euchariſtia ſecundum ſubſtantiam contineri. Quid enim aliud ſibi volunt hæc verba *Ratherii* Epiſcopi Veronenſis, & Scriptoris decimi ſæculi, in Epiſtola ad *Patricium* Sacerdotem: *Crede, frater, quia ſicut in Cana Galileæ vinum Dei imperio verum, & non figurativum fuit ex aqua factum, ita iſtud Dei benedictione vinum, verus & non figurativus efficitur Sanguis*. Quid aliud etiam, quam præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, indicant ſumma illa reverentia, diligentia, & munditiès, quam decimo Eccleſiæ ſæculo in confectione Hoſtiarum, quæ erant in Altari conſecrandæ, adhibebant, & etiamnum adhibent Monachi Cluniacenſes, ut legere eſt cap. 13. lib. 3. *Antiquarum conſuetudinum* Congregationis Cluniacenſis, quas S. *Udalricum* undecimo cadente ſæculo deſcripſit. Merum itaque figmentum eſt, & ab omni veri ſpecie abhorrens, quod Calviniani pſeudo-Miniſtri non multis abhinc annis obtruſerunt, de immutatione in fide & doctrina Euchariſtiæ faventibus ſæculi decimi tenebris facta. Poſtremo, Hæretici iſtius figmenti Auctores hocce peremptorio argumento, quod *ad hominem* vocant, ſic confutari poſſunt: *Si Paſchaſius Radbertus* ſub finem IX. ſæculi antiquam fidem & doctrinam Euchariſtiæ immutavit, novamque præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia induxit opinionem, quæ ſenſim ſine ſenſu, faventibus ſæculi decimi tenebris, totum Orbem pervaſit, neceſſario proſcribenda eſt, diriſque devovenda hæc *Paſchaſii* doctrina de reali præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti

in

Digitized by Google

in Euchariſtia; & tamen, quod ſatis lepidum ac feſtivum eſt, pſeudo-Miniſtri Calviniani, qui Eccleſiam Romanam propter præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia fidem, tanquam Evangelicæ doctrinæ temeratricem accuſant, & Catholicos tanquam Sarcophagos traducunt, fœdus, pacem & concordiam inierunt cum Lutheranis, qui præſentiam realem Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia conſtanter cum Catholicis profitentur, & in pluribus pſeudo-Synodis, præſertim in ea, quam *Carentone* in Suburbano Pariſienſi anno MDCXXXI. habuerunt Miniſtri Calviniani, declararunt, doctrinam realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia nullum habere venenum, nec aliquid oppoſitum pietati, charitati, honori Dei aut bono hominum, nec tanti eſſe, ut tam neceſſariam Orbi Chriſtiano fratrum gratiam ac concordiam abrumpere debeat. Sic loquuntur verſatiles & fidei lubricæ hæretici, Proteo mutabiliores, qui veritatis pondere oppreſſi ad fabulas convertuntur, perfugium in mendacio quærunt, in calumniis & imposturis fiduciam ſuam locant; ita ut adverſus ſibi perſpectam veritatem rabidis & irritis furentes motibus, ſeſe in omne latus verſent, & frontem non tam duraſſe, quam perdidiſſe videantur. Sed expendamus alteram in fide & doctrina Eccleſiæ immutationem, quam a *Gregorio* VII. undecimo ſæculo factam fuiſſe blaterant iidem hæretici.

D. In quo potiſſimum conſiſtit hæc in fide & doctrina Eccleſiæ immutatio, quam undecimo ſæculo a *Gregorio* VII. Pontifice Maximo factam fuiſſe pertendunt hæretici?

M. In hoc præcipue conſiſtit iſta in fide & doctrina Eccleſiæ immutatio, quod aſſerant hæretici, *Gregorium* VII. Romanum Pontificem Auctorem primum fuiſſe legis impoſitæ Clericis, Sacerdotibus, & Epiſcopis de perpetuo ſervando cœlibatu, eaque lege fuiſſe ab eo renovatas hæreſes *Tatiani*, *Montaniſtarum*, & *Manichæorum*, qui nuptias ceu illicitas prohibebant, damnatam itidem eſſe doctrinam Apoſtoli Pauli, qui epiſtolæ ad Hebræos c. 13. v. 4. docet eſſe *honorabile connubium in omnibus*, & c. 4. ep. 1. ad Timotheum appellat idem Apoſtolus doctrinam eorum, prohibentium nubere, *doctrinam dæmoniorum*. Tandem eamdem veritatem inculcat epiſt. 1. ad Corinthios c. 7. v. 9. his verbis: *Melius eſt enim nubere, quam uri*. His & ſimilibus obſoletis ac decantatis argumentis probant hæretici, aliquam in fide & doctrina Eccleſiæ immutationem a *Gregorio* VII. factam fuiſſe undecimo Eccleſiæ ſæculo. Verum hæreticos ſic garrientes, frontem perfricuiſſe neceſſe eſt, cum eos non pudeat tot procudere mendacia, & miſerabiles ſuas quiſquilias tam inſolenti verborum jactatione venditare. At enim, *Gregorium* VII. non eſſe primum Auctorem legis de ſervando cœlibatu, certiſſime conſtat ex bene multis Conciliis, quæ ad ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam fuerunt in prioribus ſæculis celebrata, uti oſtendimus in præcedentibus noſtris Colloquiis. Hanc etiam legem de ſervando cœlibatu antiquiſſimam eſſe docent epiſtola *Siricii* Papæ ad *Himerium* Tarraconenſem Epiſcopum, & epiſtolæ S. *Leonis* Magni Papæ, videlicet tertia ad *Exuperium* Epiſcopum Toloſanum, octuageſima quarta ad *Anaſtaſium*, & nonageſima ſecunda ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum, in quibus Clericis majoribus diſtricte præcipitur, ut cœlibem vitam agant. Eamdam cælibatus legem commendant antiqui Patres, eamque etiam in Oriente viguiſſe aſſerit S. *Hieronymus* in l. contra Hæreticum *Vigilantium* his verbis: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægyptii, & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt*. Falſum itaque eſt, *Gregorium* VII. Pontificem Maximum, qui ſub finem undecimi ſæculi univerſam regebat Eccleſiam, primum fuiſſe Auctorem legis de ſervando cœlibatu, quam potius in primis Eccleſiæ ſæculi tam in Orientali, quam Occidentali Eccleſia obtinuiſſe, & ad amuſſim fuiſſe obſervatam demonſtrant Theologi, præcipue noſter *Natalis Alexander* in ſua Diſſertatione *de Sacrorum Miniſtrorum Cœlibatu*, quam quarto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæculo ad Canonis Niceni tertii illuſtrationem inſeruit, & *Gaſpar Jueninus* Congr. Oratorii Presbyter, in ſuo *Commentario Hiſtorico-Dogmatico de Sacramentis* cap. 8. *de Impedimento Ordinis*. Sed, inquiunt Hæretici: Ea lege cœlibatus Epiſcopis, Sacerdotibus, & Clericis majoribus impoſita renovavit Eccleſia Romana hæreſim *Tatiani*, *Montaniſtarum*, & *Manichæorum*, qui nuptias prohibebant. Hanc eſſe inſulſam Hæreticorum calumniam nemo eſt qui non videat, tantum ſiquidem abeſt, ut Eccleſia Romana hæreſim *Tatiani*, *Montaniſtarum*, & *Manichæorum* nuptias tanquam illicitas damnantium vel minimum approbet, ut potius eam omni execratione proſequatur, ſæpiuſque in Conciliis congregata definierit, matrimonium eſſe ſanctum, & Sacramentorum novæ legis, quæ a Chriſto Domino ſunt inſtituta, numero accenſeri debere, ex quo Hæretici noſtri temporis illud pro ſuo arbitrio temere expunxerunt. Quod tandem dicunt Hæretici, per legem cœlibatus damnatam fuiſſe doctrinam Apoſtoli Pauli deteſtabile commentum eſt, ad quod refellendum ſufficiet hic breviter ea explanare ejuſdem Apoſtoli teſtimonia, quæ Hæretici, obtorto, ut ajunt, collo, in pravum ſenſum detorquere moliuntur. Et primo, quando Apoſtolus Paulus Epiſtolæ ad Hebræos c. 13. ait, *honorabile connubium in omnibus*, loquitur eo loci de matrimonio comparate ad fornicationem, ſubdit quippe: *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus*, vult ergo Apoſtolus Paulus matrimonium eſſe in omnibus honorabile comparate ad fornicationem, quæ turpis eſt, & lege Divina prohibita, quamvis tamen idem Apoſtolus cœlibem vitam, ſeu virginitatem eſſe matrimonio præferendam, diſerte profiteatur epiſt. 1. ad Cor. c. 7. v. 7. & 8. ubi hæc habet: *Volo enim omnes vos eſſe ſicut me ipſum, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo; alius quidem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. Non ſolum Apoſtolus Paulus, ſed ipſemet Chriſtus cœlibem vitam anteponit matrimonio, & ad eam, tanquam ad perfectionem Evangelicam, Diſcipulos ſuos adhortatur, Matthæi c. 19. his verbis: *Et ſunt Eunuchi*,

Digitized by Google

nubi, *qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum*. Præterea, Apoſtolus Paulus epiſt. 1. ad Timotheum c. 4. doctrinam prohibentium nubere, ſeu qui a nuptiis tanquam malis, & illicitis abſtinebant, appellat *doctrinam dæmoniorum*, qua in re Apoſtolus conſentientem habet Eccleſiam Romanam, quæ ut mox diximus, anathemate perculit Hæreticos, qui nuptias, ceu illicita averſabantur. Denique, dum Apoſtolus Paulus ait: *melius eſt nubere*, *quam uri*, non loquitur da iis, qui jam continentiam ob amorem Dei, rerumque divinarum contemplationem voverunt, & a carnalibus delectationibus omnino abſtinere debent, ſed de illis, qui virginitatis ſervandæ votum cum necdum emiſerint, ob effrænem concupiſcentiam a matrimonio abſtinere haud poſſunt. Certe, hujuſmodi hominibus, qui a natura ita ſunt comparati & ad matrimonium propenſi, nulloque adhuc ſervandæ virginitatis voto obſtricti, melius eſſe nubere, quam uri, ſemper cum Apoſtolo docuit, & etiamnum docet Catholica Eccleſia. Quin etiam ex Hiſtoria *Paphnutii*, egregii Confeſſoris Chriſti, quam *Socrates*, & *Sozomenus* litteris conſignarunt, & ex Canona decimo Concilii Ancyrani haud obſcure colligitur; hanc in primis Eccleſiæ ſæculis viguiſſe diſciplinam, ut hominibus uxoratis, qui aliquando id ætatis propter Miniſtrorum penuriam ad Sacerdotium promovebantur, ſi ante Ordinationem palam fuiſſent conteſtati, ſa a ſuis uxoribus, ob mutuæ periculum incontinentiæ diſcedere nolle, liber conjugii uſus poſt Ordinationem permitteretur, nullibi tamen, ſive in Hiſtoria, ſive in Diſciplina Eccleſiæ legitur, aliquando in Eccleſia Orientali, vel Occidentali licitum fuiſſe iis, qui Sacrum ſemel erant adeptl miniſterium, contrahere matrimonium. Hæc fuit circa cœlibatum perantiqua Eccleſiæ praxis, & diſciplina, quam ſoli improbant noſtri temporis hæretici, qui Miniſtris ſuæ ſectæ liberam poteſtatem faciunt, ut, primis demortuis uxoribus, ad ſecundas, tertias, quartas &c. ſi adhuc ſuperſint, poſſint convolare nuptias. Nec dubito ipſe, quin hæretici noſtri temporis ſuæ ſectæ Miniſtris polygamiam, ſeu duas ſimul uxores habendi, tandem aliquando poteſtatem permittant; non ſecus ac *Lutherus*, *Melancthon*, *Bucerus*, aliique eorum Anteſignani in ſua Conſultatione data Witembergæ dia Mercurii poſt Feſtum S. Nicolai anni 1539. conceſſerunt Principi *Philippo Landgravio Haſſiæ*, qui eos ſuper hac ra conſuluerat, ut, vivente adhuc legitima uxore ſua, matrimonium iniret cum *Margarita de Saal*, ſicque duas ſimul uxores contra legem a Deo inſtitutam retineret. Hanc *Lutheri*, *Melancthonis*, *Buceri*, & aliorum, qui hæreticorum Primipili & Coriphæi habentur, *Conſultationem* integram, una cum *Inſtructione*, quam Princeps *Landgravius Haſſiæ* ea de re concredidit *Bucero*, exhibent Illuſtriſſimus Meldenſis Epiſcopus *Jacobus Benignus Boſſuet* ad calcem libri ſexti *Hiſtoriæ de variationibus hæreticorum*, & *Gaſpar Jueninus* Congregationis Oratoril Presbyter in ſuo *Commentario Hiſtorico-Dogmatico de Sacramentis*, quæſt. 4. art. 1. §. 2. *de Polygamia ſimultanea*. Ex his, quæ hactenus diximus, plane conſequitur, fictitias omnino eſſe illas in fida, & doctrina Eccleſiæ immutationes, quas X. XI. Eccleſiæ ſæculis accidiſſa mentiuntur hæretici, qui ſoli omnis in fide & doctrina corruptelæ Auctores ſeſe noſtris temporibus produnt, nec mirum ſane id vidari debet. Hæretici ſiquidem, cum *fidem* habeant *temporum*, ſed non *Evangeliorum*, cum ruinoſis nitantur principiis, & in ſuis pluſquam Cimmeriis errorum tenebris obvolvantur, nunquam in fide & doctrina ſibi conſtant, dogmata ſua continuo figunt ac refigunt, atque in doctrina ſemper vacillantes, nullibique certo valentes figere pedem coguntur ſæpiſſime variare linguis, & ſententils, ſicut bene multis exemplis clariſſime demonſtrat jam laudatus Illuſtriſſimus Meldenſis Epiſcopus Dominus *Boſſuet* in Hiſtoria, quam concinnavit, *De Variationibus Hæreticorum*.

D. Plane intelligo, nullam prorſus immutationem in fide & doctrina Eccleſiæ ſæculis decimo & undecimo factam fuiſſe, eamdemque etiamnum in Eccleſia Romana immaculatam ſervari fidem, quæ à temporibus Apoſtolorum ſamper, ubique, & ab omnibus Catholicis credita ac ſumma religione cuſtodita eſt. At, cum Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica aliquam viciſſitudine temporum mutationem ſubire poſſit, non levi conjectura ducor ad ſuſpicandum, utramque diſciplinam haud parum labeſactatam fuiſſe ſæculo præſertim decimo, quo ignorantia, & deneger cum Clericorum, tum Monachorum vita fœdiſſimas Eccleſiæ maculas aſperſit.

M. Rem profecto acu tetigiſti. Sæculo quippe decimo Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quam Monaſticam fuiſſe pene collapſam, ac vim Canonum, necnon ſanctiſſima Monaſticæ Diſciplinæ Statuta elanguiſſe, & tantum non obſoleviſſe, ſat ſuperque indicant Concilia, quæ hoc ſæculo celebrata ſunt contra violatores Canonum, Simoniacos, invaſores dignitatum Eccleſiaſticarum, bonorumque rapinas, ac cædes; contra inceſtus, & Presbyterorum conjugia, quæ iſthoc primum ſæculo audiri cœpta, vix ac ne vix quidem authoritate Romanorum undecimi ſæculi Pontificum extirpari potuerunt, denique contra perturbatores canonicarum electionum Epiſcoporum & Abbatum, quæ id ætatis aut nunquam, intercedentibus videlicet ambitioſis Principibus laicis, fiebant, aut ſi aliquando fierent, tumultuaria erant omnia, ac ſæpe cædibus ac ſanguine funeſtata. Hic fuit diſciplinæ Eccleſiaſticæ decimi ſæculi deploratus ſtatus, nec meliorem ſortem nacta eſt Monaſtica diſciplina, ut videre eſt apud *Mabillonium* ſæculo V. Benedictino, ubi cum perpetuis Occidentalis Imperii bellis, motibus, flagitiis, ac devaſtationibus, modo everſa Monaſteria, modo dilapidata Monachorum bona, modo exturbata religioſa ſodalitia, aliaſque id genus calamitates, quibus labefactari ſolet regularis obſervatio diſciplinæ, frequens commemorat. *Hugo* etiam Antiſiodorenſis in Chronico, quod *Roberto* Antiſiodorenſi ejus continuatori perperam attribuitur ejuſdem Monaſticæ diſciplinæ, præſertim in Galliis ruinam graphice hiſce verbis deſcribit: *Valde hoc tempore*, inquit, *Monaſticæ Religionis fervor in pleriſque Galliarum locis tepuerat*, & *rarus in*

ali.

Digitized by Google

aliquo Monaſtico habitu induto mundi contemptus inveniebatur. Abbatiæ ſiquidem antiquiores, quæ in urbibus Franciæ ſeu Caſtris nobilioribus fuerant editæ, a religioſioris propoſiti tramite adeo exorbitaverant, ut pene omnes, qui in eis divinis videbantur mancipati obſequiis, curis carnis, ac ſuæ voluntatis ſtudio & intentioni addicti eſſent. Unde non immerito rariores hoc tempore ſpiritales viri fuerunt, ut vix vel unus magnæ famæ, aut ſanctitatis immenſæ his diebus extitiſſe referatur, qui poni poſſet in lucem Gentium, ut ſalus eſſet his qui in extremis vitiorum finibus morabantur. Nam præter Dominum Odonem religioſiſſimum Abbatem, qui hoc tempore floruit, cujuſque ſanctitas & religio non mediocris fuiſſe certiſſime comprobatur, vix aliquis enituit, qui fraternæ correptionis ardore repleretur. Sic vitia generalia, qnibus decimo ſæculo infecti erant plerique Munachi, iis loquendi formulis exprimit *Hugo* Antiſiodonenſis, quæ neminem a corruptione morum excludere videntur. Verum, licet, tot inter ſæculi deciml flagitia, inqne morum liceutia tanta, plurimum ſanctitati & priſtino diſciplinæ Monaſticæ ſplendori detractum eſſe negari haud poſſit, certum tamen eſt, non paucos Abbates & Monachos doctrina & pietate inſignes eodem ſæculo claruiſſe, quorum plures, ut appoſite notat *Mabillonius*, Epiſcopali dignitate fuerunt decorati, alii vero in Monaſteriis recluſi, magnis curis, & continnis laboribus ſcientias alibi neglectas, quaſi coutubernales, & domeſticas foverunt, coluerunt & conſervarunt, adeo ut, quantum lucis obſcuris & peſtilentiſſimis temporibns, necnon mediæ & infimæ ætatis ſæculis ex Monachorum doctrina afferri poſſit, & quantum Eccleſiæ, atque Reipublicæ litterariæ utilitatis accedat, norint apprime viri eruditi, qui antiqua Tabnlaria, Scrinia, & Archivia perluſtrant, atque antiquorum Monachorum manuſcriptos Codices iu obſcnris Bibliothecarum forulis latitantes in lucem producunt.

Plnra de Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica decimi ſæculi non adderem uiſi neceſſario confutanda hic eſſet calumnia hæreticorum, qni pro ea, qua Eccleſiam Romanam deturpandi prurigine titillantur, aſſerunt hunc morem, qui nunc in Eccleſia Romana obtinet, canonizandi Sanctos, originem dumtaxat habuiſſe a ſæculo decimo, quod, cum obſcurum, ac denſiſſimis, ut ajunt tenebris fuerit offuſnm, valde idoneum & opportunum extitit ad ſuperſtitioſam illam inducendam cæremoniam. Sed facile exſufflatur male conſuta illa fabula. At enim, quamvis doctiſſimi Catholici Scriptores *Mabillonius* Præfatione iu ſæculum V. Benedictinum, *Papebrochius* diſſertatione 20. in conatu Chronologico-Hiſtorico *de Solemnium Canonizationum initiis atque progreſſibus*, & alii luculenter oſtendant, primum exemplum ſolemnis Canonizationis factæ a Romano Pontifice contigiſſe dumtaxat anno nongenteſimu nonageſimo tertio, quando videlicet *Joannes* XV. Pontifex maximus ſolemni Canonizationis ritu *Uldaricum* Epiſcopum Anguſtanum publicis ſanctorum Faſtis adſcripſit, doceut attamen, idque multis exemplis demonſtrant, quod, antequam ſub finem decimi ſæculi Pontifices Romani ſuam in Sanctis Canonizandis authoritatem interponere cœpiſſent, jam inde ab initio Chriſtianæ Religionis Archiepiſcopi præſertim & Primates Diœceſes ſuas viſitantes, aut in Synodo propria reſidentes, honorem Canonizationis primum impendebant Martyribus, deinde confeſſoribus, eorum nomina recipiendo in Diptycha, ac ſub eorum invocatione Eccleſias, vel Oratoria cum Altaribus ad ſacrificandum erigebant, corpora e prioribus ſepulchris elevabant, aliaſque cæremonias obſervabant, in quibus tunc cenſebatur canonizatio ſubſiſtere. Suppetunt etiam multa exempla adducta ab illis doctiſſimis mox a me citatis Scriptoribus, quibus certiſſime conſtat, etiam a ſæculo decimo, quo Pontifices Romani ſuam in Canonizatioue Sanctorum auctoritatem interponere cœperunt, nihilominus Primates, Metropolitanos, & Archiepiſcopos antiquum morem uſque ad *Alexandrum* III. Summum Pontificem quodam modo retinuiſſe, tum annuendo ſimul cum Summo Pontifice Sanctorum elevationi, & canonizationi, tum etiam ſola ſua anctoritate utrumque pro ſua Eccleſia præſtando. Poſt primum autem exemplum, qnod habemus ſolemuis canonizationis *S. Uldarici* Epiſcopi Anguſtani factæ a *Joanne* XV. Romano Pontifice decimo ſæculo, ſeu anno nongenteſimo nonageſimo tertio, frequentius Romani Pontifices ſæculis undecimo, & duodecimo Sanctos ſolemni ritu canonizarunt. *Adbalardus* Corbejenſis Cœnobii Abbas, *Pſchaſius Radbertus* Corbejæ Itidem Abbas, B. *Wiborada*, *Gerardus* Tulli Leucorum Epiſcopus, & *Wolfangus* Ratiſponenſis Epiſcopus Sanctorum Catalogo uudecimo ſæculo a Romanis Pontificibus fuerunt adſcripti. Sæculo vero duodecimo, ſeu anno milleſimo centeſimo quinto *Paſchalis* II. Pontifex Maximus *Petrum Anagnienſem* Epiſcupnm inter ſanctos honorari ac coli præcepit. Eodem honore *Conradum* Epiſcopum Conſtantienſem decoravit *Callixtus* II. Succeſſerunt deinde Canonizationes *Hugonis* Epiſcopi Gratianopolitani, *Sturmii* Abbatis Fuldenſis, & *Henrici II.* Imperatoris factæ ab *Eugenio III.* Hæ ſunt inſiguiores Canonizationes a Romanis Pontificibus peractæ aute *Alexandrum* III. qui an. MCLXI. ad Summum Pontificatum fuit evectus, quique celebrandi ſanctorum Canonizatioues poteſtatem ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervavit primus, & poſt eum *Innocentius* III. quo ex tempore nulla deinceps a Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Canonizatio celebrata legitur. Poſtquam autem *Alexander* III. Sanctorum Canouizationem, tanquam unam ex majoribns cauſis, ad Romanum Pontificem pertinere edixiſſet, pios complures vita functos hoc honoris titulo ipſe affecit. *Eduardum* videlicet Angliæ Regem anno MCLXI. itemque *Theobaldum* Eremitam Vicentinum, *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum anno MCLXXII. & poſt biennium *Bernardum* Abbatem Claræვallenſem, qui primus Ciſtercienſium ſolemni hoc more in ſanctorum album relatus eſt. Ex his, quæ hactenus de Canonizatione Sanctorum diximus, primo colligere debes, antiquiſſimam eſſe, & a primis Eccleſiæ ſæculis pro-

fectam

fectam laudabilem illam conſuetudinem canonizandi ſanctos, ut patet tum ex vetuſtiſſimis Martyrologiis, in quibus SS. Martyrum nomina erant inſcripta, ut eorum memoria ſtata die recoleretur; tum etiam ex ſacris Diptychis, quæ unaquæque Eccleſia religioſe conſervabat, & in quibus ſuorum Epiſcoporum, & aliorum, qui vitæ ſanctimonia conſpicui fuerant, nomina reponebat; tum denique ex ſumma illa cura ac diligentia, quam ſemper adhibuit Eccleſia in colligendis & deſcribendis Actis Martyrum, & in redarguendis ac puniendis illis, qui cultum deferebant his, quos Eccleſia Faſtis Sanctorum necdum adſcripſerat, ſicut bene multa demonſtrant exempla ex hiſtoria Eccleſiaſtica petita, ſed præſertim exemplum *Lucillæ*, quam *Cæcilianus*, dum adhuc Eccleſiæ Carthaginenſis eſſet Archidiaconus, eo nomine increpuit, quod ante Communionem Os neſcio cujus Martyris, quem nondum Eccleſia Sanctorum Catalogo accenſuerat, deoſcularetur. Secundo, colligere debes, Canonizationes Sanctorum a Primatibus, Archiepiſcopis, aliiſque Ordinariis antiquitus fieri ſolitas eſſe, eamque conſuetudinem viguiſſe uſque ad *Alexandrum III.* Summum Pontificem, qui, ut mox diximus, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus poteſtatem canonizandi ſanctos reſervavit primus. Qua in re *Alexander* III. aliique Summi Pontifices ſuo jure uſi ſunt, tum quia illis, qui per ſolemnem Canonizationem Sancti declarantur, cum univerſa Eccleſia cultum deferat, ad Summum Pontificem, qui ſolus in univerſa Eccleſia juriſdictione pollet, eorum canonizatio pertinet; tum quia etiam, ne ullus in Canonizatione Sanctorum ſubreperet error, jure optimo ſanxerunt Summi Pontifices, ut coram ſe diligens & accurata fieret inquiſitio de piorum meritis & miraculis, quæ duo, ut aliquis ſanctus habeatur, omnino neceſſaria eſſe ſtatuit *Gregorius IX.* in Bulla pro Canonizatione S. *Antonii de Padua* his verbis: *Ad hoc ut Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet & miracula, ut hæc & illa ſibi invicem conteſtentur; cum merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plene ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonia ſanctitatis.* De diligentia, quæ adhibetur in Canonizatione Sanctorum de Ritibus, & Cæremoniis, quæ in hac celebritate fieri ſolent, legendi ſunt *Jacobus Caſtellanus*, *Angelus Rocca*, & alii, quos omnes uno volumine majori *Carolus Felix de Matta* complexus eſt an. MDCLXXVIII. Sed hæc pauca ad Canonizationem Sanctorum obſervaſſe ſufficiat ad retundendam ignorantiam & proterviam Hæreticorum, qui ſanctorum Canonizationem, ceu cæremoniam ſuperſtitioſam, ſæculo abhinc decimo invectam reprobant, cum tamen ex vetuſtiſſimis Eccleſiaſticis monumentis certiſſime conſtet, Sanctorum Canonizationem a primis Eccleſiæ temporibus ſemper fuiſſe celebratam, quamvis non eodem modo, iiſdemque ritibus & Cæremoniis perageretur, quibus nunc eam fieri ſolemne eſt.

D. Cum undecimum Eccleſiæ ſæculum, tam ob pietatem & doctrinam Romanorum Pontificum, quam ob Monaſtici Ordinis propagationem, ſæculo decimo longe felicius, atque illuſtrius fuiſſe ſæpius innueris, facile adducor ut credam, Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quam Monaſticam undecimo ſæculo maxime floruiſſe, & omnes repreſſos eſſe abuſus, qui in eam ſæculo decimo irrepſerant. Age ergo nunc, & omnia, quæ ad utramque ſæculi undecimi diſciplinam ſpectant, compendioſa, ſi placet, narratione deſcribe.

M. Incipiam a Diſciplina Eccleſiaſtica, cui per Sanctiſſimos Romanos Pontifices ſuus undecimo ſæculo fuit reſtitutus ſplendor. In primis, Preſbyterorum conjugia tandem aliquando undecimo ſæculo fuerunt prohibita, incontinentes Clerici in ordinem redacti, eorumque filii ex illicitis nuptiis procreati ab Eccleſiaſticis honoribus, ſacriſque Ordinibus excluſi, niſi Monachorum, aut Canonicorum Regularium vitam profiterentur. Simonia *ab obſequio, a manu, a lingua*, quæ ante hac late ſerpebat, variis Romanorum Pontificum Decretis, & Conciliorum Canonibus fuit profligata ac penitus eliminata. Juriſdictio & immunitas Eccleſiaſtica, nec non libertas Canonicarum Electionum Epiſcoporum & Abbatum aſſerta ac vindicata eſt contra Principes Laicos qui eam violabant, aut perturbabant. Sanctiſſimæ leges, quæ antiquis Romanorum Pontificum, & Conciliorum Decretis conditæ erant, de ſervando cœlibatu, de reſidentia Epiſcoporum, de non tenenda pluralitate Beneficiorum, de non dilapidandis bonis Eccleſiaſticis, de Ordinarionibus, vita, & moribus Clericorum, aliæque hujuſmodi renovatæ, ac denuo confirmatæ fuerunt. Perſtabat adhuc undecimo Eccleſiæ ſæculo antiqua publicæ pœnitentiæ diſciplina, & juxta admiſſorum delictorum gravitatem pœnitentia a Sacerdotibus imponebatur, ut ſancitum eſt canone XVIII. Concilii Saleguſtadienſis celebrati anno MXXII. Idem in Concilio Romano habito anno MLXXVIII. ſtatuit *Gregorius VII.* his verbis; *falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideo quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poteſt, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſte detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe agere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ea ulteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia; vel negotium derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque injuſte oblata reſtituat.* Eamdem Pœnitentiæ diſciplinam *Gregorius VII.* confirmavit in Concilio, quod Romæ celebravit anno MLXXX. cui novum robur addidit *Urbanus II.* in Concilio Melphitano an. MLXXXIX. Verum, etſi undecimo Eccleſiæ ſæculo vigeret adhuc Pœnitentia publica, multi taman ab ea ſe ſe redimere cœperunt vel per peregrinationes ad loca ſacra, vel per Monachiſmi profeſſionem, vel per labores impenſos in ſacra militia, ſeu in expeditione Hieroſolymitana, ſed præcipue per ſpontaneas, ſeu propria manu inflictas flagellationes, quas vulgo *diſciplinas* vocant. Hunc flagellationum, ſeu diſciplinarum ſponte & propria manu

infli-

inflictarum uſum ſæculo dumtaxat undecimo a *Dominico Loricato*, & S. *Petro Damiani* introductum fuiſſe aſſerit *Jacobus Boyleau* Doctor Sorbonicus in *Hiſtoria*, quam edidit, *Flagellantium*, additque, a tempore S. *Petri Damiani* plagoſum iſtud exercitium, & uſum ſcopis, flagellis, virgis, ſenticis, ac ferulis ſulcandi, ac propria manu defricandi pellem humanam ita invaluiſſe, ſicque flagella, & flagellantium furioſam libidinem creviſſe, ut non ſolum Monachi, ſed etiam Sacerdotes, Epiſcopi, Archidiaconi, Concionatores, Reges, Principes, Cives &c. vapulaverint, ſeu verberibus ſe ipſos affecerint. Fallitur tamen CL. *Hiſtoriæ flagellantium* Scriptor, dum diſciplinarum ſponte, ſeu propria manu, inflictarum uſus originem ab undecimo dumtaxat ſæculo arceſſendam eſſe cenſet, ejuſque Auctores B. *Dominicum Loricatum*, & S. *Petrum Damiani* fuiſſe aſſerit. Conſtat ſiquidem, uſum diſciplinarum propria manu inflictarum jam ſæculo decimo fuiſſe receptum, ſicut manifeſte nos docet exemplum *Guidonis* Cœnobii Pomposiani Abbatis, qui mortuus eſt anno MXLVI. De eo quippe narratur quod duarum Quadrageſimarum diebus, quo tempore ſolus in ſylva degebat, tanta cibi & potus abſtinentia, *tanta virgarum cæde* corpus debile macerabat, *ut excepta morte, nihil tormenti amplius poſſet inferre volenti perſecutor crudelis*. Huic *Guidonis* Pompoſiani Abbatis exemplo *Mabillonius* Præfatione in ſæculum V. Benedictinum aliud addit de Sancto *Poppone* ejuſdem ſæculi decimi Abbate, qui carnem ſuam *jejuniis, flagelliſque* ſic *atterebat*, ut quidquid vitioſum ſua caro adverſus ſpiritum concupiſceret, ipſe flagellis propria ſibi manu illatis extingueret. Cum igitur duo iſti Abbates, qui ſæculo decimo vixerunt, jam uſum diſciplinarum ſponte inflictarum habuerint, ſequitur, *Dominicum Loricatum*, & *Petrum Damiani*, qui ſæculo XI. floruerunt, illius uſus non fuiſſe Auctores, ſed tantummodo propagatores, ſicut teſtantur *Baronius* Tomo XI. Annalium ad annum MLVI. n. VII. & *Spondanus* ad eumdem annum, his verbis: *Eodem quoque tempore, etſi non eodem auctore Petro Damiani, tamen certo propagatore, atque adverſus impugnantes propugnatore, introductus eſt in Eccleſia Dei ille laudabilis uſus, ut voluntariæ pœnitentiæ cauſa, fideles, non modo viri, ſed & nobiles mulieres verberibus ſe ipſas afficerent, flagellis ad hos paratis idoneis. Hoc enim teſtatur idem Petrus in Epiſtola ad Blancam Comitiſſam, ſicut & in Epiſtola ad Alexandrum Papam*. Tantus autem fuit *Petri Damiani*, & *Dominici Loricati* in eo propugnando uſu diſciplinarum ſibi ſponte inflictarum fervor, ut primus, ſeu S. *Petrus Damiani*, in Epiſtola ad *Alexandrum II.* Summum Pontificem aſſerat, ſe tria ſcoparum millia unum pœnitentiæ annum explere cum modulatione Pſalmorum; alter vero ſeu *Dominicus Loricatus*, teſte eodem S. *Petro Damiani*, duodecim Pſalteria, ſcopis ſeſe flagellando, abſolviſſe dicatur. Talem diſcruciandi corporis modum, uti furorem & carnificinam quamdam nonnulli undecimi ſæculi Scriptores averſati ſunt, & uti rem novam, ſanctiſque canonibus contrariam damnarunt, quos inter unus fuit *Petrus* Monachus cognomento *cerebroſus*, qui hunc uſum ob novitatem arguebat, & ob exceſſum; *non tam diſciplinæ regulam, quam longioris diſciplinæ deteſtans inſaniam, nec improbans cum diſciplina dici pſalmum, ſed ut continuetur cum diſciplina pſalterium*. Præter *Petrum Cerebroſum* Monachum, *Stephanus* ex Monacho Caſſinenſi creatus Cardinalis, hunc uſum diſciplinarum propria manu inflictarum etiam undecimo ſæculo ſugillavit, turpe nimis & inhoneſtum eſſe putans, *ante tot fratrum intuentium oculos membra nudare*. Denique, noſtris temporibus jam laudatus *Jacobus Boyleau* eruditione clariſſimus in hunc diſciplinarum propria manu inflictarum uſum acriter invehitur in *Hiſtoria*, quam edidit *Flagellantium*, ubi tamen approbat, & antiquum ac meritorium eſſe fatetur uſum diſciplinarum, ſeu verbera aliena manu, pœnitentiæ cauſa, recipiendi. At, licet ipſe ultro fateatur, præcavendos & tollendos eſſe quoſdam abuſus, qui in uſum propria manu infligendi diſciplinas irrepſerunt, vel quoquo modo irrepere poſſunt præſertim in his locis, ubi Flagellantes per vicos & plateas ſanguine conſperſi curſitant, & coram omnibus ludunt de corio ſuo; exiſtimo attamen moderatum uſum ſecreto, & non palam, ſibi propria manu infligendi diſciplinas, eſſe laudabilem, pium, refrænandis concupiſcentiæ inordinatis motibus apprime utilem, & ad peccatorum pœnitentiam peragendam fructuoſum, tum quia libri Pœnitentiales peccatoribus ad expiationem, & antiquiores Regulæ monaſticæ ad ſatisfactionem hoc pœnitentiæ genus imponunt; tum quia ab undecimo ſæculo S. *Bruno* Carthuſianorum inſtitutor, & S. *Bernardus* ClaræVallenſis Abbas hunc propria manu ſibi infligendi diſciplinas uſum ſuis diſcipulis præſcripſerunt, nedum improbarunt: tum quia etiam, ſi, ipſomet fatente jam laudato *Jacobo Boyleau* in ſua *Hiſtoria Flagellantium*, non turpe & indecorum eſt nudare coram alio corpus, & ab eo virgis ac verberibus cædi, ut quid, quæſo, turpe & inhoneſtum erit, ſi quis in cubiculo ſuo, remotis arbitris, vel etiam nocturnis in tenebris nudet corpus ſuum, illudque verberibus ac virga diſciplinæ in ſervitutem redigat, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinthios cap. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Poſtremo, hunc uſum ſibi propria manu diſciplinas infligendi pium ac laudabilem eſſe liquido colligitur ex vitis S. *Dominici* Ordinis Prædicatorum fundatoris, & S. *Caroli Borromæi*, ut de aliis innumeris Sanctis ſileam, qui hoc ipſum pœnitentiæ genus ſibi ultro propoſuerunt, atque propria manu inflixerunt.

Sed redeamus ad diſciplinam Eccleſiaſticam, quę viguit undecimo ſæculo. Adhuc in uſu erat communio ſub utraque ſpecie, & quia nonnulli ſolebant uno eodemque actu percipere utramque ſpeciem Sacramenti, ſumendo nimirum in cochleari panem Euchariſticum intinctum Sanguine Chriſti, prohibuit Concilium Claromontanum anno MXCV. celebratum canone XXVIII. *ne quis communicet de Altari, niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat*, niſi per neceſſitatem. Exiſtimavit Cardinalis *Baronius*, hunc canonem Concilii Claromontani conditum fuiſſe ob recentem damnatam Berengarianam hæreſim, quæ per unam tantum Euchariſticam ſpeciem ſatis eſſe impleri figuram ajebat.

At

At *Petrus de Marca* Archipræſul Pariſienſis explicans iſtum canonem XXVIII. Concilii Claromontani rejicit hanc *Baronii* interpretationem, quippe quæ *Berengaria* attingit opinionem, quam nunquam docuit, immo neque ex hæreſeos ſuæ principiis profiteri poterat. Miſſa itaque illa Baronii interpretatione, duas, quæ mihi magis probantur, referam hujus Canonis Concilii Claromontani interpretationes. Prima deſumitur ex his, quæ vitioſe a quibuſdam ſæculi undecimi Diſciplinæ Eccleſiaſticæ parum callentibus fiebant in Euchariſtiæ adminiſtratione. Sacerdotes quippe nonnulli Euchariſtiam Sanguine Domini intinctam fidelibus porrigere non dubitabant, ut teſtis eſt ſæculi XI. Scriptor *Micrologii*, ſeu *de Divinis Officiis*. Quæ forma non tantum erat contraria Ordini Romano, ſed etiam inſtitutioni Chriſti Domini, qui, ut perhibent tres Sacri Evangeliſtæ *Matthæus*, *Marcus*, & *Lucas*, corpus ſuum ſeorſim a ſanguine diſtribuit diſcipulis ſuis. Hanc conſuetudinem commiſcendi utramque ſpeciem Euchariſticam ſervabant undecimo ſæculo Græci, eamque etiamnum in ſuis Eccleſiis frequentant, porrecto populis in cochleari pane Euchariſtico intincto poculi ſacro liquore. Hunc Græcorum uſum *Humbertus* Sylvæ Candidæ Cardinalis Epiſcopus, Legatus Romanæ Sedis, ad *Conſtantinum Monomachum* Imperatorem anno milleſimo quinquageſimo quarto miſſus, probavit in diſputatione, quam Conſtantinopoli habuit cum *Niceta Pectorato* Abbate, eſſe alienum ab inſtitutione Chriſti Domini. Quapropter, cum in Occidente ſæculo XI. gliſceret iſte ſpecierum Euchariſticarum commixtionis uſus, eum Synodus Claromontana proſcripſit his verbis: *ne quis communicet de Altari, niſi Corpus ſeparatim, & ſanguinem ſimiliter ſumat*. Cui tamen Regulæ eadem Synodus hanc exhibet exceptionem: *niſi per neceſſitatem & cautelam*, ideſt in caſu, quo communio præbenda eſſet ægris, vel pueris. Tunc enim ad juvandum eſum panis intinctio præmittebatur. Aliquando etiam *ob cautelam*, ne ſanguinis effuſio in frequenti communicantium cœtu accideret, ſolus panis conſecratus Laicis porrigebatur, non præbito poculo: qua ratione tum temporis corpus ſeorſim a calice ſumebatur. Altera interpretatio hujus canonis XXVIII. Concilii Claromontani petitur ex ſententia quorumdam, qui ſæculo undecimo aſſerebant, vinum non conſecratum vere, proprieque conſecrari, & converti in ſanguinem Chriſti per immiſſionem & contactum hoſtiæ conſecratæ. Hanc opinionem, quam ſæculo XI. docuit Scriptor *Micrologii*, ſeu libri *de Divinis Officiis* capite vigeſimo ſexto, doctiſſimus *Mabillonius* falſam eſſe oſtendit ex doctrina Sanctorum Patrum, qui converſionem vini in ſanguinem Chriſti non niſi verbis Chriſti a Sacerdote prolatis fieri docent. Unde palam ſequitur, vinum verbis Chriſti non conſecratum accidentariam quidem ex immiſſione & contactu hoſtiæ conſecratæ ſanctificationem accipere, non ſecus ac fluminis aqua commixta aquæ benedictæ ſanctificari dicitur, vinum tamen verbis Chriſti non conſecratum veram & realem conſecrationem ex immiſſione & contactu Hoſtiæ conſecratæ habere haud poſſe. Patres itaque Concilii Claromontani eo Canone XXVIII. definierunt, fideles Corpus Chriſti ſeparatim, & Sanguinem ejus ſimiliter ſumere debere, ne panem conſecratum ſimul cum Sanguine permixtum ſuſcipientes, ſibi falſo perſuaſiſſent, vinum non verbis Chriſti, ſed immiſſione & contactu Hoſtiæ conſecratæ reveta fuiſſe conſecratum, & converſum in Sanguinem Chriſti.

Politiæ, Diſciplinæ, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ priſtinum ſplendorem conciliarunt undecimi ſæculi Romani Pontifices, qui auctoritatem S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus divinitus collatam regendi univerſam Eccleſiam, leges Eccleſiaſticas condendi, Concilia congregandi Œcumenica, temperandi Canones, & de illis, ob urgentem neceſſitatem, vel evidentem Eccleſiæ utilitatem diſpenſandi, cauſaſque Epiſcoporum totius Orbis ad Sedis Apoſtolicæ Tribunal appellantium judicandi exercuerunt. *Gregorius* VII. Pontifex Maximus *Gebuino* Lugdunenſi Archiepiſcopo & ejus ſucceſſoribus Primatum in quatuor Provincias, Lugdunenſem nimirum, Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem contulit an. MLXXIX. eumdemque Primatum Lugdunenſem auctoritate Apoſtolica confirmavit *Urbanus* II. in Concilio Claromontano anno MXCV. Primatum etiam per totam Hiſpaniam *Bernardo* Archiepiſcopo Toletano conceſſit *Urbanus* II. anno MLXXXIII. Fervente quoque controverſia de Primatu Angliæ Cantuarienſem Archiepiſcopum inter & Eboracenſem Archipræſulem, *Alexander* II. Primatum ſuper omnes Angliæ Præſules adjudicavit Archiepiſcopo Cantuarienſi an. MLXXI. Ad præcavenda frequentia ſchiſmata, quæ undecimo Eccleſiæ ſæculo in electione Romanorum Pontificum naſcebantur, *Nicolaus* II. Pontifex Maximus in Synodo Romana habita anno MLIX. Decretum edidit, quo ſtatuit, ut, vacante Sede, electio Summi Pontificis ad ſolos Cardinales ſpectaret, ex quo *Nicolai* II. Decreto longe majori in pretio eſſe cœpit dignitas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quos S. *Petrus Damiani*, & *Bernardus* appellant *Collaterales*, in regimine Eccleſiæ *Coadjutores Summi Pontificis*, & *univerſalis Eccleſiæ Senatores*. Legendus eſt S. *Bernardus* lib. 4. *de Conſideratione* ad *Eugenium* Papam c. 4. ubi ei ſuggerit quales eligere debeat Cardinales, *qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubjecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram. Qui ſint in judicio recti, in conſilio providi, in jubendo diſcreti, in diſponendo induſtrii, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, ſuæ non prodigi, ubique & in omnibus circumſpecti &c.* Plures Metropoles, ac novos Epiſcopatus variis in locis undecimo ſæculo erexerunt Summi Pontifices. Eamdem auctoritatem, jura ac privilegia Metropolitani undecimi ſæculi retinuerunt & exercuerunt, quibus eos in præcedentibus ſæculis potitos fuiſſe oſtendimus. Epiſcopi, & Presbyteri ante annum ætatis trigeſimum, Diaconi ante vigeſimum quintum ſæculo undecimo non ordinabantur, Clericos vero abſque titulo, hoc eſt, abſque beneficio, ordinare nefas erat. Epiſcopus omnia beneficia ſuæ Diœceſeos conferebat, jure tamen præſentandi Patronis Laicis ſervato Clericorum cauſæ ſive

civi-

Digitized by Google

civiles, ſive criminales uni Epiſcoporum Tribunali, juxta canonicas leges, erant reſervatæ. Præter hæc diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita, alia undecimo ſæculo circa collationem, acquiſitionem, ceſſionem, reſignationem beneficiorum, & migrationem ab uno ad aliud, tam Decretis Romanorum Pontificum, quam Conciliorum Canonibus ſancita ſunt, quæ late ac erudite proſequitur Cl. P. *Thomaſſinus* in Opere, quod edidit *de Nova & Antiqua Eccleſiæ circa Beneficiarios Diſciplina*. His itaque, brevitatis ergo, prætermiſſis, obiter dumtaxat obſervabo, Chriſtianos undecimi ſæculi ex variis Probationum generibus, quæ antiquis ad res dubias dirimendas erant uſitata, duo potiſſimum Probationum genera uſurpare ſolitos fuiſſe, nimirum Probationem per ignitum ferrum pro Eccleſiaſticis, & duellum pro ſæcularibus viris. Probatione per ignitum ferrum Sancta *Cunegundis* Imperatrix ad probandam pudicitiam ſuam uſa eſt, & *Petrus* Monachus idem probationis genus ad ſimoniam reprimendam adhibuit, & ob id *Ignei* cognomen ſortitus eſt. Solebant etiam Chriſtiani undecimi ſæculi dubias Sanctorum Reliquias igne probare, & ſacrum illud linteum, quod *Corporale* vocamus, ad reſtinguenda incendia deferre, ſicut teſtatur *Glaber Rodulfus* Monachus lib. 5. Sub finem undecimi ſæculi Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum S. *Odilo* Abbas Cluniacenſis toti Ordini ſuo die 2. menſis Nov. celebrandam primus præſcripſit, quem ritum approbavit, & etiamnum retinet univerſa Eccleſia.

D. Sæpius audivi a viris eruditis, ſæcula Eccleſiæ decimum & undecimum multis Congregationibus, & Ordinibus Monaſticis dediſſe initium, quæ autem ſint iſtæ Congregationes & Ordines Monachorum, aut Religioſorum? quandonam incepetint? & quæ Diſciplina Regularis fuerit ab illis obſervata? ſcire nunc vehementer deſidero.

M. Sæculo decimo cum magno Eccleſiæ fructu & ornamento inſtituta fuit in Galliis *Congregatio Cluniacenſis* Ordinis S. Benedicti. Sæculo autem undecimo duæ ejuſdem Ordinis Benedictini in Italia excitatæ ſunt Congregationes, *Camaldulenſis* ſcilicet & *Vallumbroſana*. Eodem ſæculo XI. quatuor ſurrexerunt in Gallia Ordines, nimirum *Grandimontenſis*, *Carthuſianus*, *Ciſtercienſis*, & *S. Antonii*, qui Eccleſiam, & Statum tam Monaſticum, quam Regularem maximo ſplendore colluſtrarunt.

D. Quandonam, & a quo Cluniacenſis Congregatio Ordinis S. Benedicti fuit in Galliis inſtituta?

M. Cluniacenſis Abbatia, novæ Congregationis & Ordinis S. Benedicti Reformationis Caput, a *Willelmo Pio* Comite Arvernenſi, & Aquitanorum Duce, in fundo proprio in Burgundia ſito, ſeu in Villa Cluniaco, Diœceſis Matiſconenſis fundata ac conſtructa eſt anno nongenteſimo decimo, ut legitur in Chronicis *Ademari*, *Malleacenſi*, & quibuſdam aliis, ſed præcipue in Charta, ſeu, ut vocant, Teſtamento ejuſdem *Willelmi* Comitis, quod exhibet *Mabillonius* ſæculo V. Benedictino. Beatus *Berno* primus Cluniacenſis Monaſterii Abbas variis jam præerat Abbatiis, ſeu Cellis, *Balmenſi* videlicet apud Sequanos, *Gigniacenſi* in Territorio Lugdunenſi poſitæ, aliiſque, quibus addidit *Cluniacum*, de quibus Monaſteriis legendus eſt mox laudatus *Mabillonius*. Abbatiæ Cluniacenſi præfuit *Berno* 17. annis, ſicut aſſerit *Petrus* Venerabilis lib. 6. epiſt. 15. & obiit ſanctitatis fama clarus anno nongenteſimo vigeſimo ſeptimo, ut videre eſt in ejus Elogio Hiſtorico, quod texit *Mabillonius* ſæculo V. Benedictino. Bernoni in Abbatia Cluniacenſi ſucceſſit *Odo*, qui extinctum pene in Galliis S. *Benedicti* Ordinem ſuſcitavit, multumque propagavit. Quo fit, ut a nonnullis S. *Benedicti* in Galliis Ordinis auctor habitus ſit, propterea quod Monaſteria complura, quæ antea partim deſtructa omnino a ſe diſtracta erant, in unum quaſi corpus adduxit, eiſque uniformem vivendi normam, qualis apud Cluniacum ſervabatur, præſcripſit. Quod ut clarius intelligas, obſervare convenit, ſub finem noni Eccleſiæ ſæculi, cum Normanni profana & ſacra omnia igne ferroque vaſtantes, Monaſteria ſuſdeque vertiſſent, defeciſſe in pleriſque Galliæ locis Monachos, qui partim necati, partim ſuis ſedibus fugati, palabundi vitam miſeram ducere vix ſinebantur. Hinc factum, ut ſæculo decimo ineunte, cum *Odo*, qui *Bernoni* in Abbatia Cluniacenſi ſucceſſit, de Monaſtica vita cogitare cœpit, pauca ſupereſſent Cœnobia Monachorum, atque in paucis illis ſincera religio deſideraretur, ut videre eſt apud *Joannem* Monachum Diſcipulum S. *Odonis* in ejus Vita, & in Præfatione a *Mabillonio* ſæculo V. præfixa. Sed tam ardenti zelo in Reformationem Ordinis Benedictini incubuit S. Odo, ut plura Cœnobia, præſertim in Italia, in Cluniaci poteſtatem venerint, eiſque S. *Odo* ut Abbas Generalis præfuerit. Hinc *Flodoardus* in Chronico eum *multorum Monaſteriorum reſtauratorem ſanctæque Regulæ reparatorem* vocat, & *Glaber Rodulfus* Monachus ait: *Hic*, ſeu S. Odo, *tantum hujus Inſtituti propagator extitit, ut a Beneventana Provincia, quæque habebantur in Italia, & in Galliis uſque Oceanum mare potiora Monaſteria, illius ditioni gratularentur eſſe ſubjecta*. Tanta demum S. *Odonis* ſecundi Abbatis Cluniacenſis erat nominis ac religionis celebritas, ut ad eum non modo Laici nobiles & Clerici, ſed etiam Epiſcopi, dignitatibus abdicatis, confluerent, teſte mox laudato *Joanne* Monacho lib. 3. ejus Vitæ, quod etiam confirmat *Mabillonius* in Elogio Hiſtorico ejuſdem S. Odonis, quod inſeruit ſæculo V. Benedictino. Scripſit S. *Odo* aliquot Sermones, Hymnos & alia Opuſcula, quæ extant in Bibliotheca Cluniacenſi, & tom. 17. Bibliothecæ Maximæ Patrum Lugdunenſis. Mortuo S. *Odoni* Abbati Cluniacenſi anno 942. ut ſcribit *Flodoardus* in Chronico, ſucceſſerunt in Abbatia Cluniacenſi ſanctiſſimi Abbates, S. *Aymardus*, *S. Majolus*, & S. *Odilo*, quorum Elogia Hiſtorica texit *Mabillonius* ſæculo V. Benedictino. Extant etiam in Bibliotheca Cluniacenſi varii Sermones lucubrati a S. *Odilone* una cum Vita S. *Majoli*, quam deſcripſit idem Sanctus Abbas. Quantum ornamenti Eccleſiæ, quantum ad excitandam in perditiſſimo ſæculo decimo Religionem & pietatem contulerit celeberrima Cluniacenſis Congregatio, quot Cœnobia Ordinis S. Benedicti reformaverit, quot viros ſanctimonia & doctrina celebres protulerit, non facile eſt æſtimare. Sufficiat hic dicere,

Clu-

Digitized by Google

Cluniacenſe Monaſterium, teſte *Petro* Venerabili in lib. 1. de Miraculis cap. 9. *Religione*, *diſciplina*, *ſeveritate*, *fratrum numeroſitate*, *omnique monaſtici ordinis obſervatione*, *toti pene Orbi notiſſimum evaſiſſe*. Fervebat in hoc Cluniacenſi Monaſterio virtutum æmulatio, ſtudium in res ſacras, Regulæ accurata obſervatio, & tam profuſa in pauperes charitas, ut *ſeptemdecim millia pauperum in capite Quadrageſimæ uno anno apud Cluniacum*, *eleemoſynam habuerint*, & *ducentas quinquaginta pernas acceperint*, ut teſtatur *Udalricus* lib. 3. conſuetudinum Cluniacenſium cap. 11. Non ſancta dumtaxat Regula, ſed propriis etiam conſuetudinibus Cluniacenſis Congregationis Cœnobia regebantur, quas mox citatus *Udalricus* Monachus XI. ſæculi accurate collegit, & tribus libris digeſſit in modum Dialogorum. Hos tres *Udalrici* libros *de Conſuetudinibus Cluniacenſium* vulgavit *Lucas Dacherius* Tomo IV. Spicilegii.

D. Quem Auctorem habuit Camaldulenſis Congregatio, quam undecimo Eccleſiæ ſæculo in Italia fuiſſe inſtitutam mox obſervaſti?

M. Congregatio Camaldulenſis Auctorem habuit *S. Romualdum* Ravennæ ex Illuſtriſſima progenie oriundum, qui primum Monachus fuit apud Nigros, ut vocant, Monachos in Cœnobio Claſſenſi prope Ravennam, dein, poſt varias tum in Italia, tum in Gallia locorum mutationes, novum vitæ genus, ſeu Congregationem Camaldulenſem ſub Regula S. Benedicti inſtituit. Porro, hæc Congregatio dicta eſt *Camaldulenſis* a *Camalduli*, ſeu Campi *Malduli* Eremo, ubi vir Sanctus ſub finem vitæ ſuæ Eremitorium conſtituit, duplexque vitæ genus in ſua Congregatione inſtituit, *Cœnobitarum* ſcilicet, ac *Eremitarum*, quibus atrum colorem in candidum vertit. Hæc Camaldulenſis Congregatio (cujus Statuta legi poſſunt in Hiſtoria Camaldulenſium Ordinis ab *Auguſtino Florentino*, & a F. Luca Eremita Hiſpano edita) fuit approbata & confirmata a Summis Pontificibus *Leone IX. Nicolao II.* & *Alexandro II.* Viguit uſque ad noſtrum tempus Eremitarum Camaldulenſium abſque ulla reformatione Religio, cum apud Cœnobitas Camaldulenſes haud parum laxata ſit priſci vitæ generis auſteritas. Tres iſtius Inſtituti Camaldulenſis extant nunc Eremitarum Congregationes, videlicet *Camaldulenſis*, *Veneta*, & *Montis Coronæ*, præter Gallicanam. Cœnobitarum vero Camaldulenſium non pauca adhuc, in Italia præſertim, habentur Monaſteria. Camaldulenſibus tam Cœnobitis, quam Eremitis unus olim præerat Præpoſitus Generalis, a quo receſſerunt Eremitæ, qui modo a ſuis Superioribus reguntur. In eamdem Camaldulenſium Congregationem coaluit alia Eremitarum Congregatio *Fontis Avellani* dicta, quæ eodem ſæculo XI. exorta maxime inclaruit per Sanctum *Petrum Damiani*, qui de ejus Inſtitutis ſcripſit, ut videre eſt apud *Mabillonium* in Obſervationibus præviis ad *S. Petri Damiani* vitam, quam exhibet ſæculo VI. Benedictino, quod eſt Eccleſiæ undecimum. Mortuus eſt *S. Romualdus* Camaldulenſis Congregationis Inſtitutor an. MXXVII. ejuſque vita ſcripta fuit. a *S. Petro Damiani*, & a Sancto *Hieronymo Pragenſi* Eremita Camaldulenſi, qui Apoſtolicis laboribus in fide Barbaris prædicanda clariſſimus fuit, vitamque Sancti *Romualdi* ſcripſit, quam refert *Bollandus* ad diem 7. Februarii. Obiter tamen hic advertere debes, quod S. *Petrus Damiani* in vita S. *Romualdi* Abbatis, & Ordinis Camaldulenſis Fundatoris, cap. 20. narrata ejus morte, ait: *Vixit vir beatiſſimus centum viginti annis*, *ex quibus viginti expendit in in ſæculo*, *tres duxit in Monaſterio*, *nonaginta ſeptem in eremitico tranſegit propoſito*. At Baronio non probatur illud de centum viginti annorum S. *Romualdi* ætate, putatque vitam illam interpolatam eſſe, aut perperam deſcriptam. *Bollandus* ad diem 7. Februarii in Commentario ad illam S. Romualdi vitam, exiſtimat etiam numeros in ea vitiatos eſſe, eoſque emendare conatur. Multi probabilius exiſtimant, Sanctum *Romualdum* ſeptuaginta annos natum obiiſſe. In Martyrologio Romano Natalis S. *Romualdi* inſcribitur ad diem 19. menſis Junii. Sed *Clemens VIII.* Pontifex Maximus ſtatuit, ut ab omnibus die 7. Februarii, qui dies eſt ſecundæ illius Sancti Abbatis Tranſlationis, Natalis ejus in Eccleſia celebraretur.

Camaldulenſis Congregatio originem probe perſpectam habeo, ſed quænam ſit *Vallumbroſana* iſta Congregatio quæ, ut jam inſinuaſti, ſæculo Eccleſiæ undecimo in Italia prodire cœpit, plane ignoro. Expone itaque, quandonam & a quo hæc Vallumbroſana Congregationis in Italia fuerit inſtituta?

M. Hæc Congregationis dicta eſt *Vallumbroſana* a Valle Umbroſa, ideſt ab opacis arboribus, quæ montium dorſo incumbunt, vallemque ſubjectam adumbrant. Hæc vallis diſtat itinere dimidii diei ab Urbe Florentia, & in medio Florientiam inter & Camaldulenſem Eremum intervallo ſita eſt, quam Vicanus amnis, ſeu torrens præterfluit. Illic S. *Joannes Gualbertus*, patria Florentinus, qui vitam Monaſticam profeſſus jam fuerat in Monaſterio Sancti *Miniatis* in Monte prope Florentiam, ſedem ſuam fixit circa annum MLI. ibique Congregationis Vallumbroſanæ, juxta Regulam S. Benedicti, fundamenta jecit. Fama ſanctitatis ejus per vicina loca ſeſe diffundente, multi Clerici, & Laici converſionis & pœnitentiæ ſtudio ad eum venere, quos inter cenſetur *Petrus* Monachus, qui fuit poſtea Albanenſis Epiſcopus Cardinalis, & *Igneus* cognominatus, eo quod, ut ſupra obſervavimus, probatione per ferrum ignitum ad cohibendam graſſantem ſimoniam uſus eſt. Novem Monaſteria vel ædificavit, vel Congregationi ſuæ univit S. *Joannes Gualbertus*, quibus poſtea alii Abbates, qui ei ſucceſſerunt, alia adjunxerunt. In magnæ ſanctimoniæ opinione fuit primis temporibus hæc Vallumbroſana Congregatio, protulitque viros ſanctitate inſignes, quorum Elogia contexuit *Hieronymus de Raggiolo*, Prior S. Donati in Vinea. Fuit confirmata hæc Vallumbroſana Congregatio a Romanis Pontificibus *Alexandro* II. *Gregorio VII.* & *Urbano II.* Præter vitam S. *Joannis Gualberti* Congregationis Vallis Umbroſanæ Fundatoris, quæ extat apud *Surium* ad diem 12. menſis Julii, Beatus *Andreas* Abbas ejuſdem Congregationis aliam ſcripſerat, ſicut, & poſtea Beatus *Atto* Epiſcopus Piſtorienſis ex eadem

Con-

Digitized by Google

Congregatione aſſumptus. Utramque S. *Joannis Gualberti* vitam periiſſe exiſtimavit *Bollandus* ad diem 10. menſis Martii, quo colitur B. *Andreas* Abbas. At *Mabillonius* vitam S. *Joannis Gualberti* a B. *Attone* Epiſcopo Piſtorienſi deſcriptam exhibet, ac præviis Obſervationibus illuſtrat ſæculo VI. Benedictino. Hiſtoriam etiam hujuſce Sancti Fundatoris Congregationis Vallumbroſanæ libris duodecim Italice ſcriptam ſæculo proxime elapſo publicavit *Didacus de Franchis* Ripolenſis Abbas.

D. Satis egimus de Congregationibus Ordinis S. Benedicti, quæ in Italia undecimo Eccleſiæ ſæculo a SS. *Romualdo*, & *Joanne Gualberto* excitatæ ſunt, quapropter præſtat, ut breviter nunc diſſeras de Origine, & Fundatoribus quatuor illorum Ordinum *Grandimontenſis*, Carthuſiani, Ciſtercienſis, & Sancti Antonii, quos eodem ſæculo undecimo in florentiſſimo Galliæ Regno inſtitutos fuiſſe jam commemoraſti. Incipe itaque ab Ordine Grandimontenſi, & omnia, quæ ad illius Inſtitutionem, Auctorem & diſciplinam ſpectant, paucis complectere verbis.

M. Ordo Grandimontenſis an. MLXXIV. fuit in Gallia fundatus a Sancto *Stephano de Mureto* nobili Arverno, qui, poſt impetratam a *Gregorio* VII. Summo Pontifice inſtituendi Ordinis Eremitici facultatem, ſeceſſit in nemoroſum Montem, qui tribus leucis ab Urbe Lemovicarum diſtat & Muretum dicitur, ibique novum inſtituit Ordinem, qui poſtea *Grandimontenſis* eſt appellatus, quod Monachi Montem Muretum relinquere coacti, ad *Grandem Montem* migrarint anno MCXXIV., indeque Ordinis nomen *Grandis-Montis* factum. Regulam propriam fratribus, quos in Monte Mureto congregaverat, *S. Stephanus* dedit, Apoſtolicam ſane & auſteram, quam Summi Pontifices *Urbanus III.* & *Clemens III.* confirmarunt. Falluntur itaque nonnulli, qui Grandimontenſium Ordinem vel ſub, Regula S. Benedicti, vel ſub Regula Ciſtercienſium, vel ſub Regula S. Auguſtini militaſſe pertendunt, cum certum ſit, S. *Stephanum* Grandimontenſium Patrem ac Fundatorem eis ſpecialem tradidiſſe Regulam, quam præ manibus habent: Siquidem ipſos his verbis commonebat, ſicut ejus Acta referunt: *Tantum in Regula de Evangelio per me ſumpta perſeveretis.* Grandimontenſes vulgo *Boni homines* appellabantur, teſte *Stephano*, Abbate *S. Genoveſæ*, & poſtea Epiſcopo Tornacenſi in epiſtola 71. ad *Robertum* Pontiniacenſem Monachum data, in qua eos ſummis laudibus extollit. Eoſdem Aſcetas Grandimontenſes impenſe commendant *Joannes Saresberienſis* Epiſcopus Carnotenſis lib. 7. *Polycratici*, ſive *de Nugis Curialium* cap. 23. & *Petrus* primum Abbas Cellenſis, & poſtea Carnotenſis Epiſcopus epiſtola 8. lib. 3. & Epiſt. 7. & 22. libri octavi. Verum, quamvis ſummam vitæ auſteritatem profiterentur Grandimontenſes, progreſſu tamen temporis peſſimam illam ſortem experti ſunt, quam olim deplorabat Propheta *Jeremias* his verbis: *Servi dominati ſunt noſtri*. At enim, cum rerum temporalium procuratio & adminiſtratio Fratribus Laicis relicta eſſet a *S. Stephano* Ordinis Grandimontenſis Fundatore cap. 54. Regulæ, ut Clerici tranquillius rebus divinis vacarent, eo audaciæ proruperunt Fratres Laici, ut Ordinem & tempus divinorum Officiorum Clericis præſcriberent, ipſoſque ſuo imperio parere detrectantes punirent rerum neceſſariarum ſubtractione. De hoc præpoſtero Fratrum Laicorum dominio *Lucius III.* Summus Pontifex certior factus a Clericis Ordinis Grandimontenſis, qui ad ipſum ſuas querelas detulerant, Judices dedit qui ſententiam ſecundum Clericos tulerunt, & tumultuantes Fratres Laicos in ordinem, ut par erat, redegerunt. Mortuus eſt S. *Stephanus* Grandimontenſis Ordinis Fundator die octava Februarii anni MCXXIV. poſtquam in ſolitudine quinquaginta annos tranſegiſſet, ut videre eſt in ejus vita a *Gerardo* ſeptimo Priore Generali Ordinis Grandimontenſis deſcripta, quam *Bollandus* ad diem 8. menſis Februarii, & *Labbeus* tomo V. Bibliothecæ pag. 674. e Codicibus MSS. erutam exhibent. Unde emendandus eſt *Baronius*, qui mortem *S. Stephani* Grandimontenſis Ordinis Fundatoris copulavit cum an. MCXXVI. Sanctorum Faſtis *Stephanus* Grandimontenſis a *Clemente III.* Romano Pontifice an. MCLXXXIX. adſcriptus eſt.

D. *S. Brunonem* Ordinis Carthuſienſium Inſtitutorem, ac Fundatorem eſſe didici, dum adhuc puerulus eſſem, a quodam præceptore minime malo, ſed non ſatis acuto, qui de cauſa inſtitutionis Angelici iſtius Ordinis, & ſeceſſus *S. Brunonis* in Eremum diſſerens, hanc mihi hiſtoriolam narrabat. Erat, inquiebat ille, aliquis Canonicus, vel Doctor Pariſienſis, qui in magna ſanctitatis opinione Pariſiis demortuus, dum ſolemnes celebrarentur exequiæ, vivus in feretro apparuit, dumque in Officio Defunctorum recitaretur hæc lectio, quæ incipit: *Reſponde mihi*, inclamavit prima die: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum*, altera die: *Juſto Dei judicio judicatus ſum*, tertia demum die: *Juſto Dei judicio condemnatus ſum*. Huic horribili ſpectaculo cum *Bruno*, ejuſque Socii adfuiſſent, mundo nuncium remittere, & in deſertum locum ſecedere propoſuerant, indeque ad Sanctum *Hugonem* Gratianopolitanum Epiſcopum, in cujus Diœceſi Eremum, cui *Carthuſiæ* nomen, ſuo conſilio valde idoneam eſſe didicerant, acceſſerunt. Hanc Canonici, vel Doctoris Pariſienſis demortui apparitionem, horrendaſque voces, quibus ſe damnatum eſſe clamabat, in cauſa fuiſſe cur *Bruno* Eremum petierit, & Carthuſiam in Epiſcopatu Gratianopolitano fundaverit, referebat mihi bonus ille præceptor, quod an verum ſit? a te diſcere percupio.

M. Hanc terribilem Anaſtaſim, ſeu reſurrectionem Canonici, vel Doctoris Pariſienſis, qui in feretro poſitus damnationem ſuam in Eccleſia denuntiavit, eſſe puram putamque fabulam, ac ſubinde cauſam non fuiſſe ſeceſſus *S. Brunonis* in Eremum, & Ordinis Carthuſienſium inſtitutionis, multis momentis evincit *Joannes Launoſius* in Diſſertatione *De vera Cauſa ſeceſſus S. Brunonis in Eremum*. Inter plura argumenta, quæ adducit ille Auctor, præcipua duntaxat, ut conſulam brevitati, ſeligam, ac perſtringam; in primis conſtat, non aliam fuiſſe cauſam ſeceſſus *Brunonis* in Eremum, quam vitæ ſolitariæ deſiderium, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola, quam ex Calabriæ finibus ad *Radulphum Viridem* Remenſis Eccleſiæ Præpoſitum ſcripſit, in qua diſerte aſſerit, Collationem, quam ſimul Remis habuerant, de opum & de-

Digitized by Google

litiatum terrenarum vanitate, & gaudiorum Cæleſtium æternitate, occaſionem ei dediſſe a mundi conſortio diſcedendi, & ſeveriora vitæ Monaſticæ Inſtituta ſectandi, eumque adhortarur, ut a ſeculi tempeſtatibus quamprimum ſe ſe ſubducat. De horrendo autem illo ſpectaculo hominis damnationem ſuam e feretro denuntiantis, ne minimum quidem verbulum habet S. *Bruno* in prædicta Epiſtola. Præterea, *Guibertus* Abbas Nongentinus l. 1. *de vita S. Brunonis* c. XI. ait, S. *Brunonem* mores corruptos *Manaſſis* Archiepiſcopi Remenſis peroſum ex urbe Remenſi diſceſſiſſe, &, ut ſæculo renuncIaret, ad Gratianopolitanum proceſſiſſe territorium. Conſilium itaque de Solitudine petenda inivit S. *Bruno*, & ab urbe Remenſi exceſſit ob improbos mores *Manaſſis* Remenſis Archiepiſcopi, non vero occaſione illius Doctoris, vel Canonici Pariſienſis redivivi, & inter ſolemnes exequias ſe damnatum eſſe ter in feretro inclamantis. Tertio, laudat *Launojus* Authores graviſſimos, cum veteres, tum recentiores, qui de Sancto *Brunone* & Carthuſienſibus agentes, eorumque mores exponentes, vel ordinem commendantes, terribilis illius Anaſtaſeos Doctoris, vel Canonici Pariſienſis poſt obitum redivivi, qui denuntiatione feralis de ſe judicii circumſtantes exterruiſſe fertur, ne per umbram quidem meminerunt. Quarto, nullum ſive in Annalibus Eccleſiæ Pariſienſis, ſive in Hiſtoria Academiæ Pariſienſis, ſive apud coævos & ſuppares Auctores, qui de Rebus Francorum ſcripſerunt, invenitur monumentum iſtius eventus, ſeu ſtupendæ Anaſtaſeos Doctoris vel Canonici Pariſienſis, ex quo altiſſimo ſilentio facile colligitur, prædictam Anaſtaſim non fuiſſe cauſam ſeceſſus S. *Brunonis* in Eremum, immo meram eſſe fabulam ducentis ferme annis poſt obitum S. Brunonis excogitatam, ſicut obſervat *Antonius Pagius* in Critica Baronii ad an. Chriſti MLXXXVI. Hinc jure optimo viri eruditi, qui Romani Pontificis mandato Breviarium Romanum correxerunt, ex Lectionibus in Feſto S. *Brunonis* recitandis hanc fabuloſam narrationem expunxerunt. Plura ad iſtam explodendam fabulam legeſis apud jam citatum *Launojum*, & apud *Egaſſium Bulæum* in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis. Carthuſienſium Ordinem fundavit S. *Bruno* non an. MLXXXVI. ut putavit *Baronius*, ſed an. MLXXXIV. ſicut doctiſſimus *Pagius* loco mox memorato oſtendit tum ex teſtimonio *Sigeberti* hujus temporis Scriptoris in Chronico, tum ex Charta, qua S. *Brunoni*, ejuſque Sociis *Cartuſiæ* ſolitudo conceſſa eſt, in qua conceptis verbis legitur, hanc *Cartuſiæ* Solitudinem a *Magiſtro Brunone*, *& ab his, qui cum eo erant, fratribus, cœpiſſe inhabitari & conſtrui anno ab incarnatione Domini* MLXXXIV. *Epiſcopatus vero domini Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi quarto*. Obiit *S. Bruno* in Calabria anno milleſimo centeſimo primo multis virtutibus clarus, ac plura reliquit ingenii ſui monumenta, præſertim Expoſitionem in Pſalmos, & Commentarium in omnes D. Pauli Epiſtolas, aliaque Opuſcula, quæ tribus voluminibus comprehenſa R. P. *Theodorus Petreus* Carthuſianus in lucem edidit Coloniæ anno MDCXI. Aliqua tamen Opera S. Brunoni Carthuſienſium Ordinis fundatori Petræus vindicat, quæ tamen *Maurus Marcheſius*, Panormitanus, Congregationis Caſſinenſis Monachus, S. *Brunoni* Aſtenſi, Signino Epiſcopo, tribuenda eſſe docet in Diſſertatione Hiſtorica *de S. Brunone Aſtenſi librisque ab eo conſcriptis*. Denique S. *Bruno* Carthuſienſium Ordinis fundator in ſanctorum numerum relatus eſt a *Leone* X. Pontifice maximo anno MDXIV.

D. Cum Ordinem Carthuſienſium ſumma ſemper a puero veneratione & ſingulari pietatis genere coluerim, optarem ut eorum mores, vitæque genus breviter hic deſcriberes.

M. Infinitus profecto eſſem, ſi omnia Elogia, quibus viri pietate & doctrina illuſtres Carthuſienſium Ordinem maxime commendarunt, hic inſerere vellem. Breviter dicam, Carthuſienſes vitam Angelicam in terris degentes, vel Angelos eſſe in carne ſoſpitantes, vel homines Angelicum ſpiritum habentes, & ſuaviſſimum omnium virtutum odorem, quo inculta, horridaque Eremus perfunditur, longe lateque ſpirantes. Vigent etiamnum apud Carthuſienſes abſtinentia a carnibus perpetua, jejunia ſeptem menſium abhinc ſex & amplius ſæculis nulla temporum injuria, nullis molliculorum artificiis violata; juge, altumque ſilentium, ſolitudo continua, modeſtia humana major, charitas ferventiſſima erga Deum, cui diu noctuque perſolvunt laudes; dilectio erga proximum effuſiſſima, admirabilis hoſpitalitas, qua omnes adventantes, abſque perſonarum acceptione, tecto, menſaque amantiſſime excipiunt. Mitto eorum lecti duritiem, palearum ſtramen, aſperum cilicii induſium, aliaſque id genus corporis macerationes, per quos arctiſſimos ſanctitatis calles incedentes pii illi Monachi, a primæva Inſtituti ſui ſanctiſſimi diſciplina nunquam hactenus degenerarunt.

D. Veniamus ad nobiliſſimum Ciſtercienſium Ordinem, cujus primordia, Fundatoris ſanctimoniam, Legumque ſeveritatem breviter exponas velim, ut inde conſtet, ſanctitatem, quæ eſt veræ Eccleſię Chriſti teſſera, ſoli Eccleſiæ Romanæ convenire, quippe quæ plures inſtituit Monachorum ſeu Religioſorum Ordines, ex quibus, poſtea innumeri prodierunt viri, qui ſanctitatis & doctrinæ ſplendore non minus fulſerunt, & etiamnum fulgent in terris, quam ſydera coruſcant in cælo.

M. Primo, nobiliſſimi Ciſtercienſis Ordinis fundamenta jacta ſunt in Galliis anno milleſimo nonageſimo octavo a B. *Roberto* Abbate Moliſmenſi, Ordinis Benedictini, licentia & aſſenſu *Hugonis* Archiepiſcopi Lugdunenſis Apoſtolicæ Sedis Legati, favente *Odone* Burgundiæ Duce, & annuente *Walterio* Epiſcopo Cabilonenſi, in cujus Diœceſi conſtructum eſt in loco uliginoſo & nemore vaſtiſſimo Monaſterium Ciſtercienſe totius Ordinis Caput, a Ciſternis, ut nonnulli putant, hoc nomen ſortitum. Sancti *Benedicti* Regulæ, propriiſque Statutis devincti ſunt Ciſtercienſes, quorum primus Abbas fuit jam laudatus B. *Robertus*; qui tamen ad Moliſmenſes ſuos Monachos juſſu *Urbani* II. Summi Pontificis redire coactus, Ciſtercienſibus Præpoſitum Abbatem *Albericum* Sanctitate non imparem reliquit. Hic ſecundus Ciſtercienſium Abbas novi confirmationem Ordinis a *Paſchali* II. Pontifice Maximo impetravit, eique in Regimine Ordinis Ciſtercienſium ſucceſſit *Stephanus*,

Digitized by Google

qui fuit tertius illius Ordinis Abbas ſanctitate conſpicuus, multaſque erexit Abbatias, inter quas eminent *Firmitas* Gallice *La Fertè* prima Ciſtercii filia in Diœceſi Cabilonenſi Anno MCXII. fundata; *Pontiniacum* Gallice *Pontigny*, ſecunda Ciſtercii filia, quatuor ab Antiſiodoro leucis Anno MCXIV. condita; *Cara Vallis*, tertia Ciſtercii filia, in Diœceſi Lingonenſi inſtituta an. MCXV. & *Morimundus*, quæ eſt Abbatia in Diœceſi Lingonenſi eodem anno excitata, & quarta Ciſtercii filia. Quatuor hæ Abbatiæ ſunt quaſi totidem Ciſtercii filiæ primigeniæ, ex quibus inde, velut rivi ex fonte, cæteræ omnes exortæ ſunt, ut videre eſt apud *Manriquem* in Annalibus Ciſterc. ubi de illis omnibus fuſe agit. Tres primi, quos laudavi, Ordinis Ciſtercienſium Abbates eximiæ ſanctitatis fama in Eccleſia claruerunt. *Honorius II.* litteris anno ſexto Pontificatus ſui, ſeu anno milleſimo centeſimo vigeſimo nono datis, poteſtatem fecit Monachis Moliſmenſibus Officium celebrandi de *B. Roberto* primo Abbate & fundatore Ordinis Ciſtercienſis in ea, qua ſacra ejus oſſa recondebantur, Eccleſia. Hi autem Monachi dicebantur *Moliſmenſes* a Sylva, quæ *Moliſmus* appellabatur, & erat in Epiſcopatu Lingonenſi ſita, ubi *B. Robertus*, antequam Ciſtercienſem Ordinem fundaret, cœnobium condidit & *diſcipulos magnæ religionis aggregavit*, inquit *Odericus* l. 8. Vitam *B. Roberti* primi Abbatis & Fundatoris Ordinis Ciſtercienſis ab Anonymo Monacho Moliſmenſi ſcriptam recitant Bollandiani ab diem XXIX. menſis Aprilis. Vitam *B. Alberici* Ciſtercienſis Ordinis ſecundi Abbatis ſcripſit *Chryſoſtomus Henriquez* in Faſciculo Sanctorum Ord. Ciſtercienſis, & ex eo *Bollandus* inter Acta Sanctorum menſis Januarii Tomo II. Denique, memoria *B. Stephani*, qui fuit tertius Abbas Ordinis Ciſtercienſis, ſacris Eccleſiæ Tabulis inſcripta eſt ad diem XVII. Aprilis, ejuſque vita ex Hiſtoricis Ordinis deſcripta legitur in Actis Sanctorum Bollandianis Tomo II. menſis Aprilis. Hæc pauca de tribus illis primis ſanctis Abbatibus Ciſtercienſibus obſervanda eſſe duxi, quia nunc pluribus ſunt ignoti, eo quod S. *Bernardus* Abbas Clarævallenſis, qui ſæculo duodecimo Ciſtercienſium Ordinem multum promovit, ac illuſtravit, eorum gloriam ſuo ſplendore obſcuravit. Quod certe nemini mirum videri debet, cum ipſimet Cluniacenſes plus tribuant *S. Odoni*, qui tamen fuit tantum ſecundus Cluniacenſis Abbas, quam *B. Bernoni*, qui fuit primus Cluniacenſis Abbas, & Congregationis Cluniacenſis fundator, adeo ut Cluniacenſes inter *ſui Ordinis Principes, & Præceptores* non numerarint *B. Bernonem*, teſte *S. Bernardo*, qui in Apologia ad *Guillelmum* Abbatem hæc habet: *Sic Sancti Odo, Majolus, Odilo, Hugo, quos ſe ſui utique Ordinis Principes & Præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri conſueverunt.* Hinc apud *Petrum* venerabilem in lib. 6. Epiſt. 15. *Odo primus Cluniacenſis Ordinis pater* laudatur. Quod ſane apud Cluniacenſes non alia ratione factum eſſe crediderim, niſi quia S. *Odo* Congregationem Cluniacenſem a S. *Bernone* inceptam & fundatam late propagaverit, plurima Monaſteria conſtruxerit, ac tandem perficiens quod *S. Berno* feliciter inchoaverat, majorem apud Cluniacenſes, quam *S. Bernoni*, nominis ſplendorem obtinuerit.

De præclaris Priſcorum Ciſtercienſium Inſtitutis, ac moribus plura hic dicenda occurrerent, ſed, ne longior ſim, pauca de his delibabo ex Epiſtola LXXXII. *Petri Bleſenſis* ad Abbatem & Conventum Ciſtercienſem, ubi hæc habet: *Inter univerſas Ordinum varietates, quibus decorata eſt Sponſa Chriſti, nullus Ordo virtute flagrantior, nullus ſancti nominis odore ſuavior eſt in Chriſto, quam veſter .... Una omnium vox eſt, quia Ciſtercienſis Ordinis Profeſſores tanto differentius, præ cæteris triumphales ſanctitatis titulos referent, quanto expreſſius Religionis Apoſtolicæ veſtigiis inhæſerunt; cum in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigiliis, in Confeſſionibus, in diſciplinis, in Pſalmis, in humilitate, hoſpitalitate, obedientia, charitate & cæteris, quibus fructus vitæ ſeminatur in terris, deprimatis carnem, ſpiritum erigatis.* Et in Ep. LXXXVI. ad Magiſtrum *Alexandrum*, qui e Carthuſienſi ad laxiorem Ordinem migrare decreverat, ſic ſcribit idem Petrus Bleſenſis: *Ferrem patientius, ſi ad Ciſtercienſis Ordinis obſervantiam te transferres. Si enim in propoſito Religionem habes, ibi probatiſſimæ Religionis ſchola eſt, ſummus ibi modeſtiæ uſus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obſequela, diſciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis ſervitus, hoſpitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, devotio Pſalmodiæ.* Hæc fuit arctiſſima antiquorum Ciſtercienſium vitæ diſciplina, quæ etiamnum ſummo Dei beneficio in pluribus eorum Monaſteriis viget, inter quæ, velut inter aſtra ſol, refulget in Galliis Abbatia vulgo dicta de *l'Atrape* circa fines Diœceſis Carnotenſis a clariſſimo & religioſiſſimo Abbate de *Rancè* reſtaurata, in qua Ciſtercienſes non ſolum Regulam S. Benedicti, præcepta & veſtigia ad unguem ſequuntur, & ad litteram obſervant; ſed etiam modum vivendi *S. Bernardi* incredibili fervore æmulantur, hominum conſortia fugiunt, avias ſolitudines perſequuntur, operantur manibus ſuis, otio perpetuum bellum indicunt, & a carne, piſcibus & ovis jugiter abſtinent. Divina Officia cum tanta ſolemnitate & devotione noctu diuque celebrant, ut Angelos imitentur. Tantam ori ſuo ponunt cuſtodiam, tantum oſtium labiis ſuis, ut perenne ſilentium ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Hanc auſteram vivendi normam, quæ in Abbatia de *l'Atrape* ad ſummos Regulæ apices obſervatur, in nonnulla alia tam in Gallia, quam in Italia Ciſtercienſium Monaſteria nuper inductam fuiſſe plurimum in Domino gaudemus, nec poſſumus, quin exclamemus cum *S. Bernardo*, ſermone I. in Dedicatione: *Mirabilis plane Deus in ſanctis ſuis, non modo in cæleſtibus, ſed etiam in terrenis. Utrobique ſanctos habet, & in utriſque mirabilis eſt; illos quidem beatificans, iſtos ſanctificans. Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adoleſcentes, tot nobiles, univerſi denique, quos hic video, velut in carcere aperto tenentur ſine vinculis, ſolo Dei timore confixi: quod in tanta perſeverent afflictione pœnitentiæ, ultra virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem?* Sic ab initio ipſe erga ſanctiſſimam illam Ordinis Ciſtercienſis Reformationem fui animatus, ſic eam conſtanti ac perpetua voluntate colo, ut multa mihi ſcribenti veniant in mentem, quæ de ea magni-

Digitized by Google

gnifice & vera com laude prædicare poſſem. Sed tam excelſo atque illuſtri loco ſita eſt illius ſanctitatis fama, ut vana præconiorum reſpuat ornamenta, & humano faſtigio celſior noſtris laudibus nec creſcere poſſit, nec delectari.

D. Quis eſt iſte Ordo *S. Antonii*, quem undecimo Eccleſiæ ſæcolo fuiſſe inſtitutum nuperrime narrabas?

M. Cum graviſſimus morbus, qui *Sacer ignis* appellatur, ſæculo undecimo in Galliis late graſſaretur, multique eo tacti conſumerentur, *huic tam horrendæ calamitati*, inquit *Aymarus Falco* in Hiſtoria Ordinis S. Antonii parte 2. cap. 31. *præſentiam atque efficaciſſimum remedium afferre perſpecta eſt devota imploratio patrocinii atque interceſſionis beatiſſimi Antonii Abbatis*, cujus corpus e Thebaide in Galliam aſportatum, apud *Motam* (Oppidum non longe ab urbe Viennenſi in Delphinatu poſitum) aſſervabatur, illuc undique confluentibus populis, complures ope S. *Antonii* Abbatis ſanitatem receperunt, & in primis *Gaſto*, vir nobiliſſimus, & *Girinus* ejus filius, qui ſtatim ac meritis S. *Antonii* ſanitate fuerunt donati, votum noncuparont ſerviendi ægris, qui ſacro igne conſumpti ac mutilati perpetua calamitate vivebant. *Gaſtoni*, ejuſque filio *Girino* in hoc ſancto propoſito ſeſe haud molto poſt adjonxerunt octo viri, & piam inter ſe ſocietatem & fraternitatem ſæcularem inierunt anno milleſimo nonageſimo quinto; Sed hæc pia ſocietas in religioſom Ordinem non evaſit ante ſæculum decimum tertium, ſeu ante annum milleſimum ducenteſimum decimum octavum, quo *Falco*, qui piæ huic ſocietati præerat, ſe, ſuoſque ſolemnibus votis obſtringere meditatus eſt, idque ab *Honorio* III. Pontifice Maximo obtinuit, a quo tempore Antoniana Congregatio, quæ per centom viginti tres annos nulla vota emiſerat, eratque dumtaxat pia quædam ſocietas ſæcularis, ad ſtatum Religionis & Ordinis S. *Antonii* evecta fuit. Tandem *Bonifacius* VIII. Bulla ſua quarto Idus Junii anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi ſeptimi data Prioratum S. *Antonii* in poſterum Abbatiam eſſe volnit. Religioſos ejuſdem Ordinis, Canonicos Monaſterii S. *Antonii* ſecundum Regolam S. Auguſtini declaravit, ſervato ſigno *Tau*, ſeu Cruce cærulea, quam veſtibus intextam ſemper gererent; & *Aymonem* primum Abbatem Generalem Ordinis Caput renunciavit. Hujus Antoniani inſtituti plurima Monaſteria paulatim erecta ſunt per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam aliaſque Orbis Chriſtiani Provincias, ut narrat *Aymarus Falco* in Hiſtoria Antoniani Ordinis.

Hic nonnullas Obſervationes, originem & propagationem Ordinis Canonicorum Regularium ſpectantes, quas ex claſſicis Scriptoribus, potiſſimum ex *Mabillonio*, *Thomaſſino*, *Gerardo Du-Bois*, *Antonio Pagio*, *Tillemontio*, Abbate *Fleury*, & aliis, ſtudioſe diligenterque collegeram, inſerere meditabar; quas tamen a me jam licet in ordinem digeſtas, ac prælo maturas, ſchedis meis premere, & intra domeſticos cohibere parietes neceſſarium omnino duxi. Prodiit ſiquidem Decretum a Sacra Congregatione *Indicis* latum, quo, ad comprimendam graviſſimam controverſiam, quæ paucis ab hinc annis RR. PP. Benedictinos inter & Canonicos Regulares de prærogativa honoris & ſui Ordinis antiquitate in Germania emerſit, magnoque animorum æſtu hinc inde diſceptata eſt, utriſque parti ſilentium indictum eſt, ac diſtricte vetitum, ne quis ad alterutram opinionem quocumque prætextu ventilandam, vel minimam lucubrationem, aut ſcriptionem quamcumque in lucem deinceps emittere præſumat. Ut igitur huic Sacræ Congregationis Decreto, ea, qua par eſt, veneratione, morem geramus, originem & propagationem Ordinis Canonicorum Regularium in præſentia conſulto prætermittam, & ne invidioſam litem repetere, obligataque jam vulnera intempeſtive refricare videar, paci altiſſimo ſilentio litabo, ſecutus conſilium Apoſtoli, Epiſtolæ 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 16. ubi ait: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*, & in Epiſtola ad *Titum* cap. 3. verſ. 9. *Genealogias*, inquit, *& pugnas legis devita, ſunt enim inutiles, & vanæ*.

D. Congregationem Eremitarum Fontis Avellani ſæculo undecimo per *S. Petrum Damianum* maxime inclaruiſſe, & in Congregationem Camaldulenſem poſtea coaluiſſe, memini, te nuper obſervaſſe. At ſcire velim, num iſti Eremitæ Congregationis Fontis Avellanæ, quos inter vixit Sanctus *Petrus Damianus*, diverſi fuerint ab Eremitis Congregationis Camaldulenſis, cujus Inſtitutor fuit S. *Romualdus*, & quænam Statuta in vitæ Eremiticæ profeſſione ſibi præfixerint obſervanda?

M. Etſi Fontis Avellani Eremum ante centum circiter annos Ordini Camaldulenſi adjuncta fuiſſe in confeſſo ſit apud omnes, ſunt attamen aliqui moderni Scriptores, qui autumant, S. *Petrum Damianum*, & alios Eremitas Congregationis Fontis Avellanæ antiquitus non agnoviſſe S. *Romualdum* ut Magiſtrum & Inſtitutorem ſuum, ac ſubinde illos inter Monachos Camaldulenſes cenſeri minime debere. At doctiſſimus P. *Guido Gradus* Monachus Camaldolenſis edidit Lucæ anno MDCCVII. quatuor *Diſſertationes Camaldulenſes*, in quarum poſtrema multis momentis evincit, S. *Petrum Damianum*, & cæteros Monaſterii Fontis Avellani Anachoretas Camaldulenſis Inſtituti fuiſſe. Et ſane in dubium, mea quidem ſententia, revocari haud poteſt, S. *Petrum Damianum* ſin minus S. *Romualdi*, Ordinis Camaldulenſium Fundatoris, auditorem, ſaltem ejus Diſcipulorum alumnum fuiſſe, eumque in multis a S. Romualdo conſtructis, vel ſub ejus diſciplina militantibus Eremis ac Cœnobiis commoratum fuiſſe, & ejuſdem Inſtituti lacte nutritum. Conſtat ſiquidem, Monaſterium Fontis Avellani, in quo, ut ſuperius diximus, S. *Petrus Damianus* Eremiticam vitam profeſſus eſt, a S. *Romualdo* quondam inhabitatum, & a B. *Ludulpho* ejus Diſcipulo fuiſſe inſtitutum. Fuit igitur S. *Petrus Damianus* ejuſdem Inſtituti ſocietate cum Diſcipulis S. Romualdi unitus, alioqui in eorum Cœnobiis permanere non potuiſſet. Quin, & ipſemet S. *Petrus Damianus* hanc communis Inſtituti ſocietatem inter ſe & S. *Romualdi* Diſcipulos aperte declarat in *Prologo Vitæ*, quam deſcripſit S. *Romual-*

mual-

Digitized by Google

mualdi, ubi diſerte ſignificat, *ſe ab egregiis*, qui ſuperſtites erant, *S. Romualdi* Diſcipulis compulſum fuiſſe ad ejus geſta litteris conſignanda: *Multorum*, inquit, *Fratrum precibus, & germana charitate devinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregiis ejus Diſcipulis didici, aggrediar, Deo auctore, deſcribere*. Nimirum *S. Petrus Damianus* eodem Religionis fœdere putabat, ſe cum Diſcipulis S. *Romualdi* conjunctum, quo germani fratres ab eodem patre progeniti debent invicem quibuſdam amoris & charitatis vinculis eſſe obſtricti. Hinc eſt, quod (recte doctiſſimo *Ludovico Thomaſſino* par. 1. libri tertii c. 25. *De Veteri & Nova Eccleſiæ Diſciplina*) idem *S. Petrus Damianus* nonnullos, qui contra Inſtitutum S. Romualdi oblatrabant, compreſſit, illudque vindicavit in epiſtola duodecima libri ſexti, in qua ſe & ſuos præſertim tuetur a cujuſdam Abbatis impugnatione, qui conqueſtus erat, quod Monachum e ſuo Monaſterio egreſſum, contra S. Benedicti Regulam, recepiſſet. *Succenſetis*, inquit, *ac nos conquerentes arguitis, quia non debuimus veſtros Monachos in Eremo contra B. P. Noſtri Benedicti præcepta ſuſcipere*. Oſtendit autem S. *Petrus Damianus*, voluiſſe dumtaxat S. *Benedictum* in ſua Regula occurrere vagationi Monachorum ex uno in aliud Cœnobium, ſed eum non prohibere, immo potius hortari omnes, ut ex Cœnobitica ad perfectiorem Eremitarum vitam ſeſe transferrent. Ex hac porro Inſtituti Sancti *Romualdi* defenſione, quam ſibi, ſuiſque neceſſariam ſuſcepit S. *Petrus Damianus*, liquido patet, adeo coincidiſſe *Romualdi*, & *Petri Damiani* inſtitutum, ut unius defenſio, alterius Apologia cenſeretur. Id totum confirmare placet verbis *Ludovici Thomaſſini*, in Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica verſatiſſimi, qui loco mox a me laudato hæc habet: *Scripſit Romualdi Vitam Petrus Damiani, ſcripſit & Apologiam. Confeſtim his Anachoretis ſummæ ad perfectionis columen reluctantibus obtrectari captum eſt, quod ſemitam tenerent, quam non præmonſtraſſet, non tenuiſſet B. Benedictus, quodque ſuo cœtui aggregarent Monaſteriorum B. Benedicti deſertores. His ora obturabat Petrus Damiani hoc reſponſo: Caveri a B. Benedicto, ne Abbates alii aliorum Monachos admitterent dum cogniti ſibi mutuo eſſent Caveat* (inquit Regula cap. 61.) *Abbas, ne aliquando de noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis ſui; ſed Priores Anachoretarum ea prohibitione non implicari*. Quibus verbis palam indicat Thomaſſinus, S. *Petrum Damianum* pro Inſtituto *Romualdi* Apologiam adornaſſe, & in ea ſui, ſuorumque vindicias egiſſe, ac ſubinde illum ſub S. *Romualdi* Diſciplina militaſſe. Idem etiam in ſuis Diplomatibus profitentur duo Summi Pontifices *Gregorius XV.* & *Urbanus VIII.* qui *S. Petrum Damianum* appellant *Decus & Gloriam Ordinis Camaldulenſis*. Addo denique, Fontis Avellani Cœnobii Eremitas, quibus præfuit *S. Petrus Damianus*, mutua olim ſocietate cum Camaldulenſibus conjunctos, in Hoſpitii & ſuffragiorum communionem receptos, habitu, ſeu formam reſpicias, ſimillimo uſos eſſe, eorumque Statuta adeo convenire cum illis, quæ S. *Romualdus* Eremitis præſcripſit, ut eodem pene calamo, certe eodem ſpiritu dictata videantur; vel ſi qua interſit differentia, ita levis illa ſit, ut vix inter ejuſdem individuæ Congregationis diverſa Monaſteria levius diſcrimen notari queat, nec major pro diverſitate locorum poſſit obſervari conſenſio, ſicut late probat jam citatus *Guido Grandus*, Monachus Camaldulenſis in ſuis *Diſſertationibus Camaldulenſibus*. His, & aliis id genus rationibus permotus, aſſerere nullus dubito, *S. Petrum Damianum*, cæteroſque Congregationis Fontis Avellanæ Eremitas ſemper fuiſſe S. *Romualdi* Diſcipulos, ſeu Inſtituti Camaldulenſis alumnos. Ex hac Congregatione Eremitarum Fontis Avellani quinque ab *Ughello* in *Italia Sacra* recenſentur Anachoretæ, qui undecimo Eccleſiæ ſæculo fuerunt diſcipuli S. *Petri Damiani*, & poſtea Epiſcopi Eugubini, videlicet *Theobaldus*, *Rodulphus*, *Maynardus*, *Julianus*, & *Joannes*. Vitam *Rodulphi* ſcriptam a S. *Petro Damiano* recitat *Mabillonius* par. 2. ſæculi VI. Benedictini, quod eſt Eccleſiæ undecimum. *Joannes* vero, *Laudenſis* cognominatus, is ipſe eſt, qui, ut ſuperius diximus, ſcripſit Vitam S. *Petri Damiani*, & obiit anno MCVI. ſeptimo Idus Septembris, Sanctorum Faſtis a *Paſchali* II. Pontifice Maximo adſcriptus eſt, ejuſque Vitam poſt *Ferrarium*, & *Ughellum* deſcripſerunt Bollandiani. Celebris etiam inter Diſcipulos S. *Petri Damiani* fuit S. *Dominicus Loricatus*, cujus Vitam inſeruit *Mabillonius* ſæculo VI. Benedictino ad annum MLXXII. Alios Congregationis Fontis Avellanæ Eremitas Sanctimonia inſignes in ſuis Scriptis memorat S. *Petrus Damianus*, præſertim in Opuſculo 51. quod *de Vita Eremitica* inſcribitur. Legi etiam poteſt *Jacobillus*, qui tom. 3. *de Sanctis ac Beatis Umbriæ* poſt Vitam B. *Ludulphi*, Diſcipuli S. *Romualdi*, & Cœnobii Eremitarum Fontis Avellani Fundatoris, enumerat ſeptuaginta quatuor Anachoretas, qui in hocce Monaſterio maxima eximiæ ſanctitatis laude præfulſerunt.

D. Quibuſnam Statutis regebantur iſti Eremitæ Congregationis Fontis Avellanæ, quos Chamaldulenſi Inſtituto fuiſſe addictos hactenus ſat ſuperque probaſti?

M. Complura, eaque auſtera admodum Eremitarum Congregationis Fontis Avellanæ Statuta refert S. *Petrus Damianus* in ſuis Operibus, præſertim in Opuſculo 15. ubi agens de Monaſterio, quod ipſemet in Suavicinio Monte conſtruxerat, hæc capite ſexto ſcribit: *Unde fit, ut in illa Eremo, quam, auctore Deo, in latere Suavicinii Montis ipſi conſtruximus, pulmentum, præter unum, cunctis pene temporibus, penitus ignoretur. A vino autem aliquanto tempore continuimus, ita ut neque laici, neque extrinſecus venientes, vel etiam in Paſcha Domini aliquid hic præter aquam biberent, neque vinum hic, niſi pro ſacrificio haberetur. Sed quoniam & hic manentes cœperunt ægrotando deficere, & quidam ad Eremiticam vitam tranſire cupientes, hujus rigoris obſervantiam videbantur penitus abhorrere, fraternæ, ſive, ut verius dicam, communi imbecillitati diſpenſatorie condeſcendentes indulſimus, ut vinum, ſervato ſobrietatis moderamine, biberetur*. Et c. 11. ejuſdem Opuſculi ait: *Illud etiam non minima pœnitentiæ pars eſt, quod omni tempore, ſive æſtate, ſive hyeme, non calceis, non ocreis utuntur in cellulis, ſed nudis ſemper cruribus, & pedibus conſuetudo eſt permanere, exceptis his, qui gravi*

Digitized by Google

moleſtia infirmitatis urgentur. Tenebantur etiam Eremitæ Congregationis Fontis Avellanæ, ex Inſtitutione S. *Petri Damiani*, Officium B. M. Virginis vel in Choro communiter, vel privatim in ſuis cellis quotidie recitare, ſicut colligitur ex ejuſdem S. *Petri Damiani* Vita c. 15. & in eius epiſtola 32. libri ſexti, ubi Monaſterium S. Vincentii divinitus afflictum narrat ob intermiſſum B. Mariæ Virginis quotidianum Officium, nec niſi poſt peractam neglecti hujus penſi pœnitentiam, & ſeriam hujus conſuetudinis deinceps inviolabiliter obſervandæ promiſſionem, priſtinæ tranquillitati Cœnobium illud Eremitarum Congregationis Fontis Avellanæ redditum eſſe aſſeverat. Miſſa facio, brevitatis ergo, cætera horumce Eremitarum circa Jejunia, Vigilias, Diſciplinas, Statuta, & ſpiritualis exercitii ſtudia, quæ legi poſſunt apud S. *Petrum Damianum*.

D. Impenſe quidem laudo prudentiam S. *Petri Damiani*, & aliorum Eremitarum Congregationis Fontis Avellanæ, qui jugem illam a vino abſtinentiam, cui ſeſe a principio in Eremo addixerant, poſtea *ob communem imbecillitatem* temperarunt, & ne Eremum omnibus horridam, & exoſam redderent, permiſerunt, ut vinum, *ſervato ſobrietatis moderamine, biberetur.* Hanc prudentem œconomiam vehementer ipſe optarem, ut itidem ſequerentur Monachi Carthuſienſes, de quorum Sanctiſſimo Inſtituto plura jam in hocce noſtro Colloquio diſſeruimus. At enim, ut candide fatear, necdum intelligo, qui poſſit hæc lex, ſeu conſuetudo, quæ etiamnum viget apud Carthuſienſes, abſtinendi a carnibus, etiam in extremo vitæ periculo, conciliari cum lege naturali, qua unicuique vitam ſuam conſervandi neceſſaria incumbit obligatio. Dicas igitur, queſo, an Carthuſianus ægrotus teneatur abſtinere a carnibus, & vitam potius amittere, quam carnes (etiam ſecreto) comedere?

M. Ut faciam ſatis huic difficultati, quam ad elucidandam Monaſticam Carthuſienſium Diſciplinam non abs re propoſuiſti, ea in ſummam hic redigam, quæ noſter *Franciſcus Victoria* in Relectione nona de *Temperantia*, & *Franciſcus Sylvius* in ſuis Commentatiis in primam ſecundæ S. Thomæ qu. 96. art. 4. ad Quæſitum 7. perdocte in hanc rem ſcripſerunt. In primis duo illi graviſſimi Scriptores docent, non licere Carthuſiano ægrotanti veſci, etiam ſecreto, carnibus, ſi alii ſuppetant cibi, quibus impedire poſſit ne fame pereat. Hæc quippe conſuetudo abſtinendi a carnibus, etiam in morbis, in quibus vita maxime periclitatur, vim habet præcepti & legis, & quidem toto Carthuſienſium approbante Ordine. Eam autem conſuetudinem juſtam eſſe ex eo potiſſimum evincitur, quod valat in bonum ſpirituale Ordinis, quam ſi ſemel relaxarent Carthuſiani, & in morbis graviſſimis permitterent fratribus veſci carnibus, ſenſim ſine ſenſu totius diſciplina teſceret, & primo quidem in caſibus periculoſis, dein vero ad multos alios caſus diſpenſatio paulatim traheretur, præſertim cum Medici ſæpe ſæpius morbos inveniant, quibus curandis, vel utilem, vel neceſſarium judicent eſum carnium, unde tandem contingeret, ut omnes graves morbi eſſent occaſio ſolvendæ carnium abſtinentiæ, & Carthuſienſes paſſim in Infirmariis veſcerentur carnibus. Ut igitur, inquit *Sylvius*, iſta ſancta Religio maneat in ſuo vigore, laudabile ac honeſtum eſt, quod etiam in articulo mortis a carnibus abſtineant, idque non tantum coram aliis, ſed etiam in ſecreto. Dum enim ſcitur, Conſtitutionem ita ſtricte obſervari, ut ne ſecreto quidem & urgente mortis periculo, carnibus veſci liceat, fit ut Religioſi eam exactiſſime ſervent, neque diſpenſationes quærant, neque ab Inſtituti ſui avita Diſciplina ac vigore deflectant. Fateor quidem quemlibet lege naturali teneri conſervare vitam ſuam. At illa lex naturalis de vita propria conſervanda non obligat ſimpliciter & abſolute pro omni caſu vel eventu, ſed ſub conditione, niſi cauſa aliqua honeſta, & gravis aliud poſtulet. Nec enim ſemper quis tenetur ſervare vitam per omne medium licitum, ut liquido patet in multis caſibus, ubi aliquis propriam poſſet defendere vitam, & tamen ad conſervationem virtutis patientiæ permittere poſſet ſe ab aggreſſore occidi, non ſecus ac Martyres, qui ad perhibendum fidei teſtimonium recte permiſerunt ſibi inferri necem. Uxor etiam poteſt cum vitæ ſuæ periculo aſſidere & aſſiſtere viro ſuo peſte laboranti, quamvis non deeſſent perſonæ, quæ ipſum juvare poſſent. Poſtremo non tenetur aliquis ad conſervationem vitæ mutare ſolum, ſeu de conſilio Medicorum deſerere patriam & in externas regiones proficiſci, nec prolongare vitam ſuam per alimenta, quantum poteſt, nec ſumere cibos delicatiſſimos, & medicinas pretioſiſſimas, ſed nec in mortis articulo mollia accipere ſtramenta, ſi ad exemplum pœnitentiæ humi, vel in aſpero aliquo loco, ſicut, dum ſanus erat, quieſcere ſolebat, vitam finire velit, alioqui damnari deberent auſteritates Monachorum, jejunia Eccleſiaſtica, & exempla Sanctorum, præcipue S. *Martini* Epiſcopi Turonenſis, qui, teſte *Severo Sulpicio* in ejus vita, cum illius Diſcipuli ei in extrema ægritudine conſtituto ſuaderent, ut pateretur molliora ſtramina corpori ſuo ſupponi, reſpondit: *Non decet Chriſtianum niſi in cinere mori; ſinite fratres; ego ſi vobis aliud exemplum relinquo, ipſe peccavi*. Quapropter, cum Carthuſianis juſta ſemper adſit & legitima cauſa abſtinendi a carnibus, etiam in extremo morbi cujuſvis periculo, videlicet ne eorum Regula relaxetur; lex naturalis de vita propria conſervanda non illos adſtringit, ut, dum alii cibi ſuppetunt, ad ejus conſervationem carnibus utantur, etiamſi alioquin ſint morituri.

D. Sed, ſi Carthuſianus in extrema neceſſitate, ſeu in ſummo vitæ diſcrimine verſetur, nec ei alii cibi, præter carnes ſuppetant; quid, amabo, illo in caſu facto opus erit? numquid etiam tunc tenebitur, ne carnes comedat, ſeſe fame enecare?

M. Eo in caſu docent duo graviſſimi mox a me citati Theologi, & *Joannes Gerſonius* Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarius, in Tractatu, quem edidit *de Abſtinentia Carthuſienſium*, non ſolum poſſe, ſed debere Carthuſianum veſci carnibus, idque probant primo, ut habetur Capite, *ſicut de Conſecratione diſtinct.* 1. extrema neceſſitas excuſat ab obſervatione legis humanæ. Secundo, quia ſi Carthuſianus eo in caſu non veſceretur carnibus, eſſet ſui ipſius homicida, juxta illud Sancti *Ambroſii*: *Paſce fame morientem, ſi non paveris, occidiſti*. Nemo autem dicet, Carthuſianum in ea, de qua agitur, circumſtantia conſtitutum, damnatum eſſe ut fame pereat, aut legem Carthuſianis de abſtinentia carnium impoſitam ejuſmodi caſum unquam expreſſiſſe, ad

quem

quem proinde ſeſe extendere minime debet, cum favores, ut habetur in jure, ſint ampliandi, & odia reſtringenda, præſertim cum agitur de conſervatione vitæ. Denique, quando duæ leges inter ſe pugnant, minor debet cedere majori, ac ſubinde in caſu propoſito Carthuſianorum lex debet cedere legi naturali, quæ major eſt, & præcipit conſervationem vitæ. Poteſt itaque, immo & debet Carthuſianus, in extrema neceſſitate, & in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus, comedere carnes, ſi nullum alium cibum habeat, nec habere poſſit, & fame alioquin ſit moriturus. Quod ſi forte aliqui ſcandalum paſſuri eſſent videndo Carthuſianum eo in caſu propoſito veſci carnibus, ratio extremæ neceſſitatis eis declaranda eſſet, priuſquam eas comederet. Sed, ſi non obſtante illa declaratione, inde tamen apud aliquos oriretur ſcandalum, non eſſet illud curandum, inquit *Sylvius*, nec propterea ab eſu carnium abſtinendum, quia iſtiuſmodi ſcandalum non eſſet datum, ſed acceptum, cum unicuique evidens eſſe debeat quod in extrema neceſſitate, in qua ad conſervationem vitæ nulli alii cibi, præter carnes, ſuppetunt, eſus carnium licitum ſit.

D. Complectere, quæſo, nunc ſub una & eadem ſerie cætera, quæ generatim ſpectant diſciplinam Monaſticam undecimi potiſſimum ſæculi.

M. Vigebat adhuc undecimo ſæculo antiquus mos in Eccleſia receptus, quo pueri a parentibus religioſæ vitæ conſecrari, & Monaſteriis aſſerri ſolebant, cujus puerorum oblationis a parentibus Monaſteriis factæ tres formulas edidit doctiſſimus, & de Diſciplina Monaſtica optime meritus *Joannes Mabillonius to. 3. Veterum Analectorum*. Monachi ad Profeſſionem ante annum decimum quartum ætatis completum non admittebantur. Ad Eccleſiaſticas dignitates & hierarchica munia paſſim aſſumebantur Monachi præſertim ex congregatione Cluniacenſi. Ex quo facile refellitur calumnia quorumdam Status Monaſtici æmulorum, qui undecimo ſæculo aſſerebant, Monachos ad Hierarchicos gradus & officia promoveri non debere, quos obtrectatores Synodus Nemauſenſis, Præſide *Urbano* II. anno milleſimo nonageſimo ſexto celebrata damnavit Canone ſecundo his verbis: *Sunt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes, Monachos, qui mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, Sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, aut Chriſtianitatem, ſeu abſolutionem largiri poſſe per Sacerdotalis officii injunctam gratiam; ſed omnino falluntur*. Epiſcopi ex Monaſteriis aſſumpti Monaſticum habitum, & vitæ Regularis Inſtituta ſervare tenebantur. Immunitates & privilegia Monaſteriis conceſſerunt Romani Pontifices undecimi ſeculi, quia Epiſcopi ſua authoritate abuſi, Monachos & ſanctimoniales infeſtabant, ſicut teſtatur *Gregorius* VII. ſummus Pontifex in Epiſtola 69. l. 2. ad *Cunibertum* Epiſcopum Turinenſem data, qui Monachis Abbatiæ S. Michaelis moleſtus erat. S. etiam *Anſelmus* ad *Urbanum* II. Summum Pontificem ep. 22. l. 2. pro ſuo Beccenſi Monaſterio ſcripſit, in qua conqueritur de iſtis Epiſcoporum gravaminibus, quæ ſeu præſentia, ſeu quæ merito metuebantur, in cauſa fuerunt, cur Monachi ſeculi undecimi privilegia a Sede Apoſtolica poſtularint; & immunitatem ab Epiſcopali juriſdictione obtinuerint. Sed de Monaſtica diſciplina hactenus ſatis.

D. Cum Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam Monaſtica, quæ ſæculo decimo pene collapſa erat, feliciter undecimo ſæculo fuerit reſtituta, facile mihi perſuadeo, Summos Pontifices, & Paſtores ejuſdem ſeculi undecimi, nihil tam curæ ac cordi habuiſſe, quam ut primitivæ Eccleſiæ formas ac regulas morum revocarent, vitia & abuſus, qui, heu nimium! ſæculo decimo invaluerant, penitus extirparent, & ſacri Conciliorum Canones, quibus doctrinæ moralis vigor munitur, ac ſanctitas illibata cuſtoditur, adamuſſim obſervarentur, vigentes tenerentur, collapſi reſtaurarentur, omneſque Chriſtiani ad bene beateque vivendum purioris, ſaniorisque doctrinæ moralis documenta ſequerentur.

M. Quamvis pravos corruptoſque fuiſſe decimi ſæculi mores negari non poſſit, nullus tamen in tanta perditiſſimorum morum licentia repertus eſt, qui doctrinæ moralis puritatem novellis adinventis opinionibus, & ſubtilibus quibuſdam diſtinctiunculis, exceptionibus, & tergiverſationibus corrumpere, enervare, aut labafactare tentaverit. Graſſabantur, fateor, ſæculo decimo ſimonia, libido, ambitio, legumque divinatum, & humanarum contemptus, nullum tamen Doctorem, nullum Scriptorem, nullum iſtius ſæculi Epiſcopum fuiſſe legimus, qui Chriſtianæ Moralis doctrinæ integritatem laxis opinationibus fœdarit, hominum cupiditatibus lenocinari ſtuduerit, a it diverticula quæſierit ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſed potius ex Operibus Scriptorum illius ſæculi præſertim *Ratherii* Epiſcopi Veronenſis facile intelligimus, eos ſacram legis & Ethices Chriſtianæ doctrinæ ſeveritatem impenſe coluiſſe, in vitia, quæ ea ætate late ſerpebant, acriter invectos eſſe, nihilque in ſuis Scriptis tam frequenter Clericis inculcaſſe, quam ut pravos mores emendarent, & ſacros Canones ſpiritu Dei conditos & firmatos, ac totius Orbis reverentia conſecratos tenerent, atque jugiter præ oculis haberent tanquam normas & regulas morum fixas, immobiles, immutabiles, & veluti cæleſtia Inſtituta ad bene informandam in temporum perpetuitate Chriſtianorum vitam omnino neceſſaria. Scilicet ſæculo decimo, licet, corruptiſſimo, ignota adhuc erat Lesbia illa morum Regula, qua nonnulli poſtremis hiſce temporibus ad exſufflandum rigorem Canonum, duras Chriſtianæ Ethices normas cereis, teneris, flexibilibus, & in quam velis formam ductilibus Inſtitutis mollire, ac depravare conati ſunt, eaſque ad nihilum redegiſſent, niſi Summi Pontifices, & Eccleſiarum Præpoſiti ejuſmodi corruptelas ac nefaria dogmata cenſuris confixiſſent, atque natalitiis tenebris omnino damnaſſent. Cæterum, quamvis ſæculo decimo Ethices Chriſtianæ doctrina nullis corruptelis, laxiſve opinionibus fuerit inquinata, certum tamen eſt, pravos ac corruptos cum Clericorum, tum Laicorum mores magna Eccleſiæ damna intuliſſe, ad quæ reparanda haud parum contulerunt innumera virtutum Chriſtianarum documenta, quæ dictis factiſque tradiderunt Congregationes & Ordines Monachorum, & Regularium, quos ſæculo undecimo inſtitutos fuiſſe jam obſervavimus. Puduit enim multos mortalium in luto vitiorum demerſos hærere, cum cernerent ſanctos homines, neglectis ſæculi honoribus, contemptiſque perituris voluptatibus, per arduum iter contendere ad æternas opes, & ad immortalem gloriam adipiſcendam omnes ſuas curas ac cogitationes conferre. Complures in novis iſtis Congrega-

Digitized by Google

gationibus & Ordinibus Monaſticam, vel Regularem vitam amplexi, patrimonia relinquere, ſpes ſæculi abjicere, & acetbam quidem, ſed ſanctam Chriſtianamque diſciplinam ſubire non dubitarunt. Summi etiam Pontifices omnem diligentiam adhibuerunt, ut vitia, quæ in agro Eccleſiæ ſuccreverant, evellerent, Clericos ad meliorem frugem reducerent, & ad divinæ legis ſacrorumque Canonum obſervationem incitarent. Hinc Synodos ſæpius celebrarunt, Decreta ediderunt, ſevera judicia juxta rigorem Canonum exercuerunt, late graſſantem, & omnia devaſtantem ſimoniam ab Eccleſia procul depulerunt, Cathedras & Sacerdotia ſine reſpectu perſonarum ſacrilegis emptoribus, venditoribuſque abſtulerunt, & reos contumaciæ, atque convictos ſacrilegæ nundinationis e contubernio fidelium extruſerunt. Inter illos Summos Pontifices, qui reformandis fidelium moribus ſæculo Eccleſiæ undecimo ſtrenue adlaborarunt, principem locum obtinet *Gregorius* VII. qui in morum diſciplina nihil novi, nihil peregrini, nihil propria adinventione ſtatuendum eſſe, ſed tritam, regiamque Sanctorum Patrum viam ſectandam eſſe docet his verbis: *Videntes ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente diabolo conculcatas, concuſſi periculo & manifeſta perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtra ſtatuentes; ſed primam & unicam Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam & ſectandam eſſe cenſuimus. Neque enim alium noſtræ ſalutis & æternæ vitæ introitum Chriſti ovibus, eorumque Paſtoribus patere cognoſcimus, niſi quem ab ipſo monſtratum, qui dixit: Ego ſum Oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet: & ab Apoſtolis prædicatum, & a Sanctis Patribus obſervatum in Evangelica, & in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus.* Hoc Sanctiſſimi Pontificis Oraculum utinam ſæpius expenderent, ac ſemper executioni mandarent Doctores hujus ſæculi! Multas ad reformandos ſui ſæculi mores leges tulit *Gregorius* VII. quibus in Clericos Eccleſiæ caſtitatem pravis facinoribus & flagitioſa vitæ conſuetudine deturpantes graviſſimis pœnis animadvertit, & omnium Chriſtianorum mores ad Sacræ Scripturæ auctoritatem, ad Sanctorum Patrum doctrinæ normam, ad ſacrorum Canonum rigorem exigi ac componi oportere ſanxit. Extiterunt etiam undecimo ſæculo Epiſcopi, qui amore boni, & morum diſciplinæ ſtudio accenſi, lolium in agrum Domini improborum hominum manibus injectum tollere, Clericorum vitam caſtigare, atque bonos mores Decretis, & Synodis revocare pro viribus ſtuduerunt. Morales Caſuum reſolutiones ex primitivorum Eccleſiæ Patrum doctrina hauſerunt tam Scriptores, quam Confeſſarii undecimi ſæculi, quia ſicut aquæ in fonte puriores ſunt, ita incorruptus ſive de Dogmatibus, ſive de moribus ſenſus in Sanctis primitivæ Eccleſiæ Doctoribus limpidius apparet, cum nullis ſit novitatum nebulis, nullis laxitatis tenebris infuſcatus. Denique, undecimo ſæculo in hanc ſententiam tanquam certiſſimam, Patres, Concilia, Doctores omnes conſentiebant, peccatoribus conſuetudinariis procraſtinandam eſſe Abſolutionem, Pœnitentiam juxta delictorum gravitatem eſſe imponendam, præviam Euchariſtiæ ſatisfactionem veram, conſtantem, fortem eſſe debere, non ſegnem & ſomnolentam ac iteratis lapſibus obnoxiam. Hanc undecimi ſæculi pœnitentiæ imponendæ & Euchariſtię ſuſcipiendæ praxim non ſolum laudat & obſervandam pręcipit S. Carolus Borromæus avitæ diſciplinæ Eccleſiaſticę ſtudioſiſſimus, ſed etiam illius fructum ipſa experientia ſeſe didiciſſe teſtatur antiquus & pius Pater Soc. Jeſu, *Emeritus de Bonis* in libello Italico cui titulus eſt: *Trattato del Santiſſimo Sagramento dell'Altare*, Romę excuſo anno 1595. ubi hæc habet: *Utiliſſimum remedium eſt adverſus iteratos lapſus, multiſque probatum experimentis, abſolutionem peccatoribus differre, ut ſe aliqua pœnitentia ad communionem comparent. Varia igitur pęnitentiæ officia ipſis imponenda ſunt, quibus ad cognitionem, dolorem, & deteſtationem peccatorum perducantur; hoc autem niſi fiat, peccatores ſtatim ad vomitum redeunt. Hoc inſtitutum multis peccatoribus profuiſſe teſtantur graves, & prudentes religioſi.... Si Confeſſarii majorem ſeveritatem adhiberent, multo major, frequentiorque pravorum hominum emendatio conſequeretur; non iiſdem ſemper criminibus obnoxios homines cerneremus, nec ſubinde, ut faciunt. Confeſſarios mutarent, ut aliquem tandem inveniant mollem, facilemque, qui leves imponat pœnas, qui ſinat, quoties libuerit, etiam moribus immutatis, ad Euchariſticam menſam accedere, quem deinde inventum tanquam peritiſſimum prædicant. Cæteros, qui perverſorum morum, Inſtitutorumque mutationem exigunt, tanquam incommodos, ſcrupoloſos, humanæque fragilitati nimium duros reprobant. Sed miſeri illi animarum Rectores non cernunt, pravos homines in vitiis ſuis propterea ſua indulgentia detineri, atque in priſtina peccata relabi &c.* Hactenus *Emericus de Bonis*, cujus verba ex Italico idiomate in Latinum accurate reddidi, ut inde intelligeres, quam perperam nonnulli hanc praxim in adminiſtratione Sacramentorum Pęnitentiæ & Euchariſtiæ, quæ ſæculo undecimo, & in aliis præcedentibus Eccleſiæ ſæculis viguit, ceu perniciofam, & certam ad deſperationem viam, hodie infamare præſumunt, cum potius toti retro antiquitati, ſacris Conciliorum Canonibus, & doctrinæ Sanctorum Patrum apprime conſentanea ſit, ut videre eſt in libro *de Frequenti Communione*, quem, præter ſexdecim Epiſcopos & viginti Doctores, Conventus etiam Epiſcoporum Auſcenſis Provinciæ in Galliis anno MDCXLV. inuſitato honore populo Chriſtiano commendavit.

D. Cum antiquitas, Patrumque conſenſio vera ſit amuſſis, ad quam non ſolum fidem, ſed & doctrinam morum exigere debemus, optandum ſane eſt, ut omnes animarum Rectores ſectentur documenta S. *Caroli*, qui, ut nuperrime legebam in Concilio quarto Mediolanenſi, ab ipſo pro reformatione morum coacto, ſic animarum Rectores ad præceptorum Eccleſiaſticorum obſervantiam, ac caſtę Moralis Diſciplinæ cuſtodiam adhortatur; *An vero forcaſſe a curatione noſtra deterremur, quia hoc noſtro Provinciæ ſanandæ ſtudio exulcerantur quorumdam animi paſſim dictitantium: non ferunt hæc tempora veterum Canonum & antiquæ Eccleſiæ medicamenta? immo ardentius progrediamur, quoniam hæc una medicina præſtantiſſima eſt, maxime opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus diſciplina Chriſtiana ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis inſtauretur & conſervetur.*

Hi-

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOMUS QUARTUS
PARS SECUNDA.

Digitized by Google

INDEX COLLOQUIORUM.

TOMUS QUARTUS

PARS SECUNDA.

COLLOQUIA

Quæ continentur XII. Sæculi.

COLLOQUIUM I.

QUo loco eſſent res Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus & Principibus Chriſtianis? 109

COLLOQUIUM II.

In quo exhibetur ſeries Epiſcoporum, qui duodecimo Sæculo præcipuas Eccleſiæ ſedes tenuerunt, 124

COLLOQUIUM III.

De Hæreſibus, quæ duodecimo ſæculo Eccleſiam infeſtarunt. 141

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis cum Generalibus, tum Nationalibus, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo ſive ad damnandas exortas hæreſes, ſive ad componendas enatas controverſias, & collapſam reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam variis in locis fuerunt celebrata. 87

COLLOQUIUM V.

De Viris Illuſtribus, qui eruditionis & pietatis laude duodecimo Eccleſiæ ſæculo claruerunt. 174

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, de Diſciplina cum Eccleſiaſtica tum Monaſtica, & de Ethica Chriſtiana duodecimi Eccleſiæ ſæculi. 192

HI-

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA

DUODECIMI SÆCULI,

Variis Colloquiis digeſta .

HISTORIA duodecimi Eccleſiæ Sæculi varios ac percelebres complectitur eventus . Plures Expeditiones ex omni ferme Occidente in terram Sanctam pro bello ſacro contra Turcas per totum hoc Sæculum decernuntur, vario quidem ſucceſſu , ſed tandem infelici exitu . Occaſione juris *Inveſtituræ* nova exoritur turbarum ſeges , diſrumpitur concordia Sacerdotii , & Imperii , Eccleſia Romana multis ſchiſmatibus diu exagitatur , Summi Pontifices cum Imperatoribus, Epiſcopi cum Regibus in tutandis ac vindicandis Eccleſiæ juribus & privilegiis acre ac diuturnum ſuſtinent bellum; Anglia ſeſe turpiſſime fœdat injuſta nece *S. Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi, Jurium & Immunitatum Eccleſiæ acerrimi vindicis, qui a ſicariis ad ipſam Aram intrepidus trucidatur. Complures hæreſes ex orco prodeuntes ſacrilegum caput efferunt, quæ in Conciliis configuntur, & perdoctis clariſſimorum Scriptorum Operibus proteruntur. Sanctiſſimæ conduntur leges, quibus Diſciplina Eccleſiaſtica, & morum doctrinæ integritas ſarta tecta conſervatur. Novis Monachorum, ac Religioſorum Ordinibus munitur, ac illuſtratur Eccleſia . Denique, ſæculo Eccleſiæ duodecimo Theologia Scholaſtica nova methodo traditur, ac juris Canonici inſtituitur profeſſio , quæ poſtea latiſſime propagatur . Hæc eſt ſumma rerum , quæ ſæculo Eccleſiæ duodecimo contigerunt . Sed ut ampliorem, omnique ex parte accuratam omnium illorum eventuum notitiam tibi ſuppeditare poſſim, ſex Colloquia, juxta præſcriptam , & hactenus obſervatam methodum inſtituam, & ſingula quæque loco & ordine ſuo apte collocare pro viribus ſtudebo. In primo Colloquio oſtendam, quo loco eſſent res Eccleſiæ tam in Oriente , quam in Occidente ſub Imperatoribus , & Principibus Chriſtianis. In altero exhibebo ſeriem Epiſcoporum , qui præcipuas Eccleſiæ ſedes duodecimo ſæculo tenuerunt. In tertio referam hæreſes, quæ

eo-

Digitized by Google

eodem ſæculo Eccleſiam infeſtarunt. In quarto agam de Conciliis, quæ tum ad damnandas gliſcentes hæreſes, tum ad conſopiendas enatas Controverſias, tum ad collapſam reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam variis in locis fuerunt celebrata. Quintum erit de Viris Illuſtribus, qui duodecimo ſæculo eruditionis, & pietatis laude claruerunt. In ultimo de his, qui ſpectant Fidei Catholicæ doctrinam, Diſciplinam cum Eccleſiaſticam, tum Monaſticam illius ſæculi, morumque doctrinam, breviter ſtrictimque diſſeram.

COLLOQUIUM PRIMUM.

Quo loco eſſent res Eccleſiæ tam in Oriente, quam in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis.

D. Quamquam res Eccleſiæ ſub Imperatoribus, qui ſæculo duodecimo ſumma rerum in Oriente potiti ſunt, optimo loco fuiſſe, facile conjectura aſſequi poſſim ex ſacra illa in Palæſtinam expeditione, quam ſub finem undecimi ſæculi, Duce *Gotifredo Bullionio* magnis animis ſuſceperunt Latini, ſuiſque victricibus armis Saracenos fugarunt, Hieroſolymam expugnarunt, multas Civitates in ſuam poteſtatem redegerunt, ac tandem Chriſtianam Religionem in ea Orientis loca, a quibus Barbarorum tyrannide pulſa jam pridem exulabat, poſtliminio revocarunt; nihiloſecius, ut magis perſpectum habeam ſtatum Eccleſiæ ſub Imperatoribus, qui duodecimo ſæculo Orienti præfuerunt, primum ſcire velim ſeriem Geſtaque Imperatorum Orientis, dein, quid geſſerint, quidve moliti fuerint Latini, vulgo *Cruceſignati* appellati, qui tot duodecimo Eccleſiæ ſæculo ſuas ſedes in Oriente fixerunt.

M. Imperabat in Oriente *Alexius Comnenus*, quando ſub finem undecimi ſæculi Latini Cruceſignati ſacram in Palæſtinam Expeditionem ſuſceperunt, eorumque ope bellum contra Turcas feliciter geſſit, ſed poſtea a tam numeroſis ac fortibus Latinorum exercitibus ſibi timens, eos primum fraudibus, dein aperto marte infeſtavit, fœde ac fraudulenter deſeruit, atque de clade, quæ illis ipſo belli initio a Turcis illata fuit, haud parum gaviſus eſt, ſicut teſtatur Auctor Anonymus, qui ſcripſit Hiſtoriam *Belli Sacri*, quam *Mabillonius* tomo I. *Muſæi Italici* par. 2. publicavit. Idem etiam teſtantur Primores ſacræ illius in Palæſtinam Expeditionis Duces in Epiſtola, quam ſcripſerunt ad *Urbanum* II. Pontificem Maximum, ubi de *Alexio Comneno* Imperatore conqueruntur his verbis: *Tu nos filios per omnia tibi obedientes, Pater piiſſime, debes ſeparare ab injuſto Imperatore, qui multa bona promiſit nobis, ſed minime fecit. Omnia enim mala & impedimenta quæcumque facere potuit nobis fecit*. Hanc Epiſtolam refert *Baluzius* tom. 1. Miſcell. Conatur quidem *Anna Comnena*, elegantiſſima Princeps hiſtorica, & filia *Alexii Comneni* Imperatoris, excuſare patrem ſuum, eumque in quindecim libris *Alexaidos* a ſe editis ab hac labe purgare; ſed nullam hac in re merentur fidem, quippe quæ, dum adulatur patri ſuo, acriter invehitur in Latinos, quorum Sacerdotes injuriis & calumniis proſcindit libro decimo, atque intempeſtivo Gallorum, qui in facto bello merebantur, vituperio, excuſationem patris ſui libro undecimo fulcit. Sed de *Anna Comnena* plura dicemus in quinto Colloquio, ubi de viris illuſtribus duodecimi ſæculi, eorumque Operibus data opera ſermonem inſtituemus. Exceſſit e vivis *Alexius Comnenus* Orientis Imperator die 15. menſis Auguſti anni MCXVIII. poſtquam vixiſſet annos circiter ſeptuaginta, & imperaſſet annos XXXVII. menſes quatuor, dies quindecim, ut *Zonaras*, qui in eo Annales ſuos abſolvit, *Nicetas Choniates*, qui eoſdem proſequitur, *Anna Comnena* ejus filia, aliique produnt. *Alexio Comneno* in Græcorum Orientis Imperium ſucceſſit ejus filius *Joannes Comnenus*, dictus a quibuſdam *Calojoannes*, qui in conſortium Imperii a patre ſuo anno milleſimo nonageſimo primo adſcitus, poſt ejus mortem ſolus Imperium adminiſtravit. Jam uxorem duxerat *Irenem* Ladiſlai Hungariæ Regis filiam, ut teſtatur *Zonaras*, & oſtendit *Du-Cangius* in Auguſtis Familiis Byzantinis. Latinis multo æquior patre ſuo fuit *Joannes Comnenus*, & in Eccleſiam Romanam propenſior, ad cujus inſtituta & obedientiam Græcos revocare in votis habuit. Extant enim *Petri* venerabilis Cluniacenſis Abbatis duæ Epiſtolæ, videlicet trigeſima nona, & quadrageſima libri ſecundi, quarum prior *Joanni Comneno* Imperatori, & poſterior *Patriarchæ* Conſtantinopolitano ſcripta eſt pro reſtitutione Cœnobii Cluniacenſium, quod erat Conſtantinopoli, & in priori Epiſtola *Petrus* Cluniacenſis Abbas *Joannem Comnenum* Imperatorem ſuſcipit in Confratrem & comparticipem omnium ſpiritualium beneficiorum Congregationis Cluniacenſis, quemadmodum & alii Catholici Principes jam ſuſcepti erant. Utramque *Petri* Venerabilis Epiſtolam refert *Baronius* anno MCXIX. num. 18. & ſeqq. unde compertum habemus ſæculo duodecimo Conſtantinopoli, & in tota Græcia Baſilicas fuiſſe, & varia Latinorum Religioſorum Monaſteria, quibus Romanis moribus, & ritu Latino vivere, reliquaque ſacra ad ritus Latini normam celebrare permittebatur, quod certe nunquam conceſſiſſent Græci, ſi Latinorum mores & dogmata velut hæretica improbaſſent, ut inquit *Leo Allatius* lib. 1. de conſenſu Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis cap. 11. Eodem imperante *Joanne Comneno*, ſolemne & publicum Colloquium *Anſelmus* Epiſcopus Havelbergenſis, qui tum Conſtantinopoli *Lotharii* II. Imperatoris Occidentis Legatus agebat, habuit de Spiritus Sancti proceſſione, eique Colloquio interfuerunt Imperator, Patriarcha, & quotquot in Urbe Regia Conſtantinopolitana moraban-

raban-

rabantur viri eruditione conſpicui. Græcorum cauſam tutabatur *Nichites*, ſive *Nicetas* Nicomedienſis, qui, poſt multa hinc inde objecta & reſponſa abſque cavillis aut rixandi prurigine ultro faſſus eſt, Latinorum dogma de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, Filioque haud abſonum eſſe, aſſeruit attamen, hanc fidei profeſſionem non eſſe apponendam ſymbolo citra univerſalis Synodi decretum. Extant collationes quas *Anſelmus* Epiſcopus Havelbergenſis habuit Conſtantinopoli cum Græcis tomo 2. Spicilegii Dacheriani. Ceterum, quamvis *Joannes Comnenus* Orientis Imperator vehementer optaverit Græcos ad gremium & ſubjectionem Eccleſiæ Romanæ reducere, id tamen perficere haud potuit. Fuit optimus Princeps, in domeſtico apparatu modeſtus, veræ gloriæ cupiditate illuſtris, moribus probus, munificentia clarus, a menſarum, veſtiumque luxu omnino alienus, tantaque in Deum, & B. Virginem pietate, ut poſt debellatos Scythas, Hunnos, Servios, & Perſarmenos triumphi honorem Beatiſſimæ Virgini Mariæ decreverit. Hunc triumphum deſcribit *Nicetas Choniates* in Annalibus, atque, quadrigas a quatuor equis tractas fuiſſe, & currum argento interpunctum non Imperatorem conſcendiſſe, ſed Dei Genitricis Imaginem in eo collocaſſe, *cui victorias, ut Collegæ Imperii invictæ, acceptas ferebat*. Qua in re *Joannes Comnenus* imitatus eſt alterum Orientis Imperatorem, videlicet *Joannem Zimiſcem*, qui, ut tradunt *Curopalata*, & *Zonaras*, devictis Bulgaris, ita triumphum duxit, ut totam rerum bene geſtarum gloriam Deiparæ adſcripſerit, cujus Imaginem in curru collocatam ipſe ſubſecutus eſt. Per tot præclara geſta, *Joannes Comnenus* dum in Cilicia verſatur, & aprum inter venandum inſequitur, cuſpide ſagittæ veneno illitæ manum perſtrinxit, ex quo vulnere neglecto, & paulatim graſſante veneno, occubuit anno MCXLIII. poſtquam imperaſſet annos XXIV. menſes ſeptem, ut teſtantur plerique e Græcis. Duos ſuperſtites reliquit filios *Iſaacium*, *&* *Manuelem*. Juniorem ſcilicet *Manuelem*, utpote moderata, atque ad clementiam proniore indole præditus prætulit majori natu *Iſaacio*, iræ impotentis viro, eumque, accerſitis Imperii Magnatibus, ſibi ſucceſſorem, antequam moreretur, deſignavit, ſicut ſcribit *Cinnamus* Scriptor Græcus, vulgo Grammaticus dictus, in fine libri primi Hiſtoriæ duorum Imperatorum Byzantinorum e Familia Comnena, *Joannis* nimirum & *Manuelis*, quam ab anno MCXVIII. uſque ad annum MCLXXVI. concinnavit. Porro, ſingularem modeſtiam prodidit *Manuel Comnenus* dum ad ſucceſſionem Imperii fuit a patre ſuo deſignatus; quippe qui, cum eſſet natu minor, *naturæ leges reveritus, demiſſis oculis, pronoque in pectus capite, profuſis lachrymis pavimentum rigavit. Chlamydem tamen induens, ſumptoque diademate, ab univerſo exercitu Imperator proclamatur*, inquit *Cinnamus* loco mox a me laudato. Anno itaque MCXLIII. Imperium adeptus *Manuel Comnenus*, ut Principatum firmaret, *Iſaacium* fratrem natu majorem in Monaſterio recluſit, duxit *Bertham*, ſororem uxoris *Conradi* Regis Germaniæ quam ob eximias animi & corporis dotes commendant *Cinnamus* laudatus, & *Nicetas Choniates* lib. 1. Verum *Manuel Comnenus* Imperator neglecta *Bertha*, cum propria nepte inceſtu ſe polluit. Aliam poſtea duxit uxorem, *Mariam* videlicet *Raymundi* Principis Antiochiæ filiam, ex qua *Alexium* ſuſcepit. In bello multa præclare geſſit, ſed perfidiæ nota infamis fuit. Nam *Henricum Dandulum*, alioſque Venetorum Legatos excæcavit; *Conradi* Germaniæ Regis exercitum per Boſphorum in Aſiam trajicientem pluribus damnis affecit, calcem præcipue gypſumque farinæ immiſcens. *Ludovicum* Galliæ Regem ex Aſia redeuntem navibus intercepit, qui mox a *Rogerio* Siciliæ & Calabriæ Duce armorum vi liberatur, Italos contra *Fridericum Ænobarbum* Imperatorem concitavit. Legatos Beneventum ad *Alexandrum* III. Pontificem Maximum miſit, promittens, ſe Eccleſiam Græcam cum Romana juncturum, & ipſum a moleſtia, qua tum Pontifex a *Friderico* Imperatore vexabatur, liberaturum, ſi Corona Imperii Occidentalis ab ipſo donaretur, quam poſtulationem *Alexander* III. inquit *Sigonius* lib. 15. *Hiſtoriæ Regni Italiæ*, ut parum Reipublicæ utilem ex Cardinalium ſententia reprobavit. In Monachos parum propenſus fuit *Manuel* Imperator, quos non in urbibus & locis frequentatis habitare, ſed ad Antra, & Montium cacumina ablegari debere dictitabat. Ad Armenos variis infectos erroribus miſit *Theorianum*, ut eos ad veram fidem & Eccleſiæ Græcæ ritum revocaret, quod egregie ac feliciter præſtitit *Theorianus*, atque poſt varias diſceptationes, quas cum Armenorum Patriarcha habuit, tandem obtinuit, ut Armeni, abjectis erroribus, veritatem amplecterentur, & cum Eccleſia Conſtantinopolitana unirentur, ſicut fuſe proſequitur ipſemet *Theorianus* in *Geſtis ſuæ Legationis*, & in *Dialogo* a ſe edito *Orthodoxi cum Catholico*, ideſt cum Armenorum Patriarcha, qui extat tomo 1. Biblioth. Patrum Græco-Latinæ. In Eccleſiam Romanam propenſum fuiſſe *Manuelem Comnenum* Imperatorem, ex eo liquet, quod, eo annuente, *Hugo Etherianus* tres libros pro dogmate Latinorum de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, Filioque conſcripſerit, in quibus præcipuos e ſchiſmaticis Auctores copioſe & erudite confutavit, puta Nicomeniæ Antiſtitem, Nicolaum Methonenſem, Nicetam Byzantinum, quem Philoſophum appellat, *Theophylactum*, & *Photium*. Obiit *Manuel Comnenus* Imperator an. MCLXXX. cum paulo ante Monachi habitum induiſſet, & *Matthæi* nomine donatus fuiſſet. Imperavit annos XXXVII. menſes quinque, dies viginti tres. Eo defuncto, ut recte ſcribit *Leo Allatius* lib. 2. *De Conſenſu Eccleſiæ Orientalis*, *&* *Occidentalis* capite decimo tertio, Græcorum Imperium quotidie in pejus ruere cœpit, tum propter Occiduas atque Orientales Barbarorum incurſiones, tum propter mollitiem ac tyrannidem imperantium continuis cædibus ac fraudibus ſeſe mutuo prodentium; tum ob Miniſtrorum avaritiam, tum etiam ob frequentes Magnatum & ambitioſorum hominum rebelliones. Religio quoque ipſa cum

Im-

Digitized by Google

Imperio, in tanta rerum viciſſitudine, triſti ruina convelli viſa eſt, cum non ratio, & decor, ſed malevolentia & rabies, animis perturbatis & in furorem actis, omnia dirigerent. Tunc enim ſumma cum infimis, divina cum prophanis, recta cum improbis commixta, Chriſtiani licet nomine, non Eccleſiæ dogmata, ſed cædes & ſanguinem adverſariorum anhelabant. Acceſſit ad tot malorum cumulum infirma ætas *Alexii*, qui annorum duodecim puer patri ſuo *Manuali Comneno* in Imperium ſucceſſit, eique in tutorem *Andronicus* ejus patruelis datus eſt. Sed *Andronicus* prava imperandi libidine percitus, primo Imperatoris *Alexii* matrem ſuffocari juſſit, dein, ipſummet Imperatorem nervo arcus per noctem a ſicariis ſtrangulari, ipſiuſque corpus in mare projici curavit anno MCLXXXIII. Hac violenta morte raptus eſt juvenis *Alexius* Imperator anno ætatis ſuæ decimo quinto, Imperii vero anno tertio. Nec ſolum in juniorem *Alexium* Imperatorem, ejuſque matrem crudeliter ſæviit *Andronicus* ut Imperium uſurparet, ſed etiam Græcos excitavit in Latinos, & Francos, qui Conſtantinopoli degebant, ſciens Francos junioris *Alexii* majeſtatem imperiumque tueri, quod *Agnetem* filiam *Ludovici* VII. Galliarum Regis uxorem duxiſſet. Græci itaque ab Andronico animati *irruunt in Latinos & Francos, & quotquot inveniunt trucidant, aut urbe proturbant*, ſicut fuſe deſcribit *Willelmus* Archiepiſcopus Tyrius lib. 22. cap. 12. Tot cædibus infamis *Andronicus* Imperium uſurpavit, illudque tyrannica dominatione exercuit. *Nicæam* ſiquidem & *Pruſam* in Aſia expugnavit, ubi immaniſſima ſævitia debacchatus eſt in Cives. Crudelitatem quoque Conſtantinopoli exercuit adverſus nobiles, familiares, cognatos & affines ſuos. Truculentum de omnibus ſeditioſorum cognatis, quamvis inſontibus, de medio tollendis iniit conſilium, ac ferale promulgavit edictum. *Agnetem* filiam *Ludovici* VII. Galliarum Regis, undecim annorum adoleſcentulam, ſibi matrimonio junxit provecta jam ætate *Andronicus* Imperator, ſed ea non contentus fallaciſſimus ille ſenex, & meretricum amore captus, totum ſeſe fœdiſſimis voluptatibus dedit. Fertur etiam, hunc Imperatorem ſemper in cubili ſuo pro excubiis habuiſſe canem validiſſimum, qui & cum leonibus pugnabat, & armatum hominem proſternebat. Rapto tam injuſte imperio diu *Andronico* frui non licuit. Ille quippe, dum *Iſaacio Angelo* necem molitur, a furente plebe captus eſt, multiſque tormentorum, & ignominiarum generibus affectus. Sed tot inter ſupplicia ac verborum ludibria dicitur, *Andronicum* Imperatorem, tandem aliquando ad pœnitentiam converſum, ſæpius pias iſtas voces ingeminaſſe: *Domine miſerere*, ac plebem hiſce verbis, *quid calamum contritum infringitis?* inflectere ac emollire ſtuduiſſe, ſed fruſtra. Periit biennio dumtaxat potitus Imperio anno MCLXXXV. Extat *Andronici* Imperatoris *Dialogus contra Judæos*, quem *Sirletus* Cardinalis autumavit, eo tantum jubente Imperatore, ab *Euthymio Zigabeno* compoſitum fuiſſe. Verum *Lambecius* tomo quinto Biblioth. Cæſareæ pag. 170. demonſtrat, *Andronicum* Imperatorem hujus Dialogi verum eſſe parentem, eumque eximia eruditione, ſingulari eloquentia, & exquiſita Scripturæ Sacræ ſcientia excelluiſſe. Inſertus eſt hic *Andronici* Imperatoris Dialogus Tomo XIV. Biblioth. Patrum Editionis Colonienſis. Occiſo *Andronico*, ſalutatus eſt Imperator *Iſaacius Angelus*, qui *Andronici* filios excæcavit, in templa reſque ſacras nonnunquam impius & avarus, nonnunquam in eadem templa & Monaſteria liberalis fuit, indeque factum, ut nonnulli Scriptores pium, juſtumque Principem ipſum dicant, nonnulli vero illum ceu avarum, ignavum, & luxui deditum depingant. Siculorum claſſem vicit, ac terreſtrem etiam diſſipavit exercitum, captis etiam eorum Ducibus *Richardo*, & *Balduino*, Cyprum tamen ab *Iſaacio Comneno* tyranno fruſtra claſſe repetiit. *Branam Alexium*, qui ejus Imperium invadere moliebatur, jamque Byzantium oppugnabat, debellavit, ſed victoria haud moderate uſus eſt, ſiquidem capiti *Branæ* ad ſe inter epulas delato inſultavit, illudque captivæ ipſius uxori exhiberi juſſit. Cum Myſis, ſeu Walachis haud proſperum bellum geſſit ſæpius ab illis victus. *Fridericum*, a barba rufa *Ænobarbum* dictum, Occidentis Imperatorem, per Thraciam, Aſiamque, Palæſtinam petentem intercludere conatus eſt, & magno ſuo damno illius in ſe arma concitavit. Oculis tandem & Imperio *Iſaacius Angelus*, natus annos quadraginta, a fratre ſuo *Alexio Angelo* privatus eſt anno MCXCV. & in carcerem conjectus, ex quo, ut mox dicemus, a filio ſuo *Alexio* ereptus eſt. Eodem anno *Alexius Angelus*, frater *Iſaacii*, Imperium obtinuit. Gentilitium *Angeli* nomen repudiavit, & *Comneni* cognomen aſſumpſit. Uxorem habuit *Euphroſinam*, fœminam ſuperbam, querulam & impudicam, ſed virili animo, & ad res gerendas ſupra ſexum capaci præditam. Ipſe vero Imperator voluptatibus deditiſſimus fuit, ac in ſuos aſſeclas profuſiſſimus, ſed inde ex nummorum indigentia factus ad avaritiam pronus, vectigalium auxit exactiones, Magiſtratus vendidit, ita ut hominum quiſquiliæ ad ſummas dignitates eveherentur. Sacra aurea, & argentea donaria ab Eccleſiis poſtulavit, & effoſſis Imperatorum Sepulchris, pretioſa quæque ornamenta detraxit. (*a*) *Alexium*, filium fratris ſui *Iſaaci*, in vinculis conjecit, qui tamen ex iiſdem elapſus confugit ad Venetos, qui valido exercitu, largiſque opibus ac ſubſidiis ſuppetias juveni *Alexio* tulere, unaque cum aliis fœderatis Principibus *Alexium* ejus patruum deturbarunt Imperio, quod per annos octo, menſes tres, & dies octo tenuerat, eodemque anno, ſeu milleſimo ducenteſimo tertio, *Alexius* filius *Iſaaci Angeli* Orientis Imperium obtinuit, ſibique patrem ſuum *Iſaacum Angelum*, quem *Alexius* ſenior excæcatum in exilium detruſerat, Collegam fecit, rurſumque Imperii gubernaculis admovit, ſicut opportunius oſtendemus in Colloquio primo in Hiſtoriam inſequentis ſæculi.

(*a*) „ Delicta hæc ſua Alexius Comnenus luget „ in Conſtitutione apud Leunclavium legenda in „ Jure Græco-Romano, Novellarum Imperatorum „ lib. 2. in qua narrat in ſumma Reipublicæ „ angu-

Digitized by Google

„ angoſtia , & exhauſto ærario manus injeciſſe
„ ſeſe in ſacra vaſa , reſque cæteras pretioſas ſacris
„ Eccleſiis addictas . Cum vero, ait , hæc quæ
„ a Sanctis Eccleſiis provenerant nullam ad utili-
„ tatem Regni cedere intellexerim, majorique ſem-
„ per indigentia premereretur, agnoviſſe ſe tan-
„ dem addit id ſibi a numine in ſceleris ultio-
„ nem proveniſſe . Quare reſipiſcens , ſanctione
„ illa ſua mandat & decernit , abſtenturum ſe
„ in futurum manus , ne deinceps quicquam de
„ rebus Eccleſiæ addictis contingat . Conſtitutio
„ hæc ſignatur menſe Auguſti, indictione quiota,
„ anno mundano 6590. ideſt Chriſti 1187.

D. Quid geſſerunt Latini in Oriente , quemve exitum habuerunt tot Expeditiones, quas contra Turcas in Palæſtina duodecimo Eccleſiæ ſæcolo ſuſceperunt Cruceſignati?

M. Rerum omnium in Bello ſacro geſtarum accuratiſſimam Hiſtoriam deſcripſit *Willelmus* Tyrius Archiepiſcopus ab anno MXCV. quo Concilium Claromontanum ſub *Urbano* II. Pontifice Maximo celebratum eſt , uſque ad anoum MCLXXXIV. Sed quia nimis longum eſſet omnia, quæ in hoc Bello ſacro a Latinis geſta ſunt, ſingillatim recenſere, ea ſummatim compendioſa narratione hic attingere ſufficiet. In primis, anno milleſimo nonageſimo quinto multi e Gallis & Germanis Proceres, hortante *Urbano* II. Pontifice Maximo, & ductore *Godefrido Bullionio*, Bellum ſacrum ſuſceperunt, in Orientem penetrarunt anno milleſimo nonageſimo ſexto, Hieroſolymam, devictis Turcis, expugnarunt, anno milleſimo nonageſimo nono, & confeſtim Regem Hieroſolymitanum acclamarunt *Godefridum Bullionium* , Principem omnibus numeris abſolutum, qui præ ſingulari , qua pollebat, modeſtia, titulum Regis averſatus, non niſi ſpinea corona in templo Reſurrectionis ad ipſum Chriſti Domini Monumentum inaugurari voluit. Mortuus eſt *Godefridus Bullionius* anno milleſimo centeſimo, & ſucceſſorem in Regnum Hieroſolymitanum habuit *Balduinum* hujus nominis primum, fratrem ſuum germanum, qui Ptolomaidem, & Tripolim cœpit, & poſt varias de Saracenis reportatas victorias obiit anno MCXVIII. & ſepultus eſt *in Golgota*, *juxta Godefridum Regem germanum ſuum*, inquit *Fulcherius* lib. 2. Hiſtoriæ Hieroſol. Poſt obitum *Balduini* hujus nominis I. Hieroſolymorum Regis, alterum *Balduinum* Hieroſolymorum Regem Latini elegerunt, Comitem videlicet Edeſſenum. Regis *Balduini* defuncti cognatum . Hic *Balduinus* hujus nominis II. & inter Latinos Hieroſolymorum Reges ordine tertius, a Saracenis captus fuit anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, ſed anno ſequenti in libertatem aſſertus eſt , ſicut ſcribit idem *Fulcherius* Carnotenſis, qui tunc Hieroſolymis erat. Inſtituit *Balduinus* hujus nominis II. Hieroſolymorum Rex, Templariorum Ordinem Equeſtrem, de quo differendi in Colloquio ſexto opportunior ſe te dabit occaſio. Mortuus eſt *Balduinus* hujus nominis II. Hieroſolymorum Rex anno milleſimo centeſimo trigeſimo primo , eique ſucceſſit *Fulco* ipſius gener, Comes Turonenſium, Cenomanenſium, & Andegavenſium. *Willelmus* Tyrius Archiepiſcopus lib. XIII. cap. ult. & lib. XIV. cap. 1. ait, *Fulconem*, uxore ſua defuncta, Hieroſolymam veniſſe, & *Balduini* hujus nominis II. Hieroſolymorum Regis gratiam, & univerſorum Principum amicitiam ſibi conciliaſſe, cumque ad proprios lares regreſſus fuiſſet, a *Balduino II.* Rege Hieroſolymam vocatum fuiſſe, qui ei filiam ſuam primogenitam, *Miliſendem* nomine, matrimonio copolavit , & ad Regni Hieroſolymitani ſucceſſionem deſtinavit. Hoſpitalariorum , ſeu Equitum S. Joannis Hieroſolymitani Ordinem inſtituit *Fulco* Hieroſolymorum Rex , cujus Ordinis, qui etiamnum toto orbe percelebris eſt, originem, progreſſum, ac præclara in Eccleſiam promerita commodius in ſexto Colloquio expendemus . Exceſſit e vivis *Fulco* Hieroſolymorum Rex anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, duoſque ſuperſtites liberos adhuc impuberes reliquit , *Balduinum* videlicet annorum tredecim , & *Almaricum* annorum ſeptem. Quapropter, mortuo *Fulcone*, Regni Hieroſolymorum poteſtas reſedit penes *Miliſendem* Reginam, cui jure hæreditario competebat, ſicut ſcribit *Willelmus* Tyrius Archiepiſcopus in fine libri XV. qui initio libri inſequentis ait , *Fulconi* Hieroſolymorum Regi ſucceſſiſſe *Balduinum* præfatum hujus nominis III. juvenem formæ admirabilis, cui mentis quoque bene conſtitutæ reſpondebat habitus . Regnavit autem Hieroſolymis *Balduinus* hujus nominis III. una matre ſua *Miliſende*, ad quam S. Bernardus quatuor ſcripſit Epiſtolas, nempe Epiſtolam CCCLIV. qua eam monet, qualiter, mortuo viro ſuo, ſe ſe gerere debeat; Epiſtolam CCCLV. qua *Præmonſtratenſes* Hieroſolymam peregrinantes commeodat & pluribus laudat; Epiſtolam CCVI. qua eam hortatur ita vivere, ut perpetuo regnet; & Epiſtolam CCLXXXIX. Hieroſolymis regnante *Balduino* hujus nominis III. capta eſt a Turcis anno MCXLIV. celeberrima urbs Edeſſa , factaque horrenda in Oriente Chriſtianorum ſtrages . Hinc Latini ad extremas redacti anguſtias Legationem ad *Eugenium* III. Pontificem Maximum miſerunt , præſentiſſimum implorantes auxilium . Ad pietatem motus Pontifex , ut periclitantibus in Oriente Latinis ſuppetias ferret, uſus eſt opera & eloquentia Sancti *Bernardi* Abbatis Clarævallenſis, qui in Germania & Gallia *Cruciatam* prædicans , induxit *Conradum* Imperatorem Occidentis , & *Ludovicum* VII. Galliarum Regem, ut in Orientem proficiſcerentur. Ad ſacram itaque militiam *Conradus* Imperator, & *Ludovicus* VII. Galliarum Rex , poſtquam a *S. Bernardo* Crucem accepiſſent, ingenti cum exercitu profecti ſunt anno MCXLVII. At utriuſque infauſta fuit expeditio. *Conradus* ſiquidem Occidentis Imperator totum pene in Oriente amiſit exercitum ob malas artes & perfidiam *Manuelis Comneni* Orientis Imperatoris, qui, ut jam obſervavimus , ad delendum *Conradi* exercitum calcem, & gypſum de induſtria farinæ immiſcuit. *Ludovicus* vero Galliarum Rex irritis conatibus obſedit Damaſcum, & ab ea expugnanda, quorumdam proditione Ducum, quos Barbari pecunia corruperant, impeditus eſt . Quare & *Conradus* Imperator Occidentis, & *Ludovicus* VII. Galliarum

Digitized by Google

liarum Rex, rebus in Oriente infeliciter geſtis, ſua relegere veſtigia, demumque inglorii redire coacti ſunt anno MCXLIX. *Gaufredus* Prior Voſienſis in Chronico apud *Labbeum* Tomo II. Bibliothecæ de magno illorum Principum exercitu ait: *Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indiſciplinate habuerunt: quapropter multi defecerunt, innumerabileſque perierunt propter iniquitatem ſuam; theſauros Eccleſiarum falſa promittentes vadimonia ante iter auferebant, & infirmam plebem diris exactionibus affligebant, pompatice ſecuti ſunt & ſuperbi humilem Chriſtum, & erraruni fruſtra a juſto humillimo. Hi omnes vix quamdam cepere civitatem, cum foret, excepto Rege & Imperatore, Principum Provincialium numerus innumerus*. Hanc Expeditionem in Palæſtinam *Conradus* Imperator Occidentis, & *Ludovicus VII.* Galliarum Rex ſuſceperunt, dum Hieroſolymis regnaret *Balduinus* hujus nominis III. qui anno MCLXII. viam univerſæ carnis ingreſſus, *Amalricum* fratrem ſuum Hieroſolymorum Regni hæredem inſtituit. *Amalricus* autem Regnum Hieroſolymorum tenuit uſque ad annum MCLXXIII. Quo anno mortuus eſt, eique ſucceſſit *Balduinus* hujus nominis IV. ejus filius. Sub hoc *Balduino* Hieroſolymorum Rege præclaram Cruceſignati de *Saladino* totius Ægypti Principe anno Mclxxvii. victoriam reportarunt, quam *Willelmus* Tyrius Archiepiſcopus lib. 21. cap. 23. aliique referunt. At *Saladinus* anno MCLXXX. Cruceſignatos aggreſſus, cruentam illorum edidit ſtragem, *Balduino* Hieroſolymorum Rege, *de caſu tam periculoſo*, ut inquit idem *Willelmus* Tyrius, vix a ſuis erepto. De hac Chriſtianorum clade certior factus *Alexander III.* Summus Pontifex, ſcripſit ad Chriſtianos Principes, nec non ad univerſos Catholicæ communionis Antiſtites, eoſque ſummopere hortatus eſt, Terræ Sanctæ ſubſidio eſſent. Interea, res Chriſtianorum in Oriente in pejus ruebant, cumque *Saladinus* an. MCLXXXIV. totum Regnum Hieroſolymitanum igne ac ferro devaſtaret, ad extremas redactus anguſtias *Balduinus* hujus nominis IV. Hieroſolymorum Rex miſit eodem anno *Heraclium* Patriarcham Hieroſolymitanum cum Magiſtris Templariorum ac Hoſpitalariorum ad *Lucium III.* Papam, & ad Reges Franciæ & Angliæ, ut auxilium neceſſarium, ad retundendos *Saladini* contra Chriſtianos impetus impetrare poſſent. Sed anno ſequenti ſeu MCLXXXV. cum obiiſſet *Balduinus* hujus nominis IV. Hieroſolymorum Rex, in ejus locum ſuffectus eſt ejus ex ſorore *Sybilla* nepos adhuc puerulus, dictuſque *Balduinus* hujus nominis V. qui tamen eodem anno mortuus eſt, eique in Regnum Hieroſolymitanum ſucceſſit *Guido de Luſiniano* Comes Joppenſis qui *Sybillam*, matrem *Balduini V.* habebat in conjugem. Hic *Guido* fuit nonus & ultimus e Latinis Hieroſolymorum Rex. Eo quippe Hieroſolymis regnante, *Saladinus* victoriis ſuis elatus, & enatis inter Chriſtianos diſſidiis opportune uſus, in Palæſtinam irruit anno MCLXXXVII. commiſſo cum illis prælio, Crucem Domini, & *Guidonem* Hieroſolymorum Regem cepit, Hieroſolymam expugnavit, ſacra loca profanavit, Mahumeticam Religionem introduxit, Latinos inde expulit, & Græcis, Syriſque Chriſtianorum reliquiis ægre aliquam adhuc Hieroſolymis ſtationem conceſſit. Sic, proh dolor? Hieruſalem Civitas illa Sancta, quam Latini anno MXCIX. Sub Pontificatu *Urbani II.* a Turcis ereptam in ſuam poteſtatem redegerant, recidit in manus Turcarum anno MCLXXXVII. ſub Pontificatu *Urbani III.* Fama hujus cladis Hieroſolymitanæ in Europam perlata, varii conſurgunt Reges & Proceres ad recuperandam Terram Sanctam proni. *Guido* antea Hieroſolymorum Rex, e captivitate a *Saladino* dimiſſus, omnes, quas habuit reſiduas oppoſuit vires, quæ tanto reprimendo tyranno impares fuerunt. *Fridericus* Occidentis Imperator, dictus *Ænobardus*, ſeu *Barbaroſſa* Bellum *Saladino* ad Hieroſolymam ab illius tyrannide eripiendam indixit, & accepto ab *Henrico* Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Cardinali Crucis Inſigni, cum ingenti exercitu in Orientem profectus eſt anno MCLXXXIX. Poſt varia, quæ in itinere incommoda paſſus eſt *Fridericus* Imperator, in Orientem appulit, & ex aliquot victoriarum, quas de Turcis retulit, fauſtis ominibus, feliciter rem confecturus videbatur. Sed dum in amne *Serra* per æſtivos calores corpus lavat, vortice, ſeu undæ torrente abreptus naufragium fecit anno MCXC. Sicque ea *Friderici* Imperatoris Occidentis in *Saladinum* Expeditio felici exitu caruit. Nec ſecundam magis fortunam nacta eſt altera ſacra Expeditio, quam in eumdem *Saladinum* duo Chriſtiani fœderati Reges, nimirum *Philippus Auguſtus* Galliarum Rex, & *Richardus*, cui cognomen *Cor Leonis*, Angliæ Rex, anno milleſimo centeſimo nonageſimo aggreſſi ſunt. Feliciter quidem duo illi Franciæ, & Angliæ Reges anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo expugnarunt *Acconem*, ſeu *Ptolomaidem*, quæ hodie dicitur, *Sainct Jean d' Ancre*, eo quod Equites Sancti Joannis Hieroſolymitani ibi ſedem per multos annos habuerint. Eſt etiam emporium a Gallis nunc maxime frequentatum. Verum, poſt expugnatam Ptolomaidem, *Philippus Auguſtus* Franciæ Rex cauſatus aeris intemperiem, in Gallias reditum decrevit. *Richardus* vero Angliæ Rex de Chriſtianæ rei promotione in Syria, ob Chriſtianorum Ducum diſſenſionem, deſperans pactis cum *Saladino* in triennium induciis, e Palæſtina diſceſſit. Hunc infauſtum habuerunt exitum ſacræ illæ Expeditiones, quas ad Hieroſolymam, ac Terram Sanctam recuperandam duodecimo ſæculo ſuſceperunt Chriſtiani, qui magis perfidia Grecorum, ſuiſque inteſtinis diſſenſionibus, quam Saracenorum, ſed Turcarum vi colliſi, Hieroſolymæ, Sepulchri Domini, & Regni jacturam fecerunt, nec hactenus proh pudor! repararunt.

D. De rebus in Oriente ſæculo duodecimo geſtis ſatis hactenus diximus. Quapropter hæreamus nunc in Occidente, & in primis diſſeramus de ſtatu Eccleſiæ ſub Imperatoribus Occidentis, quorum ſeriem, ut bene memini, terminaſti in *Henrico* inter Reges Germaniæ hujus nominis IV. ſed inter Imperatores hujus nominis *III.*

M. Poſtquam *Henricus* inter Reges Germaniæ hu-

hujus nominis IV. a filio ſuo *Henrico* privatus Imrio & in carcere detentus, curis & ærumnis confectus obiiſſet anno MCVI. *Henricus* ejus ex *Bertha* filius, & inter Reges Germaniæ hujus nomiminis V. & inter Imperatores IV. ſumma rerum potitus eſt. Hic in Sedem Romanam paternæ hæres violentiæ, cujus tamen, antequam adipiſceretur Imperium, ultorem ſe profeſſus fuerat, Eccleſiam diu multumque exagitavit. Romam quippe anno milleſimo centeſimo undecimo cum exercitu veniens *Paſchali* II. Pontifici Maximo vim intulit, ab eo *Inveſtiturarum*, de quibus tantum certamen erat exortum, privilegium extorſit, & Imperii inſignia ſuſcepit. Teſtatur *Ordericus Vitalis* Monachus lib.X.Hiſt.Eccl.pag.762. plures Cardinales, & Prælatos Eccleſiarum ægre admodum tuliſſe, quod iſtud *Inveſtiturarum* Privilegium contra canones, & prædeceſſorum Pontificum Decreta *Henrico* Imperatori conceſſiſſet *Paſchalis* II. *aſſerebant enim*, ait ille ſcriptor, *quod pro veritate & juſtitia debuiſſet mori* (ſeu Paſchalis II.) *& uſque ad mortem innocenter Chriſtum ſequi, ſatiuſque male vincula & flagra perpeti, quam aliquid contra jus & ſtatuta Patrum poteſtati annuere ſæculari*. Verum, ut obiter dicam, excuſatione dignus eſt *Paſchalis* II. tum quia animum illius Summi Pontificis in ſuis propriis malis & calamitatibus intrepidum, aliorum captivorum vexatio, Urbis Romæ, quam *Henricus* Imperator continuis incurſibus infeſtabat, evidens periculum, ſchiſmatis denique ſcandalum, quod Eccleſiæ imminebat univerſæ, ad annuendum *Henrici* Imperatoris votis, eique Privilegium *Inveſtiturarum* concedendum inflexerunt; tum quia etiam *Paſchalis II.* Pontifex Maximus, cui Jurium Eccleſiaſticorum conſervatio vita erat antiquior, hoc *Inveſtiturarum* Privilegium *Henrico* Imperatori conceſſum revocavit in Concilio Lateranenſi a ſe anno MCXII. congregato, ubi omnia ſuorum Prædeceſſorum lata contra *Inveſtituras* Decreta innovavit, ſeque eis conſtanter adhærere palam profeſſus eſt. Poſt *Paſchalis II.* Summi Pontificis obitum, qui incidit in annum milleſimum centeſimum decimum octavum, *Henricus* Imperator Romam iterum venit, *Gelaſium II.* ſuffectum in locum demortui *Paſchalis II.* ex Urbe egredi compulit, & pacem ab ipſo minis & terroribus extorquere conatus eſt, extrema quæque intentans, niſi pacis ſecuritatem daret, ac juramento firmaret. At *Gelaſius* II. Pontifex Maximus Deum magis, quam Imperatorem timens, nihil omnino in Controverſia de *Inveſtituris* innovavit, & a Deceſſorum ſuorum Decretis ne latum quidem unguem deflexit. Ea *Gelaſii* II. Conſtantia irritatus *Henricus* Imperator, ei *Burdinum* quemdam, quem alii vocant *Mauritium*, Epiſcopum olim Braccarenſem, Antipapam oppoſuit, eumque dictum *Gregorium* VIII. in Sedem Romanam violenter intruſit. Mortuo *Gelaſio* II. anno milleſimo centeſimo decimo nono ſucceſſit in Sede Pontificia *Callixtus* II. Qui ſtatim poſt inaugurationem ſuam Concilium indixit Remis in Gallia celebrandum, & ad *Henricum* Imperatorem Legatos miſit, ad pacem Imperii & Sacerdotii, ſi fieri poſſet, conciliandam. Propenſum ad pacem animum non ſolum exhibuit Imperator, ſed etiam pacta conventa ſibi a Legatis Summi Pontificis oblata ultro ſua ſubſcriptione ſe firmaturum promiſit; ſed cum moras conſulto traheret, ac novas inducias poſtularet, nolletque Inveſtituras per Annulum, & Baculum Paſtoralem dimittere, eum ceu pertinacem *Callixtus* II. in Concilio Remenſi excommunicatione feriit, diriſque devovit. Tum *Henricus* Imperator cernens, ſe paulatim a ſuis deſtitui, paternæ calamitatis exemplo territus, ad officium rediit, omnia, quæ per tyrannidem expreſſerat, reſcidit in Generali Conventu Wormatienſi, ac tandem Controverſia de Inveſtituris compoſita eſt in Concilio Lateranenſi I. quod eſt Œcumenicum IX. Imperator Inveſtituras Epiſcopatuum & Abbatiarum per baculum & Annulum dimiſit, & Canonicas Electiones libere fieri permiſit. Eccleſia vero conceſſit, ut Electiones præſente Imperatore fierent, & ſi qua inter Electores exoriretur diſcordia, ipſe parti aſſenſum auxiliumque præberet, Metropolitani & Comprovincialium Epiſcoporum judicio vel conſilio: Electus autem Epiſcopus vel Abbas Regalia ab Imperatore, non per Annulum, & Baculum Paſtoralem, ſed per ſceptrum reciperet. Hoc modo Eccleſiæ pax reddita eſt anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, quo celebratum fuit Concilium Generale Lateranenſe I. ut copioſius in Colloquio quarto agendo de Conciliis oſtendemus. Acer ingenio, fortis & audax fuit *Henricus* Imperator, ſed parum felix in præliis. Bellum ſiquidem ſub initium Imperii ſui cum Polonis haud ſecundo marte geſſit. Alterum quoque anno MCXV. cum Saxonibus, a quibus pariter pene attritus, & denique ſub finem vitæ ſuæ, hoc eſt anno MCXXIV. collegit exercitum in *Ludovicum* Regem Galliarum Chriſtianiſſimum, ut *Henrico* Angliæ Regi, cujus filiam *Mathildem* uxorem duxerat, pro vindicanda Normannia opem ferret. Sed Francorum ingenti exercitu ad congreſſum parato abſterritus, pedem retulit, ad frangendam Wormatienſium rebellium converſus audaciam. Obiit *Henricus* Imperator anno MCXXV. Regni ſui XX. Imperii vero XIV. & Spiræ ſepultus eſt juxta corpus Patris ſui, quod, teſte Abbate Urſpergenſi, inſepultum extra Eccleſiam ſolido quinquennio remanſerat, & tandem concedente *Paſchali* II. Sacerdotibus Germanis aſſerentibus, ipſum peccatorum ſuorum pœnitentem obiiſſe, Chriſtiano ritu ſepulturæ mandatum eſt. Mortuo abſque liberis (*a*) *Henrico* Imperatore, Germaniæ Regnum in *Lotharium* hujus nominis II. Saxonum Ducem, invitum licet ac repugnantem, Electorum ſuffragiis tranſlatum eſt anno MCXXV. Fuit Princeps religioſus, pius, juſtitiæ amans, litteriſque ita addictus, ut, ſicut nonnulli referunt, ad concitandos legum ſcientiæ ſtudioſorum animos, Doctoratus & Magiſterii gradus in Academias invexerit, primamque fuiſſe tradunt Bononienſem, in qua legum libri legi cœperint. Sub initium Regni ſui *Fridericum* & *Conradum* Imperatoris *Henrici* ex ſorore nepotes æmulos habuit *Lotharius*, quos tamen feliciter repreſſit, eiſque ob contumaciam *Honorius* hujus nominis II. Papa ſacris interdixit,

xit, & *Anſelmum* Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui *Conradum* ad Imperium aſpirantem coronaverat, excommunicavit. Bis in Italiam venit *Lotharius*, primo in eam ducto exercitu anno MCXXXIII. contra *Rogerium* Siciliæ Comitem, & Apuliæ, Calabriæque Ducem, qui expulſo *Innocentio II.* legitimo Pontifice, in Sede Apoſtolica collocaverat *Petrum Leonis* Antipapam, dictum *Anacletum* II. qui, ut *Rogerium* ſibi magis devinciret, titulum Regium ei indulſit. At *Lotharius* Rogerium in ordinem redegit, *Anacletum* Pſeudo-Pontificem expulit, & *Innocentium* II. in Sedem reſtituit, a quo Imperialem Coronam eodem an. Mcxxxiii. accepit. Inde *Lotharius* in Germaniam redux, *Fridericum*, & *Conradum*, pacem conciliante *S. Bernardo* Claræyallenſi Abbate, in gratiam recepit. Alteram in Italiam militarem expeditionem anno Mcxxxv. ſuſcepit *Lotharius* Imperator contra *Rogerium* Eccleſiæ hoſtem, quem armis adeo inſecutus eſt, ut Campania, & Apulia ſubactis, eum ex Italia fugere compulerit, & *Rainulphum* Apuliæ Ducem conſtituerit. Orta eam ob rem contentio eſt Pontificem inter & Imperatorem, utroque videlicet Ducatum Apuliæ ſui juris eſſe aſſerente. Sed hæc diſcordia ſtatim ſopita eſt, quia, ut ait *Falco* Hiſtoriæ Beneventanæ Scriptor, electo in Ducem Apuliæ Comite *Rainulpho*, viro prudenti & diſcreto, qui *Mathildem* ſororem *Rogerii* uxorem duxerat, *vexillum ad honorem Ducatus*, *Apoſtolicus*, ſeu *Innocentius* II. Papa, *&* *Imperator* Lotharius *in conſpectu omnium ei tradiderunt*, *& confirmaverunt*. Dum ex Italia in Germaniam rediret *Lotharius* Imperator, apud Tridentum morbo correptus eſt, & *apud Breduwanvillam in finibus Alpium conſtitutam*, ſicut apud *Baronium* teſtatur Chronographus Magdeburgenſis, mortuus eſt, non Anno MCXXXVIII. ut affirmat *Baronius*, ſed anno MCXXXVII. ut tradunt *Robertus de Monte*, *Duodechinus* Abbas, Continuator *Lamberti Scafnaburgenſis*, Chronographus Hildensheimenſis, & alii paſſim. (*b*) Defuncto abſque liberis Imperatore *Lothario*, in Conventu generali Principum Moguntiæ anno milleſimo centeſimo triceſimo octavo *Conradus* hujus nominis III. Sueviæ Dux, & *Henrici* IV. Imperatoris ex ſorore nepos electus eſt Rex Germaniæ, qui tamen vulgo Imperator dictus fuit, licet coronam imperialem nunquam acceperit, quod ejus tempore Italia, ipſaque Roma Bellis civilibus arderet. Hic ille eſt *Conradus*, qui, ut mox dicebamus, ab *Honorio* II. Pontifice Maximo fuerat excommunicatus, quod *Lotharii* Imperii æmulus eſſet, & ab *Anſelmo* Mediolanenſi Archiepiſcopo fuiſſet coronatus. Sed poſtea cum *Lothario* reconciliatus *Conradus*, ejuſque in Regno Germaniæ ſucceſſor, optimum Principem ſe ſe exhibuit, multa prudentiæ & clementiæ exempla præbuit, pluresque Germaniæ civitates inſtauravit & exornavit. *Henricum* ſuperbum Saxoniæ ac Bavariæ Ducem, ejuſque fratrem *Guelphum* rebelles ac tumultuantes repreſſit. Hinc prodiere id temporis celebres illæ *Guelphorum*, *Gibellinorumque* Factiones. Hoſtibus Imperatoris inditum eſt *Guelphorum* nomen, hi vero, qui Imperatori favebant, appellati ſunt *Gibellini*, ab urbe *Geblinga*, in qua *Conradi* filius Henricus, qui pro patre contra *Guelphum* pugnabat, fuerat ablactatus, ut notat *Nauclerus* Tom. 2. Chronici Generatione XXXVIII. ubi etiam obſervat, quod commiſſo prælio inter *Henricum* filium Conradi, & *Guelphum*, cum ex more inter præliandum qui *Guelpho* adhærebant, clamarent: H*ie Gulf*, & viciſſim milites H*enrici* clamitarent: H*ie Gebelin*, Itali, Longobardi, & Siculi cum *Guelpho* pugnantes interrogarunt, quid ſibi vellet hoc dictum: H*ie Gebelin*? quibus declaratum fuit, quod Papales, ſeu qui a partibus Summi Pontificis ſtabant, eo die ſignificati fuerint per *Guelphum* propugnatorem, & Imperiales per Gibellinos. Unde ab illo eventu, ait, uſque in præſens Papæ adhærentes in Italia ſignificantur per *Guelphum*, & qui Imperio adhærent per *Gibellinos*. Hactenus *Joannes Nauclerius*. Sed quantam perniciem, civilemque peſtem duæ illæ factiones *Guelphorum*, & *Gibellinorum* ſub *Friderico* II. Imperatore poſtea in Italia late ſparſerint, oſtendemus in Colloquio I. in Hiſtoriam decimi tertii Eccleſiæ ſæculi. Ad *Conradum* Romanorum Regem duas Epiſtolas ſcripſit *S. Bernardus* Claræyallenſis Abbas, videlicet clxxxiii. & ccxliv. quibus eum ad exhibendam reverentiam ſummæ & Apoſtolicæ Sedi, & ad defenſionem Auctoritatis Pontificiæ contra Romanos rebelles plurimum adhortatur. Eodem hortante S. Bernardo, *Conradus*, ut ſuperius obſervavimus, Crucis Inſigni ſumpto, Hieroſolymam cum exercitu profectus eſt, rebuſque infeliciter geſtis, rediit, obiitque Bambergæ anno Mclii. Regni ſui decimo quarto, non ſine ſuſpicione veneni ei propinati a Medicis Italis a *Rogerio* Siciliæ Rege corruptis. Filios duos ex conjuge ſuſceperat *Conradus* Romanorum Rex, videlicet *Henricum*, quem Principum conſenſu Regem creaverat, & *Fridericum*. Sed *Henricus* biennio defunctus eſt ante patrem. *Fridericum* vero adhuc puerum commendavit nepoti ſuo *Friderico* Sueviæ Duci, quem, ceu virum induſtrium & ad regendum Imperium Romanum aptiſſimum, ut Regni ſucceſſorem eligerent, Principibus ſuaſit. Quod & factum eſt, nam Fridericus die quarta menſis Martii ejuſdem anni milleſimi centeſimi quinquageſimi ſecundi Francofurti electus, die nona ejuſdem menſis, quæ in Dominicam cadebat, coronatus eſt, dictuſque *Ænobardus*, ſive *Barbaroſſa* a barba rufa; coronam tamen imperialem anno dumtaxat milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto ab *Hadriano* IV. Pontifice Maximo accepit *Fridericus Barbaroſſa*. Præclaris quidem naturæ dotibus præditus fuit hic Imperator, animo acer, adminiſtrando aptiſſimus imperio, & omnibus tum pacis, tum belli, quod in Polonos, & Mediolanenſes feliciter confecit, obeundis muneribus nulli ſecundus. Sed violata ab ipſo Eccleſiæ concordia, & ſchiſma, cujus auctor fuit, ejus virtutum lucem ac ſplendorem infuſcarunt. In primis, *Fridericus Barbaroſſa* diſſidium habuit cum *Hadriano* IV. Summo Pontifice, a quo fuerat Imperator coronatus. Hoc autem diſſidium, licet intra verba tantum, & acres hinc inde miſſas ſteterit Epiſtolas; quas *Baronius* ad annum

Mclix. num. v. & ſeq. refert, totam tamen Eccleſiam in duas partes diviſit, & ex eo graviſſima mala in univerſum populum Chriſtianum redundarunt. Querebatur *Hadrianus* iv. quod dum *Eskyllus* Lundenſis Archiepiſcopus a Sede Apoſtolica remearet, in Germania captus, & ſpoliatus fuiſſet, atque adhuc in cuſtodia teneretur, ſilente & diſſimulante *Friderico* Imperatore, qui tamen ad hujus ſceleris ultionem exurgere, & in Auctores animadvertere debuiſſet. Ex adverſo graviter *Fridericus* Imperator fuit offenſus, quod *Hadrianus IV.* Pontifex Maximus cum *Willelmo* Siciliæ Rege quem ipſe ex Italia penitus expellere meditabatur, pacem, ſe inſcio & inconſulto, iniiſſet. Qua de re ſupra modum commotus Imperator inhibuit, ne ullus Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut quivis Sacerdos ullam a Pontifice Romano Beneficiorum collationem poſtularet, aut ulla de cauſa Curiam Romanam adiret. Mortuo *Hadriano IV.* Pontifice Maximo, *Fridericus* Imperator dirum ſchiſma conflavit in Eccleſia, & contra *Alexandrum III.* legitimum *Hadriani IV.* Papæ ſucceſſorem intruſit quatuor pſeudo-Pontifices ſibi mutuo ſuccedentes, videlicet *Victorem IV. Paſchalem III. Callixtum III.* & *Innocentium III.* ſicut in Colloquio ſequenti opportunius oſtendemus. Hoc autem ſchiſma *Friderici* Imperatoris opera conflatum, quod ab initio Pontificatus *Alexandri III.* hoc eſt, ab anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono Chriſtianos vexavit, continuatum eſt uſque ad annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum, quo tandem anno *Friderici* Imperatoris pœnitentia, humilique ejus obſequio finitum eſt. *Venit* quippe *Fridericus IX. Kalend. Auguſti coram Papa Alexandro apud Venetiam, & incredibili honore ſuſceptus, ante illum proſtratus, elevatus a Pontifice & deoſculatus eſt. Craſtino Feſto B. Jacobi feria ſecunda idem Auguſtus ab ipſo Papa apud Sanctum Marcum ſacram percepit communionem.* Verba ſunt *Gaufredi* Prioris Voſienſis, qui hoc tempore vivebat, in ſuo Chronico apud *Labbeum* Tomo ii. Bibliothecæ pag. 324. Hic obiter obſervare debes, facile ex illius coætanei Scriptoris teſtimonio refelli vulgo jactatam illam fabulam, quod *Fridericus* Imperator oſculum figens dixerit *Alexandro* iii. Pontifici Maximo: *Non tibi, ſed Petro*, & quod *Alexander* Pontifex oſculum admittens *Friderici* Imperatoris caput pede preſſerit, reponens: *Et mihi, & Petro*. Hæc, inquam, fabula facile exſufflatur ex hoc teſtimonio *Gaufredi* Prioris Voſienſis eo tempore viventis, qui modum, quo *Fridericus* Imperator cum *Alexandro* iii. Pontifice Maximo reconciliatus eſt, accurate refert, nec minimum tamen de ea fabula verbulum habet. Eamdem etiam fabulam alto ſilentio prætermiſerunt *Romualdus* Salernitanus Archiepiſcopus, qui Concilio Veneto & *Friderici* Imperatoris abſolutioni interfuit, *Matthæus Paris* in Hiſtoria Anglica ad annum Mclxxvii. *Willelmus* Tyrius Archiepiſcopus, & *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Angliæ. Præter quam quod, credibile non eſt, *Alexandrum* iii. qui *Joannem Strumenſem* Antipapam, a ſuis *Callixtum* iii. nuncupatum, ſchiſma an. Mclxxviii. ejurantem, tanta manſuetudine tantaque benignitate ſuſcepit, ut illum teſte *Romualdo* Salernitano Archiepiſcopo, familiaritate ſua & menſa dignaretur, voluiſſe *Friderico* Imperatori ad pœnitentiam converſo, ſuaque ei obſequia deferenti cum tanto faſtu inſultare. Poſtremo, ipſemet *Alexander* iii. Pontifex Maximus in epiſtola Venetiis *in Rivo Alto*, vi. Kalend. Auguſti ad *Vuillelmum* Remenſem Archiepiſcopum, Apoſtolicæ Sedis Legatum, & Suffraganeos ejus ac Abbates in Remenſi Provincia conſtitutos data, reconciliationem *Friderici* Imperatoris, ut geſta eſt, narrat, ſcribitque his verbis: *Notum ſit ſollicitudini veſtræ, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus, illuſtris Romanorum Imperator, per inſpirationem divinæ gratiæ, depoſito vanitatis errore, ad viam veritatis converſus, ad obedientiam Eccleſiæ & noſtram reverenter & devote, ſicut decuit, rediit, & illam in nobis B. Petro reverentiam & devotionem exhibuit, quam anteceſſores ejus noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhibere, & ſe de cætero exhibiturum promiſit.* In hac porro Summi Pontificis narratione de reconciliatione *Friderici* Imperatoris, nullum prorſus illius fabulæ apparet veſtigium. Optimo itaque jure *Baronius*, aliique viri doctiſſimi hanc fabulam, non minus quam aliam de *Joanna* Papiſſa confictam, exſibilari debere affirmant. Cum *Alexandro* iii. Pontifice Maximo reconciliatus *Fridericus* Imperator, omnium prave in Eccleſiam geſtorum ſincera pœnitentia ductus bellum contra *Saladinum*, qui debellatis in Oriente Chriſtianis Hieroſolymam occupaverat, ſuſcepit, ibique multis fortiter præclareque geſtis, in ipſo victoriarum curſu anno milleſimo centeſimo nonageſimo occubuit demerſus in flumine, in quod ſeſe, æſtus refrigerandi gratia, projecerat. Qua de re legenda eſt Anonymi epiſtola poſt *Radevici* Canonici Friſingenſis Hiſtoriam edita. Legendus quoque eſt Chronographus Reicherſpergenſis, qui expeditionem *Friderici* Imperatoris in Orientem, ubi mortuus eſt, refert ex *Tagenone* Patavienſis Eccleſiæ Decano, qui Imperatorem comitabatur, & omnia, quæ ad illam in Palæſtinam Expeditionem ſpectant, annotavit. Annos triginta octo regnavit in Germania Fridericus, Imperium vero tenuit annos triginta quinque. Eodem anno, ſeu Mcxc. quo *Fridericus* Imperator e vivis exceſſit, ſuffectus eſt in ejus locum ejus ex *Beatrice* filius *Henricus* inter Reges Germaniæ hujus nominis vi. ſed v. inter Imperatores, cognomento dictus *Aſper* propter aſperrima tormenta, quibus Siculos excruciavit. Imperii Coronam a *Cæleſtino* iii. Pontifice Maximo accepit anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo. *Rogerii* primi Siciliæ Regis filiam *Conſtantiam* uxorem duxit, ejuſque conſilio arma movit in Siciliam, mortuo abſque legitimis liberis *Vuillelmo* Siciliæ Rege, cum tamen Siculi Germanorum dominationem metuentes Siciliæ Regem creaſſent *Tancredum* Rogerii Ducis Calabriæ filium ex Concubina ſuſceptum. Indicto itaque bello Siciliæ Regnum *Henricus* Imperator repetit, Salernum invadit, Neapolim expugnat, & mortuo poſt biennium *Tancredo*, ejuſque filio, tota Campania, Apulia, &

Sici-

Digitized by Google

Sicilia potitus eſt. *Sybillam*, ſeu *Sibiliam* Tancredi uxorem viduam cum tota familia cepit, in Regni Siciliæ Proceres omne genus immanitatis & exquiſita tormenta exercuit. *Richardum* Angliæ Regem e bello ſacto redeuntem, & a *Leopoldo* Auſtriæ Duce Viennæ interceptum, & ad ſe miſſum tyrannice detinuit, magnamque ab eo pecuniæ vim, redimendæ libertatis gratia, extorſit, quam ob rem a *Cæleſtino III.* Summo Pontifice anathemate perculſus eſt. Sanctum *Albertum* Epiſcopum Leodienſem & Sanct. Rom. Eccleſiæ Cardinalem Remis ab Apparitoribus occidi juſſit, ut fuſe narrat *Ægidius* Aureæ vallis Monachus in Hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium. Ad tot expianda ſcelera *Henricus* Imperator Expeditionem in Palæſtinam decrevit, ac copias in Aſiam miſit, quæ tamen poſt inceptum feliciter bellum, audita morte Imperatoris, in Europam redierunt, ut ſcribit *Nangius* in Chronico ad annum MCXCVII. his verbis: *Teutonici, qui in terram tranſmarinam tranſierant, dum omnia turbulenter agitant, inducias, quas noſtri cum Turcis inierant, abrumpunt, urbemque Berytum oppugnant & capiunt: quo Turci promoti Joppen Civitatem pervadunt, obtruncant omnes, munitionem diruunt, ſoloque coæquant,* & poſt aliqua interpoſita ſubjungit: *Teutonici, qui mare in Terram Sanctam tranſierant, cum grandia ſe facturos ſperarent, audita morte Imperatoris repatriant.* Idem narrat Abbas Urſpergenſis, qui hoc tempore vivebat ad annum MCXCVII. quo anno *Henricus* Imperator apud Meſſanam urbem Siciliæ vita functus eſt. Fragmentum teſtamenti hujuſce Imperatoris recitat *Baronius* ad annum MCXCVII. in quo indicat, ſe pœnitere perſecutionis Romanæ Eccleſiæ illatæ, ſtatuitque, ut ſi *Fridericus*, filius ſuus *ſine hærede deceſſerit, Regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam deveniat.*

„ (a) Placet hic integra verba referre Annali-
„ ſtæ Saxonis, qui in Annalibus ſuis hiſtoriam
„ Henrici V. ita concluſit. *Hic, ut præſcriptum*
„ *eſt, primo ſub ſpecie Religionis patrem excom-*
„ *municatum imperio privavit. Confirmatus in*
„ *honoribus mores mutavit; ſed poſt injurias A-*
„ *poſtolicæ ſedi illatas ſemper ſe ipſo inferior fuit;*
„ *juſtitiis regni non multum invigilavit; acer fuit*
„ *ingenio, fortis & audax, licet parum felix. In*
„ *præmiis multus, in appetendis alienis; pecu-*
„ *nias, ut ajunt, infinitas congeſſerat, quas ſe-*
„ *cundum ſcripturas cum teſaurizaſſet, ipſe ſine fi-*
„ *liis obiens, heu heu ignorabat.*

„ (b) Juvat hic pariter referre ea quæ de ge-
„ nere mortis Lotharii tradit Annaliſta Saxo ab
„ Eccardo vulgatus in Corp. Hiſtoric. med. ævi
„ tom. 1. ad annum 1137., qui ſane ſcriptor de-
„ ſinit in annum 1139. quot & vixiſſe videri pot-
„ eſt; nam minuta ſingula hiſce annis perſequi-
„ tur; en ejus verba: *denique Lotharius Impera-*
„ *tor Trigentinam* (Tridentinam) *veniens, ibique*
„ *feſtum S. Martini cum gaudio celebrans, infir-*
„ *mari cœpit, quo langore quotidie ingraveſcente,*
„ *amore magno reviſendæ patriæ nec ob hoc inter*
„ *ſuum remorari patiebatur; ſed prævalente morta-*
„ *li ægritudine deſperatus, cum Epiſcopi, qui ad-*
„ *erant, exitum ejus, unctione ſacri olei, e vi-*
„ *vificis Sacramentis muniſſent, tandem apud Bre-*
„ *duvam villam, in faucibus Alpium conſtitutam,*
„ *ille, heu multis lamentabilis, utpote pax Eccle-*
„ *ſiæ, amator religionis & juſtitiæ, III. Nonas De-*
„ *cembris a Seculo migravit. Tempora ipſius jo-*
„ *cunda fuerunt, nam bona aeris temperie, omni-*
„ *gena terra fertilitate, cunctarum rerum copia, non*
„ *ſolum per regnum, ſed & per orbem exuberabant.*
„ *Merito a nobis noſtriſque poſteris pater patriæ ap-*
„ *pellatur, quia erat egregius defenſor, & fortiſſi-*
„ *mus propugnator, nihili pendens vitam ſuam con-*
„ *tra omnia adverſa propter juſtitiam opponere, &*
„ *ut magnificentius de eo dicamus, in diebus ejus*
„ *populus terra non pertinuit. Unuſquiſque enim*
„ *ſua libere pacificeque poſſidebat.*

Poſt obitum *Henrici* Imperatoris, de Regno Germaniæ inter ſe decertarunt *Philippus*, & *Otto*. At enim, *Philippus*, germanus frater defuncti *Henrici* Imperatoris e Sicilia in Germaniam cum *Friderico* ejuſdem *Henrici* Imperatoris filio puerulo & in cunis reverſus, ab una Electorum parte Rex Germaniæ eſt renunciatus, ſed hanc electionem aliis improbantibus, *Bertholphus* Dux Zaringiæ ab altera parte Principum Rex Germaniæ creatus eſt. Veritus tamen *Bertholphus* potentiam *Philippi*, regiam dignitatem repudiavit, eamque *Philippo* ceſſit. Inde novæ excitatæ turbæ, ſciſſa procerum concordia, Æmuli ſiquidem *Philippi* ejuſque Imperio parere detrectantes, Regem Germaniæ elegerunt *Ottonem* Saxoniæ Ducem. Sic diſtractis in duos Electorum ſuffragiis, alii ad *Philippum Henrici* Imperatoris fratrem, alii ad *Ottonem* Saxoniæ Ducem Imperii decus trahere connitebantur. *Philippo* electo Germaniæ Regi favebat ejuſdem cognominis Rex Franciæ *Philippus*; Partes vero *Ottonis*, qui itidem Rex Germaniæ fuerat electus, tuebantur Summus Pontifex *Innocentius III.* & *Richardus* Rex Angliæ, cujus litteras in gratiam *Ottonis* ad hunc Summum Pontificem *Innocentium* ſcriptas exhibet *Odoricus Raynaldus* continuator *Baronii* ad annum MCXCVIII. Atrox inter utrumque Regem Germaniæ electum exarſit bellum, quod protractum eſt uſque ad mortem *Philippi*, qui anno MCCVIII. Bambergæ, dum in cubiculo poſt venæ ſectionem cubaret, ab *Ottone* Palatino ad Colloquium ingreſſo confoſſus eſt pugione, quem ſub veſte abditum detulerat, anno Regni ſui decimo. Tunc *Otto* hujus nominis IV. qui, ut mox diximus, contra *Philippum* Rex Germaniæ fuerat electus, eo demortuo anno MCCVIII. tenuit Imperium, & ſequenti anno coronam imperialem Romæ accepit ab *Innocentio* III. Pontifice Maximo, ſicut ſuo loco, ſeu in Colloquio I. in Hiſtoriam XIII. Eccleſiæ ſæculi, auxiliante Deo, commonſtrabimus.

D. Veniamus modo ad Francorum Reges & oſtende, ſi placet, quo loco eſſent res Eccleſiæ ſub Regibus, qui duodecimo ſæculo Galliarum Regnum gubernarunt?

M. Regum Francorum ſeriem in Colloquio I. in Hiſtoriam ſæculorum X. & XI. perduximus uſque

ad *Philippum* hujus nominis I. quem anno MCVIII. fato functum fuiſſe ibidem diximus. Verum circa eumdem *Philippum* Galliarum Regem tria hic obiter obſervare debemus, de quibus loco laudato nullam mentionem fecimus. Primum eſt, errare nonnullos, qui aſſerunt, Galliarum Regnum, ob noxam *Philippi* Regis, qui repudiata legitima uxore ſua *Berta*, nuptias cum *Bertrada* inierat, Anathemati & Interdicto fuiſſe ſubjectum. Id ſiquidem oppido falſum eſſe, aperte probat altum in omnibus veteribus illius ætatis monumentis ſilentium. Primus adverſus *Philippum* Regem claſſicum cecinit S. *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus, ac ſæpius in epiſtolis ſuis adverſus divortium Philippi Regis,& illicitas ejus cum *Bertrada* nuptias loquitur, de ejus pariter Anathemate, deque ejus interdictione a ſacris, ſed ne verbum quidem dicit de publico Galliarum Regno interdicto. Præterea, in Concilio Auguſtodunenſi primum in has illicitas *Philippi* Regis nuptias actum eſt, ſicut *Bertholdus* memorat, aitque, tantummodo in eo *Philippum* Regem fuiſſe excommunicatum, interdicti vero, cui, ob noxam Philippi Regis fuerit ſubjectum Galliarum Regnum, nullibi meminit. Communione itidem Eccleſiæ, propter inceſtas illas, nefariaſque nuptias, *Philippus* Galliarum Rex in Concilio Claromontano habito anno MXCV. privatus eſt, ſed in Galliarum Regnum nulla Interdicti lata fuit ſententia. Similiter in Concilio Pictavienſi celebrato anno MC. *Philippus* Galliarum rex cum *Bertradam* dimittere nollet, a Legatis *Paſchalis* II. Summi Pontificis tertio excommunicationis ſententia perculſus fuit, at in Actis illius Concilii nulla apparet Cenſura Interdicti in Galliarum Regnum; immo ex antiquis Eccleſiæ Gallicanæ monumentis certiſſime conſtat, quod, toto eo tempore, quo *Philippo* Galliarum Regi ſacris & communione interdictum eſt, Epiſcopi Galliarum Regni, ſicut antea, ſacra peragebant, & Clerici omnes ſuum, quemadmodum prius, implebant miniſterium, & plebs pro more Conventus & Liturgiam agitabat, quod ſane argumento eſt, nullum anathema in Galliarum Regnum, ob illegitimas *Philippi* Regis cum *Bertrada* nuptias, fuiſſe a Summis Pontificibus, vel Conciliis pronunciatum.

Alterum, quod obſervare debes, ſpectat hanc formulam *Regnante Chriſto*, quæ in Actis publicis poſt excommunicationem *Philippi* Galliarum Regis inſcripta legitur. Nonnulli ſiquidem Scriptores occaſione iſtius formulæ affirmant, propter excommunicationem in Regem *Philippum* latam, nomen *Philippi* Regis in Actis publicis fuiſſe omnino ſuppreſſum, illiuſque loco ſubſtitutum nomen Chriſti, adeo ut in Actis publiciſque monumentis hæc formula *Regnante Chriſto*, non autem *Regnante Philippo*, inſcriberetur. Sed hæc conjectura a veritate Hiſtoriæ abhorret. Viri quippe doctiſſimi complura ex veteribus monumentis, Chartis, & Tabulariis afferunt exempla, queis evincunt, hanc formulam, *Regnante Chriſto*, jam ante excommunicationem Philippi Galliarum Regis, & poſt ejus tempora fuiſſe in uſu. Reges ſcilicet Galliarum de ſe modeſte ſentientes, Deum rerum omnium ſupremum Dominum agnoſcebant, Regnumque ſuum ab ipſo acceptum ei referebant, iſtaque formula, *Regnante Chriſto*, ſummam reverentiam Deo debitam teſtabantur. Qua de re videſis *Hiſtoriam Eccleſiæ Pariſienſis* editam a *Gerardo Du Bois* lib. 11. c. 5. pag. 749. librum ſecundum *de re Diplomatica* cap. 26. & *Diatribam*, quam *de formula*, *Regnante Chriſto*, ſcripſit *David Blondellus*.

Poſtremo, obſervare debes *Philippum* Galliarum Regem, jubente *Paſchali II.* Pontifice Maximo a ſententia excommunicationis in Concilio Pariſienſi an. MCIV. congregato fuiſſe abſolutum, poſtquam juramentum præſtitiſſet, ſe impoſterum illicitam copulam cum *Bertrada* non habiturum. Hoc autem *Philippi* Regis juramentum ex MS. Codice Corbejenſi refert *Dacherius* tomo 3. Spicilegii, & ex eo *Labbeus* tomo 10. Concil. pag. 658. & ſeq. *Philippus* Galliarum Rex genuit ex *Bertrada Philippum*, *Florum*, & *Ceciliam*, ſed quia *Paſchalis* II. Summus Pontifex diſpenſationem ratione affinitatis *Bertradæ* cum Rege a *S. Ivone* & aliis quibuſdam Epiſcopis petitam concedere nunquam voluit, pro nothis & ſpuriis habiti ſunt filii & filiæ, quas *Philippus* Rex ex *Bertrada* ſuſcepit, ſicut aſſerunt *San Marthani* in Gallia Chriſtiana. *Philippus* Galliarum Rex, poſtquam regnaſſet annos quadraginta ſeptem, mortuus eſt anno milleſimo centeſimo octavo, ut teſtantur Auctores coævi *Ordericus* lib. 11. Chronographus Malleacenſis, & *Fulcherius* lib. 11. Hiſtoriæ Hieroſol. quibus paſſim alii conſentiunt. Ei in Galliarum Regnum ſucceſſit illius ex *Berta* legitima Conjuge filius *Ludovicus* hujus nominis VI. cognomento *Craſſus*, qui ab anno MXCV. a patre fuerat Rex deſignatus. Aureliani a *Daimberto* Senonenſi Archiepiſcopo *Ludovicus* Rex inauguratus fuit, reclamantibus licet, ut videre eſt apud Baronium, Remenſibus, qui aſſerebant, Francorum Regum unctionem ad *Remigii* ſucceſſores, hoc eſt, ad Archiepiſcopos Remenſes pertinere. Super ea enata controverſia *S. Ivo* Carnotenſis Epiſcopus elegantem ſcripſit Apologiam, qua oſtendit, neceſſarium non eſſe, ut Galliarum Reges Remis conſecrentur, cum multi Reges Francis imperaverint, qui Remis Regni Inſignia, & ſacram inaugurationem non acceperunt. *Ludovicus* VI. Galliarum Rex, poſtquam pleroſque Dynaſtas, qui tyrannidem in Eccleſias & in Regios ſubditos exercebant, in ordinem redegiſſet, diuturnum bellum geſſit cum *Henrico* I. Anglorum Rege, cujus author fuit *Theobaldus* Bleſenſis Comes *Adelæ* ſororis *Henrici* Angliæ Regis filius, qui *Ludovicum* VI. Francorum Regem offendens belli facem accenderat, & *Henricum* Anglorum Regem Avunculum ſuum in partes ſuas pertraxerat. Hinc *Henricum* Anglorum Regem inter & *Ludovicum* Francorum Regem acerbæ iræ, malaque graviſſima, quæ plures annos tenuerunt, ita ut, quamvis ab armis interdum ceſſatum ſit, ambo tamen colligendo tantum vires reſpiraſſe viderentur, ut fortius inſurgerent. Comendebat *Ludovicus* Galliarum Rex, Ducatum Normanniæ, ſi non *Roberto* Henrici I. olim Francorum Regis fratri in vinculis detento, ejus tamen filio, *Guillelmo* nomine, hæredita-

rio

Digitized by Google

rio jure deberi, ac ſubinde hunc Normanniæ Ducatum ab *Henrico* Anglorum Rege juſte detineri ac poſſideri haud poſſe. Ex ea altercatione, quæ magis illorum Regum exulceravit animos, crudele inter eos exarſit bellum, de quo legendi ſunt *Alfordus* in Annalibus, ad annum MCXVIII. *Sugerius* Abbas in Vita *Ludovici Craſſi*, & *Ordericus* lib. 12. Tandem an. MCXX. pax inter utrumque Regem ſancita eſt, & *Willelmus* filius *Henrici* Anglorum Regis hominium fecit *Ludovico* Francorum Regi, & Normanniæ ſub illo ſuſcepit Principatum, ſicut ſcribit *Simeon Dunelmenſis* in Hiſt. de *Geſtis Rerum Anglorum*. Summos Pontifices tempore ſchiſmatis egregie juvit, & impenſe coluit *Ludovicus* VI. Francorum Rex, quod ægre admodum ferens *Henricus* inter Germaniæ Reges hujus nominis V. qui occaſionem inveſtiturarum ſchiſma in Eccleſia excitaverat, quam maximas copias contraxit, in Galliarum Regnum quamprimum irrupturus. Sed deterritus formidando *Ludovici* Francorum Regis exercitu in quo amplius ducenta hominum millia numerabantur, receptui cecinit *Henricus*, reſque ſuas cum *Callixto* II. Pontifice Maximo compoſuit. Diſſidium habuit *Ludovicus* VI. Galliarum Rex cum *Stephano* Pariſienſi Epiſcopo, qui eum anathemate perculit, quod Eccleſiæ bona nonnulla uſurpaſſet; eamque ob rem *Stephanus* litteras ad omnes Eccleſiarum Prælatos, & Abbates, ad ipſum quoque *Honorium II.* Summum Pontificem dedit, rogans ut ſuæ ſe cauſæ adjungere vellent. Sed tandem *Ludovicus* Rex ad meliorem frugem converſus ablata reſtituit, & a vexandis *Stephano* Pariſienſi Epiſcopo, & *Henrico* Senonenſi Archiepiſcopo *Stephani* Metropolita deſtitit, uti narrat *Baronius* ex epiſtolis S. Bernardi 44. 45. 46. 47. & 49. Has epiſtolas in *Ludovicum* Regem querimoniæ plenas S. *Bernardus* impatienter ferens quæ adverſus utrumque Præſulem a Rege gerebantur, tam ſuo, quam *Gaufridi* Carnotenſis Epiſcopi nomine ad *Honorium* II. Pontificem Maximum dedit an. MCXXVII. Gravi dyſenteriæ morbo correptus *Ludovicus* Rex magno cum pietatis affectu ſeſe ad mortem præparavit, ut videre eſt in ejus Vita a *Sugerio* Abbate ſcripta. Sed paulo antequam moreretur, *Guillelmi* Ducis Aquitaniæ Nuntios excepit, qui ei denunciarunt, præfatum Ducem ad Compoſtellanam S. *Jacobi* Eccleſiam voti cauſa profectum, in itinere mortuum fuiſſe, eumque morti proximum filiam ſuam unicam, *Alienoram* nomine, *Ludovico juniori* Regi (qui filius erat *Ludovici Craſſi*) deſponſandam, cum Aquitaniæ dote, ſuprema voluntate deliberaſſe. Hanc ſupremam Ducis Aquitaniæ voluntatem actutum executioni mandari juſſit Ludovicus VI. miſitque filium ſuum *Ludovicum* cum ſelecto quingentorum & amplius nobilium Comitatu ad ducendam Sereniſſimam Sponſam. Sed dum nuptiarum ſolemnitas Burdigalæ celebratur, omniumque maxime lætitia geſtit, ecce in medio convivii Legatus pernici curſu delatus *Ludovicum* Regem Pariſiis e vivis exceſſiſſe denunciavit. Sancte ac religioſe obiit ille Rex Kalendis Auguſti anni MCXXXVIII. Regni XXX. ætatis pene LX. atque Galliarum Regni hæredem reliquit filium ſuum *Ludovicum* hujus nominis VII. cognomento *Juniorem*, quem ex *Adelaide* filia *Humberti* II. Comitis Maurinianenſis, ſeu Sabaudiæ, ſibi matrimonio copulata ſuſceperat, eumque jam anno MCXXX. conſortem ac ſucceſſorem Regni declaratum, Remis inaugurari curaverat ab *Innocentio* II. Pontifice Maximo in Synodo, quam contra *Petrum Leonis* Antipapam celebravit. Accepto itaque nuncio de obitu patris ſui *Ludovicus* VII. feſtinato Pariſios venit ubi congregatis Ordinibus, negotiis Eccleſiæ & Regni providit. Grave diſſidium habuit *Ludovicus* VII. Galliarum Rex cum *Innocentio* II. Summo Pontifice occaſione *Petri de Caſtro* Archiepiſcopi Bituricenſis. Hunc quippe Archipræſulem quod abſque ipſius aſſenſu fuiſſet conſecratus *Ludovicus* Rex Bituribus recipi vetuit. Hanc a Rege illatam violentiam *Innocentius* II. ultus eſt interdicto, cui Galliarum Regnum per triennium fuit ſuppoſitum. Inde etiam cauſa belli, quod idem *Ludovicus* Rex diu geſſit cum *Theobaldo* Comite Campaniæ, qui erat frater *Stephani* Angliæ Regis. At enim cum *Theobaldus* faveret *Petro de Caſtro* Bituricenſi Archiepiſcopo indignatus ob hoc *Ludovicus* Rex, concitavit omnes fere Proceres ſuos, ut una cum eo bellum inferrent Comiti *Theobaldo*, cepitque Vitriacum oppidum ejuſdem Comitis, *ubi admoto igne incenſa eſt Eccleſia, & in ea* MCCC. *homines diverſi ſexus & ætatis periere*, ut ſcribit *Guillelmus Nangius* in Chronico ad annum MCXLII. Cauſam *Theobaldi* Comitis non ſolum graviſſimis epiſtolis tuitus eſt S. *Bernardus* Claravallenſis Abbas, ſed etiam ipſummet Regem *Ludovicum* ſevere corripuit, epiſtola CCXXI. quod malis Conſiliariis aures animumque præberet. Tandem *Ludovicus* Rex facti pœnitens anno MCXLIII. miſit ad *Cœleſtinum* II. Legatos pro ineunda pace, & ab eo Anathematis ſeu interdicti abſolutionem impetravit, annoque ſequenti, opera S. *Bernardi*, pacem iniit cum *Theobaldo* Campaniæ Comite, quem hactenus male habuerat, quæ pax adeo firma fuit, ut *Ludovicus* Rex poſt divortium cum *Alienora* prima uxore ſua, & poſt *Conſtantiam* ſecundam conjugem vita functam, *Adelam*, *Theobaldi* Comitis Campaniæ filiam, matrimonio ſibi junxerit, ex qua *Philippus* cognomento *Auguſtus*, qui patri *Ludovico* in Regnum ſucceſſit, natus eſt, ſicut mox referemus. Circa idem tempus *Ludovicus* VII. Galliarum Rex, hortante S. *Bernardo* ſacram militiam ad recuperandam Terram Sanctam contra Turcas ſuſcepit, & ingenti cum exercitu iter eſt aggreſſus, *Alienora* uxore comite, Regni adminiſtratione *Sugerio* Sandionyſiano Abbati commendata. Sed rebus, ut jam obſervavimus in Oriente infeliciter geſtis, in Gallias reverſus eſt, & congregato Balgentiacenſi Concilio repudiavit uxorem ſuam *Alienoram*, quod, dum Antiochiæ ageret, in patrui Palatio thori conjugalis fidem impudica libidine violaſſet. Sic repudiata *Alienora*, ejuſque matrimonio cum *Ludovico* Rege objecta, ac juridice probata affinitate, dirupto; *Henricus* Normannorum Dux, & Andegavorum Comes, qui poſtea fuit Angliæ Rex, eam conjugem duxit, & dota-

H 4 libus

Digitized by Google

libus tabulis Dux Aquitanorum, & Comes Pictonum factus eſt, quibus ditionibus Angliæ Regnum poſtmodum adauxit. Hoc matrimonium *Alienoræ* cum *Henrico* ſemen fuit atrociſſimi belli, quod de Aquitaniæ poſſeſſione Francos inter & Anglos ortum eſt, quod deinde ut cumque ſopitum eſt, *Margarita* Ludovici Regis filia deſponſata filio *Henrici* II. Angliæ Regis. Orto in Eccleſia ſchiſmate, *Ludovicus* VII. Galliarum Rex, *Alexandrum* III. Pontificem Maximum ſumma veneratione ſuſcepit, eique cum toto Galliarum Regno obedientiam profeſſus eſt. Maxima etiam pietate & obſervantia excepit, fovitque Sanctiſſimum Cantuarienſem Archiepiſcopum pro juſtitia & defenſione Eccleſiaſticæ libertatis exulem *Thomam*, quem poſt mortem, tanquam Martyrem veneratus, Cantuariam ad ejus ſepulchrum adiit, voti ſolvendi cauſa, quod nuncupaverat pro recuperanda ſalute filii ſui *Philippi*, qui periculoſa ægritudine erat correptus. Domum redux *Ludovicus* Rex *Philippum* filium quem ſanitati reſtitutum invenit, ſolemni ritu Regem conſecrari curavit, obiitque poſt filii ſui inaugurationem Pariſiis, an. Mclxxx. Regni xliv. ætatis circiter ſexageſimo quarto. Poſt *Ludovici* Regis obitum, ejus ex *Adela* conjuge filius *Philippus* II. *Adeodatus*, & *Auguſtus* nuncupatus, ſolus regnare cœpit annorum pene ſexdecim adoleſcens *Willelmo* Reginæ *Adelæ* fratre, Remenſi Archipræſule avunculo ſuo ſapientia & conſiliis ipſum in Regni adminiſtratione dirigente, *Eliſabetham* Comitis Hannoniæ *Balduini* filiam, *Philippus* Rex duxit uxorem, Regnique ſui exordia Eccleſiæ ac Religioni conſecravit. Inprimis, poſtquam Principum quorumdam in ſe conjuratorum, ac civile bellum in Regno incendentium conatus fregiſſet, ſubegiſſetque perduelles, totum ſe ad officia pietatis convertit. Judæos per innocentum puerorum cœdem Sacris Chriſtianis illudentes, & aliorum ſcelerum convictos, perpetuo multatos exilio, edicto promulgato, ex univerſo Galliæ Regno exire juſſit, ipſorumque Synagogas Chriſtianis expiatas ritibus in ſacras Ædes convertit: Contra blaſphemos legem tulit, eoſque graviſſimis pœnis ſubjecit. *Coterellos* hæreticis nequiores in Provincia Bituricenſi ferro ac flamma graſſantes (de quibus in Colloquio tertio Sermonem habituri ſumus) penitus delevit. Eccleſiaſticam libertatem ſtrenue tuitus eſt. Hiſtriones, ac joculatores Aula abegit. Oratores e Syria ad ipſum venientes, ut pro Chriſtianis in Oriente a *Saladino* pene ſubactis auxilium implorarent, benigne excepit, habitoque Pariſiis Antiſtitum, & Procerum Conventu ſacrum bellum decrevit, ad quod felicibus auſpiciis conficiendum, Decimis, quas *Saladinas* appellarunt, aſſenſu Cleri & populi in ſumptus belli ad annum duntaxat impoſuit, ſolis Carthuſienſium, Ciſtercienſium, Fontis Ebraldi Ordinibus, ac Leproſis exceptis. In hac Expeditione militari haud proſpera fortuna uſus *Philippus Auguſtus*, & ægritudine in Oriente correptus, in Gallias, ut jam obſervavimus, regreſſus eſt, bellumque diuturnum geſſit cum *Richardo* Angliæ Rege, quod feliciter & ex animi ſententia confecit. Duplex Interdictum paſſa eſt Gallia Regnante *Philippo Auguſto*. Primum Interdictum anno Mcxcix. in Galliarum Regnum latum eſt a *Petro Capuano* Sedis Apoſtolicæ Legato propter captionem *Petri de Duaco* Cameracenſis Epiſcopi electi menſe Majo factam ab *Hugone d' Amelencourt*, ejuſque detentionem a *Philippo Rege*, ſed illud Interdictum fuit tantum trimeſtre, duravitque Junio, Julio, & Auguſto. Alterum Interdictum in Galliarum Regnum ab eodem Sedis Apoſtolicæ Legato vibratum eſt menſe Januario anni milleſimi ducenteſimi, eo quod *Philippus Auguſtus* Rex *Ingeburgim* ſororem *Canuti* Danorum Regis, quam uxorem duxerat, repudiaſſet, novaſque nuptias iniiſſet cum *Maria* Ducis Bohemiæ, Moraviæque filia. Quod interdictum octo menſibus duravit, luxitque per id temporis Gallia ſacrorum omnium expers, donec *Philippus Auguſtus* Rex Decreto Pontificio obtemperans, dimiſſa *Maria*, *Ingeburgim* legitimam conjugem ſuam in Regiam reduxiſſet. Sed de *Philippo Auguſto* Galliarum Rege plura dicemus in Colloquio I. in Hiſtoriam ſæculi XIII. quo ſæculo mortuus eſt *Philippus Auguſtus*, ſeu anno Mccxxiii. poſtquam regnaſſet annos quadraginta tres, quorum viginti priorum ad ſæculum xii. pertinentium Hiſtoriam in iſto Colloquio breviter expoſuiſſe ſufficiat.

D. E Gallia in Hiſpaniam tranſeamus, & compendioſe, quæſo, deſcribe ſtatum Eccleſiæ ſub Regibus, qui duodecimo ſæculo Regna Caſtellæ & Legionis gubernarunt poſt *Alphonſum* hujus nominis vi. Caſtellæ Legionis Regem, cujus mortem in Colloquio primo in Hiſtoriam ſæculorum decimi & undecimi conſignaſti anno milleſimo centeſimo nono.

M. Cum *Mauri* duodecimo Eccleſiæ ſæculo complures Hiſpaniæ civitates occuparent, & Eccleſiæ ac Regno multam cladem inferrent, ad illos Chriſtiani nominis hoſtes profligandos ſæpius Hiſpaniarum Reges bella moverunt, *Alphonſus* hujus nominis VI. de his Barbaris inſignem retulit victoriam, Toletum expugnavit, Sacrorum religionem inſtauravit, & abrogato in Hiſpania Ritu Gothico, Romanum Officium, Rituſque in omnibus ditionibus ſuis ſuſcipi ac celebrari ſanxit. De hoc Officio Gothico, dicto *Mozarabico*, quod diu in Hiſpania, Gallia item Narbonenſi, & aliis regionibus Gothorum Regno ſubjectis viguit, legeſis Cardinalem *Joannem Bona* lib. I. Rerum Liturgicarum cap. XI. Poſt multa præclare geſta obiit *Alphonſus* VI. anno milleſimo centeſimo nono, & unicam reliquit filiam nomine *Urracam*, quæ primum nupta *Raymundo* Duci Burgundiæ peperit filium *Alphonſum*, quem Hiſpaniarum Proceres Regem ſalutarunt, renitente licet *Urraca* Regina matre, quæ poſt prioris mariti ſui *Raymundi* obitum, nuptias cum *Alphonſo* Aragonum Rege inivit. At *Urraca*, poſtquam regnaſſet XIII. annis, in Legionis arce obſeſſa conditionem illam pacis, volens nolens, accipere coacta eſt, ut redditibus, unde vitam ſuſtentare poſſet, aſſignatis, Regnum ipſa filio cederet. Anno itaque Mcxxii. *Urraca* Caſtellæ Regina ab *Alphonſo* hujus nominis VII. filio ſuo fuit ſpoliata Regno, atque ab omnibus Regni Magnatibus ut Rex legitimus agnitus eſt, ſicut *Sandovalius*, alii-

que

que Scriptores Hiſpanici tradunt. Non ſolum Caſtellæ, ac Legionis Regem, ſed etiam Imperatorem ſeſe appellavit *Alphonſus* VII. Sic enim Concilio Palentino anno MCXXIX. celebrato ſubſcripſit: *Ego Adelphonſus præfatus Imperator, una cum conjuge mea, quod fieri mandavi, proprio robore confirmo*, ſicut videre eſt apud Cardinalem *de Aguirre*, qui hoc Concilium Palentinum ex MS. Mondexarenſi eruit, integrumque publicavit Tomo III. *Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hiſpaniæ*. Varias Expeditiones contra Mauros ſuſcepit *Alphonſus* VII. eiſque eripuit Cauriam urbem, regionemque univerſam, quæ Ana & Tago continetur, populatus eſt. Cordubam quoque, Beatiam, Almeriam, plureſque alias nobiles civitates & arces in ſuam poteſtatem redegit. *Berengariam* Raymundi Berengarii hujus nominis III. Barcinonis & Provinciæ Comitis ac *Dulciæ* Comitiſſæ filiam ſibi matrimonio copulavit, ex qua duos ſuſcepit filios, *Sanctium* ſcilicet, & *Fernandum*, ſeu *Ferdinandum*, & filiam *Conſtantiam*, quæ poſtea *Ludovico* VII. Galliarum Regi nupta eſt. Mortuus eſt *Alphonſus* VII. ex militari contra Mauros expeditione rediens anno MCLVII. ſed priuſquam moreretur, diviſit imperium duobus filii ſuis, *Sanctio* natu majori Caſtellæ Regnum & *Fernando*, ſeu *Ferdinando* Legionis Regnum dedit. At *Sanctius* hujus nominis III. Caſtellæ Rex, qui, vivente adhuc patre, *Blancam* Garſiæ Ramiri Navarræ Regis filiam duxerat uxorem, ſublatus eſt immatura morte, ob quam ipſi nomen *Deſiderati* datum eſt, obiit in procinctu belli, quod in Mauros Bœticam infeſtantes parabat. *Ferdinandus* vero ejus frater Legionis Rex hujus nominis ſecundus poſtquam unum & triginta annos regnaſſet, e vita migravit anno MCLXXXVIII. Poſt *Sanctii* & *Ferdinandi* mortem Regna Caſtellæ, & Legionis inter eorum filios adhuc remanſere diviſa. *Alphonſus* VIII. in Caſtellæ Regnum *Sanctio* patri ſucceſſit, *Eleonoræ* filiæ *Henrici* II. Regis nupſit, Mauros ſæpius debellavit, & *Concham* urbem prævalidam in Celtiberiæ finibus poſt diuturnam, gravemque obſidionem expugnavit, anno tamen milleſimo centeſimo nonageſimo quinto *Alphonſus* VIII. Caſtellæ Rex a Mauris, ſeu Saracenis, prope Calatravam *ad Alarcum* oppidum fuſus, fugatus profligatuſque fuit. Sed de *Alphonſo* VIII. Caſtellæ Rege iterum redibit ſermo in Colloquio I. in Hiſtoriam Eccleſiæ ſæculi decimi tertii, cum ipſe vixerit ad annum uſque milleſimum ducenteſimum decimum quartum. Pauca etiam hic dicemus de altero *Alphonſo* dicto IX. quem *Ferdinandus* Legionis Rex ex *Urraca* Regis *Alphonſi* Portugalliæ filia ſuſceptum Legionis Regni hæredem reliquit. Nam cum iſte *Alphonſus* dictus IX. Ferdinandi filius Legione regnaverit, vixeritque uſque ad annum milleſimum ducenteſimum trigeſimum primum, illius geſta commodius referemus in Colloquio I. in Hiſtoriam ſæculi decimi tertii. Hic tantum dicam obiter, hunc *Alphonſum* IX. Legionis Regem nuptias iniiſſe cum *Theraſia* filia *Sanctii* Luſitaniæ Regis, verum *Theraſia* juſſu Romanorum Pontificum, præſertim *Innocentii* III. ob propinquitatem repudiata anno ducenteſimo ſupra milleſimum, *Berengariam* filiam *Alphonſi* Caſtellæ Regis in ejus locum aſciviſſe. Cæterum hic prætermittere haud poſſum mala, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo Chriſtiani in Hiſpania paſſi ſunt, poſtquam Saraceni dicti *Almohades* in Hiſpania Saracenica circa annum MCXLV. dominari cœperunt. Hi ſiquidem Saraceni dicti *Almohades*, quos nonnulli perperam confundunt cum aliis Saracenis, qui appellantur *Almorabitæ*, tanto odio Chriſtianos proſequebantur, ut eorum Eccleſias ſolo æquarent, & omnes, qui Religionem Chriſtianam deſerere nollent, internecione delerent, nec eos ullo pacto apud ſe permanere ſinerent. Qua in re iſti Saraceni, *Almohades* dicti, longe in Chriſtianos crudeliores fuerunt illis Saracenis, qui *Almorabitæ* dicebantur. Hi quippe, quamdiu in Hiſpania Saracenica regnarunt, Chriſtianos, qui a ſua religione diſcedere nolebant, ſecum permixtos, & ideo *Mozarabes* appellatos vivere permittebant. At Saraceni *Almboades*, poſtquam, deſtructis Saracenis *Almorabitis*, Hiſpaniam Saracenicam occuparunt, omnes Chriſtianos ſine exceptione trucidarunt, ita ut ex omnibus Chriſtianis Mozarabibus nullus ſuperfuerit præter illos, qui in terras Chriſtianorum Hiſpaniæ ſeſe fuga proripere potuerunt ſuam tyrannidem exercuerunt Saraceni *Almohades* uſque ad annum milleſimum ducenteſimum duodecimum, quo anno Chriſtiani illos prælio aggreſſi memorabili clade attritos proſtrarunt ac penitus exterminarunt, ſicut referemus in Colloquio primo in Hiſtoriam ſæculi decimi tertii.

D. Res Eccleſiæ ſub Regibus, qui duodecimo ſæculo Angliæ Regnum adminiſtrarunt, non optimo loco fuiſſe, facile conjicio ex morte S. *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi, quem jura Eccleſiæ invicta animi conſtantia propugnantem fuiſſe a ſicariis ad Aram trucidatum nuper obſervaſti. Cedo itaque ſeriem Regum, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo ſumma rerum in Anglia potiti ſunt, & indica tempus, quo S. *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus Martyrium in Anglia paſſus eſt.

M. Seriem Regum Angliæ jam in præcedentibus Colloquiis exhibuimus uſque ad *Willelmum* hujus nomini II. qui anno centeſimo ſupra milleſimum occiſus eſt. Ei ſine prole demortuo in Regnum Angliæ ſucceſſit ejus frater *Henricus* I. Hic teſte *Orderico* lib. X. *inter proſpera & adverſa regnum ſibi divinitus commiſſum prudenter & commode moderatus eſt, ac inter præcipuos Chriſtianitatis Principes, obtentu pacis & juſtitiæ fulgens, inſignis habitus eſt. In diebus ejus Eccleſia Dei divitiis & honoribus alacriter emicuit, & omnis Ordo Religioſorum ad laudem creatoris multipliciter crevit*. At enim *Henricus* hujus nominis I. Angliæ Rex, qui *Mathildi* filiæ *Malcomi* III. Scotiæ Regis nupſit, ut Regnum Angliæ bene ac ſapienter adminiſtraret, Leges a S. *Eduardo* Angliæ Rege latas accurate ſervari juſſit. Furta, ſtupra, monetæ adulterationem ſeveriſſimis pœnis coercuit. Multa Monaſteria in Anglia & Normannia excitavit. S. *Anſelmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi in frænanda Clericorum continentia adjutor fuit.

Wil-

Digitized by Google

Willelmi II. fratris ſui, antea Angliæ Regis, Acta injuſta reſcidit, vinctos ſolvit, inſolentia remiſit tributa. Nec minus militiæ laude claruit *Henricus I.* Angliæ Rex, quippe qui Normanniam, quæ *Willelmi II.* fratris ſui incuria in plures dominos diſtracta erat, totam ſubegit, Wallenſes ad defectionem ſemper proclives domuit. Bellum cum *Ludovico* VI. Galliarum Rege geſſit, quod tamen ſtatim compoſitum eſt ea conditione, ut *Willelmus*, filius *Henrici* I. Angliæ Regis, hominium Galliarum Regi pro Normannia faceret, ejuſque ſe Beneficiarium profiteretur. *Inveſtituras* quidem *Henricus* Angliæ Rex retinere voluit, & hac de cauſa cum *Paſchali* II. Pontifice Maximo, & Sancto *Anſelmo* Cantuarienſi Archiepiſcopo negotium habuit, ſed remiſit tandem *Inveſtituras* per annulum & baculum. Genuit ex *Mathilde* conjuge ſua *Willelmum* filium, qui immatura morte præreptus eſt, & *Mathildem* filiam quam *Henrico* Imperatori collocavit. Sed, mortuo *Henrico* Imperatore, *Mathildem* filiam ſuam ex Germania revocatam cum *Gaufredo* Andegavenſi matrimonio ſociavit. Nullam ex *Adela* filia Ducis Lotharingiæ, quam defuncta priori conjuge ſua *Mathilde*, uxorem duxerat *Henricus* Angliæ Rex, prolem ſuſcepit, quapropter, priuſquam moreretur, *Mathildem* filiam ſuam, olim Imperatricem, ejuſque filium *Henricum* Regni hæredes inſtituit, & anno MCXXXV. pie omnibuſque Eccleſiæ Sacramentis munitus in Normannia obiit, ſicut *Hugo* Rothomagenſis Archiepiſcopus, qui *Henrico* Angliæ Regi morienti adfuit, teſtatur in Epiſtola ſcripta ad *Innocentium* II. Pontificem Maximum. Mortuo *Henrico* I. Angliæ Rege, *Stephanus* Bononienſis Comes, ejus ex ſorore nepos, Regnum invaſit, violato juramento, quo *Mathildi* Imperatrici & filiæ *Henrici* I. Angliæ Regis obſtrinxerat fidelitatem. Peſſime Angliæ Regnum adminiſtravit *Stephanus*, utpote qui Eccleſiarum theſauros diripuit, poſſeſſiones terrarum Laicis dedit, Clericorum Eccleſias alienis vendidit, Epiſcopos vexavit, aut res ſuas alienari coegit Abbatias vel amicorum gratia, vel relaxatione debitorum indignis conceſſit, totamque Angliam, teſte *Vuillelmo Malmesburienſi*, Domeſticis, externiſque motibus toto Regni ſui tempore exagitavit. Cum *Mathilde* Imperatrice, & filia *Henrici* I. Angliæ Regis nupta *Gaufredo* Andegavenſi Comiti diuturnum bellum vario eventu geſſit *Stephanus* Rex Angliæ, filiumque ſuum *Euſtachium* Normanniæ Ducem conſtituit, ſed mortuo *Euſtachio*, Normanniam ſibi ſubegit *Gaufredus* Comes Andegavenſis, *Mathildis* maritus, eoque Ducatu donavit *Henricum* ſuum ex *Mathilde* filium. Hic ille *Henricus* eſt qui ut ſuperius dicebamus, *Alienoram*, a *Ludovico* VII. Galliarum Rege repudiatam, uxorem duxit, & dotali Aquitaniæ Ducatu potitus eſt, quique *Stephano* Regi Angliæ defuncto an. MCLIV. in Regnum Angliæ ſucceſſit, dictus *Henricus* II. Hujus *Henrici* II. Angliæ Regis tempore S. *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus pro tuenda Eccleſiaſtica libertate, quam pravis Legibus & conſuetudinibus violabat ille Rex, glorioſam mortem oppetiit. Hoc facinus perpetrandi verbis imprudentibus, acerbis querimoniis, & impotentis iræ ſignificatione ſacrilegis ſatellitibus occaſionem quidem dedit *Henricus* II. eum tamen a cæde S. *Thomæ* Cantuarienſis revera inſontem fuiſſe, multis momentis evinci poteſt. Primo, legitur c. III. l. IV. *Hiſtoriæ Quadripartitæ*, quod ſtatim ac mors S. Thomæ Cantuarienſis innotuiſſet *Henrico* Regi Angliæ, *afflictus eſt afflictione magna .... ingemiſcens ſemper & dolens, & ſæpius iterans, Heu! Heu!* Præterea, Epiſcopi Angliæ & Normanniæ in Epiſtola, quam ad *Alexandrum* III. Pontificem Maximum ſcripſerunt, *Henricum* II. Angliæ Regem a cæde S. Thomæ Martyris purgarunt. Tertio, coram Legatis Sedis Apoſt. *Theodino*, & *Alberto* Presbyteris Cardinalibus, & in frequenti apud Abrincas Epiſcoporum, & Procerum Conventu Rex *Henricus* II. tactis Sacris Evangeliis juravit, ſe Cantuarienſis Archiep. necem nec imperaſſe, nec conſilio, auxilio, vel aſſenſu voluiſſe, aut approbaſſe, ſed potius de ea vehementer indoluiſſe. Confeſſus eſt tamen, ſe verbis querulis de Sancto Archiepiſcopo imprudenter, & cum doloris teſtificatione, iræque impetu prolatis immane iſtud flagitium perpetrandi anſam & occaſionem dediſſe, pro cujus expiatione ad omnem ſatisfactionem ſibi a Legatis Sedis Apoſt. impoſitam humiliter ſubeundam, & religioſe adimplendam paratiſſimum ſe ſe exhibuit. Quocirca Rex ſibi a Legatis Apoſt. injunctam ſatisfactionem demiſſo, ac pœnitenti animo ſuſcipiens, & præ foribus Eccleſiæ veniam poſtulans, ab iiſdem Legatis abſolutus, in Eccleſiam introductus eſt, ſicut legitur in Hiſtoria quadripartita. Quarto, refert *Gervaſius Dorobernenſis*, Scriptor Anglus in ſuo Chronico, quod *Henricus* II. Angliæ Rex ad implorandam S. *Thomæ* Cantuarienſis Archipræſulis & Martyris interceſſionem Cantuariam profectus eſt, ubi *in veſte lanea, nudis pedibus ab Eccleſia S. Dunſtani, quæ longe extra Urbem poſita eſt, uſque ad tumbam S. Thomæ Martyris perveniens, ibidemque diutius & devote procumbens, ab omnibus, qui adſtabant, Epiſcopis, Abbatibus, & Monachis ſingulis Eccleſiæ Chriſti voluntate ſpontanea verberatus eſt.* Quod etiam narrant *Baronius* ex vita S. Thomæ Cantuarienſis, & *Vuillelmus Neubrigenſis* hujus temporis Scriptor l. 2. c. 34. ex quibus momentis aperte colligitur, *Henricum* II. Angliæ Regem nec Imperio, nec conſilio, nec auxilio, nec aſſenſu cædi S. Thomæ Cantuarienſis Archiep. cooperatum fuiſſe, ſed potius de ea plurimum doluiſſe. Verum, quia *Henricus* II. Angliæ Rex verbis quibuſdam querulis S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum trucidandi, ſacrilegis ſatellitibus occaſionem dederat, permiſit Deus, ut ejus filii *Henricus*, *Richardus*, & *Joannes* cum *Alienora* matre adverſus ipſum conjurarent, & ad hanc conjurationem *Ludovicus* VII. Francorum Rex, *Guillelmus* Scotiæ Rex, *Philippus* Flandriæ Comes, & plurimi Optimates, Duces ac Principes acceſſerint. Quin, teſtatur *Joannes Bromptonus* Anglus Monachus Ciſtercienſis in Chronico, quod *omnes proximi*, Henrici II. Angliæ Regis, *cum decederet, & familiares circumſtantes ita rapacitati indulſerunt, ut corpus Regis diu nudum jaceret, donec puer quidam inferioris corporis partes pallio brevi contegeret.* Id autem non tam humanæ ſeveritati,

quam

Digitized by Google

quam divinæ ultioni adſcribendum eſſe cenſet idem Scriptor: *Eadem enim menſura*, inquit, *qua menſus eſt, remenſum eſt ei, ut qui patrem ſuum B. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum uſque ad mortem, & licet mortem non intulerit, perſecutus eſt, ipſi a filiis propriis uſque ad diem extremum perſecutio non deeſſet*. Mortuus eſt *Henricus* II. Angliæ Rex anno MCLXXXIX. eique in Regnum Angliæ ſucceſſit *Richardus* hujus nominis I. ejus filius ſecundo genitus, cum *Henricus* qui *Henrici* II. Angliæ Regis erat filius primogenitus, jam an. MCLXXXVI. prope Lemovicum e vivis exceſſiſſet. Paternum Angliæ Regnum adeptus *Richardus* hujus nominis I. cognomine *Cor Leonis*, in Orientem bellum Saracenis illaturus una cum *Philippo Auguſto* Galliarum Rege anno milleſimo centeſimo nonageſimo profectus eſt, ibique, ſicut ſuperius obſervavimus, Ptolomaidem cum fœderatis Principibus expugnavit, Cypri Regnum, quod in ſuam poteſtatem redegerat, *Guidoni* Hieroſolymorum quondam Regi vendidit. Sed e Palæſtina diſcedens *Richardus* Angliæ Rex, cum naufragium in mari vix evaſiſſet, ſæviorem in continenti expertus eſt tempeſtatem. Captus quippe a *Leopoldo* Auſtriæ Duce, quicum privatas ſimultates gerebat, traditus eſt anno MCXCIII. *Henrico* Imperatori, a quo peſſime habitus, & per annum integrum captivus remanſit, & ad libertatem redimendam centum & quinquaginta mille marcas argenti Imperatori perſolvere coactus eſt. Anno itaque milleſimo nonageſimo quarto in Angliam reverſus *Richardus* Rex, bellum cum *Philippo Auguſto* Galliarum Rege quinque circiter annos geſſit, hoc eſt, uſque ad annum MCXCIX. quo *Richardus* Angliæ Rex in obſidione *Calaci*, quod Caſtrum eſt in Lemovicis, ſagitta in brachio percuſſus, ac male curato vulnere, occubuit, ſepultuſque eſt in Monaſterio Fontis Ebraldi, ubi & patris illius corpus jacebat. *Richardo* in Regnum Angliæ ſucceſſit *Joannes* ejus frater, *ſine terra* vulgo nominatus, cujus geſta ſuo loco referemus, hoc eſt in Colloquio I. in Hiſtoriam ſæculi decimi tertii.

D. Statum Eccleſiæ ſub Principibus Chriſtianis tam in Oriente, quam in Occidente hactenus accurate repræſentaſti, ſed, antequam huicce Colloquio noſtro finem imponamus, hoc unum a te diſcere cupio, an videlicet Eccleſia aliquod duodecimo ſæculo ſuſceperit incrementum?

M. Haud parum duodecimo ſæculo Eccleſia ſuſcepit incrementum. Anno ſiquidem milleſimo centeſimo vigeſimo quarto *Otto* Epiſcopus Bambergenſis invitatus a *Boleslao* Poloniæ Duce hujus nominis III. ad converſionem *Pomeranorum* adhuc Paganorum, quos variis præliis ſibi ſubjecerat, impetrato a *Calliſto* Papa ad illam Gentem Apoſtolatu, eamdem prædicationem verbi Dei, Domino cooperante, & ſermonem ſignis & miraculis confirmante, ad Chriſtianam fidem perduxit, meruitque dici *Apoſtolus Pomeranorum*; (ſunt hi populi Slaviæ, qui *Pomerani* ideo appellantur, quod juxta mare ſint poſiti.) *Uratiſlaus* Pomeraniæ Dux, amboque ejus filii a Sancto *Ottone* baptizati fuere, & *Adelbertus* Pomeraniæ Epiſcopus renunciatus ſedem poſuit Vollini, quod Oppidum eſt inſulæ Julini ad Oſtia Oderæ fluvii, ſed ea Epiſcopalis ſedes ann. MCLXXV. Caminum translata eſt. Omnia, quæ pro converſione *Pomeranorum* geſſit S. *Otto* Bambergenſis Epiſcopus, legi poſſunt in vita Sancti illis Epiſcopi tribus libris comprehenſa, quam Auctor quidam Anonymus hujus temporis Scriptor concinnavit, & quæ extat apud *Caniſium* lib. 2. Antiq. lect. Aliud duodecimo ſæculo incrementum ſuſcepit Eccleſia ſedente *Alexandro* III. Is quippe Summus Pontifex, dum anno MCLXXVII. adhuc ageret Venetiis, accepit Epiſtolam a *Joanne* Indorum Rege, vulgo *Presbytero*, vel *Pretejani* appellato, quem multi poſt *Baronium*, exiſtimant, Abyſſinorum ſeu Æthiopiæ eſſe Imperatorem, alii vero aſſerunt, Imperium *Presbyteri Joannis* non in Africa, ſed in Aſia eſſe ſitum. Ut ut ſit, hanc Epiſtolam ad *Alexandrum* III. ſcripſit *Presbyter Joannes* Indorum Rex occaſione adventus *Philippi* ejuſdem Summi Pontificis medici, qui regiones illas perluſtrans, cum vidiſſet fidem Chriſtianam, quam populi illi amplectebantur, cum Romana in omnibus conſentientem non eſſe, id *Presbytero Joanni* Imperatori ſignificavit, qui veritatis diſcendæ cupidus per eumdem *Philippum* in Italiam remeantem ſcripſit ad *Alexandrum* III. litteras, quibus a Summo Pontifice Eccleſiam in Urbe ſeu Romæ, poſtulabat, in qua miſſi ab eo viri prudentes habitare poſſent, & Apoſtolica plenius inſtrui doctrina, quam poſtmodum in patriam ſuam revertentes alios edocerent. Reſcripſit per eumdem *Philippum* Medicum ſuum *Alexander* III. petiitque Romam mitti viros illos, & cunctas ipſius Regis petitiones ſe executioni mandaturum promiſit. *Quæ autem ſecuta ſint iſta*, inquit *Baronius*, & poſt ipſum *Spondanus* ad annum MCLXXVII. *nos latet, niſi quod ſive ab ipſo Alexandro Papa, ſive ab aliis ejuſdem Sedis Apoſtolicæ Pontificibus conſtat, Æthiopibus iſtis Regni Prete Jani, Abyſſinis dictis, datam Eccleſiam S. Stephani Protomartyris, una cum ejus habitationibus, ſitam poſt abſidem S. Petri, quam in hanc uſque poſſident diem*. Multi Scriptores vanis conjecturis indulgentes etymologiam hujus nominis *Joannis Presbyteri* Indorum Regis e lingua Perſica derivare conantur, ſed meras dant conjecturas nulla auctoritate nixas. Longe, mea quidem ſententia, veroſimilius eſt, hunc toto terrarum Orbe nominatiſſimum Indorum Regem vulgo appellatum eſſe *Presbyterum Joannem*, quia revera Presbyter erat, ſed Neſtorianus, cumque in Eccleſia Orientali licitum eſſet Presbyteris habitare cum uxoribus ante Sacros Ordines ſuſceptos ductis, *Joannes* iſte ex ſua conjuge genuit filium ac Regni ſucceſſorem nomine *Davidem*, uti produnt Hiſtorici. Quicumque ergo in hoc nomine *Presbyteri Joannis* latens aliquod myſterium expiſcari, & e lingua Perſica reſerare atque explicare ſe poſſe exiſtimant, hi certe inani ſeſe torquent labore, & in novis excogitandis conjecturis oleum & operam perdunt.

COLLO-

Digitized by Google

COLLOQUIUM II.

In quo exhibetur ſeries Epiſcoporum, qui duodecimo ſæculo præcipuas Eccleſiæ ſedes tenuerunt.

D. SÆpius audivi a viris eruditis, Sedem Romanam eo ſingulari ſibi a Deo conceſſo, præ cæteris aliis Eccleſiæ ſedibus, gaudere privilegio, quod hi omnes, qui eam hactenus tenuerunt Sumni Pontifices, in nullam unquam impegerint hæreſim, eorumque ſeries ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem non ſit interrupta; cum tamen aliæ nobiliſſimæ Eccleſiæ ſedes, Antiochena, Alexandrina, Hierolymitana, & Conſtantinopolitana ſæpius ab Epiſcopis hæreticis fuerint occupatæ, multiſque jam abhinc ſæculis ſub dura Saracenorum, ſeu Turcarum tyrannide miſerum in modum ſint oppreſſæ, aut omnino deſtructæ. In ſerie itaque texenda Summorum Pontificum, qui, duodecimo ſæculo Sedem Romanam tenuerunt, ac univerſam Chriſti Eccleſiam gubernarunt, potiſſimum in hocce Colloquio habere, ac eorum geſta deſcribere debemus. Dehinc, de Epiſcopis qui eodem ſæculo aliis præcipuis Eccleſiæ Sedibus præfuerunt, breviter diſſeremus.

M. Mortuo *Urbano* II. Pontifice Maximo anno milleſimo nonageſimo nono, ſicut jam obſervavimus in Colloquio II. in Hiſtoriam ſæculorum decimi & undecimi, in ejus locum ſuffectus eſt *Paſchalis* II. Monachus Caſſinenſis ante Pontificatum *Raynerius* appellatus, Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis a *Gregorio* VII. creatus, & morum integritate, doctrina, ſolertia, & ſingulari in rebus agendis prudentia abunde cumulatus (*a*). Hanc *Paſchalis* II. electionem divinitus factam fuiſſe ſcribit *Bertholdus* in Chronico ad annum MXCIX. Eam etiam viro cuidam religioſo revelatam fuiſſe aſſerit *Dodechinus* Abbas in Appendice ad *Marianum Scotum*. Certe pro miraculo duci debet, quod vivente adhuc *Guiberto* ſeu *Wiberto* Antipapa, *Clemente* III. dicto, & ob eam in factiones Urbe olim conſciſſa, in electionem *Paſchalis* II. Pontificis Maximi omnes ſimul in Urbe Clerici & Ordines, nemine adverſante, conſenſerint; ſolus vero ipſe celſiſſimam hanc dignitatem fugiens, invitus ac mœrens eam ſuſceperit. Per hanc tamen *Paſchalis* II. electionem non fuit extinctum ſchiſma ab *Henrico* inter Reges Germaniæ hujus nominis IV. in Eccleſia occaſione inveſtiturarum excitatum. *Guibertus* quippe ſeu *Wibertus*, dictus *Clemens* III. Antipapa ab *Henrico* Rege Germaniæ creatus vixit uſque ad annum milleſimum centeſimum, & poſt ipſius mortem duo confeſtim a ſchiſmaticis electi ſunt pſeudo-Pontifices, *Albertus* ſcilicet, qui tamen eodem ſuæ electionis die captus a Romanis, & apud Sanctum Laurentium retruſus eſt; & *Theodoricus*, qui pſeudo-Pontificatum tenuit diebus CV. & in Cavenſi poſtea Monaſterio recluſus eſt, ut reſtatur *Pandulphus* Piſanus in Vita *Paſchalis* II. De nomine, quod duo iſti pſeudo-Pontifices ſibi impoſuerunt, altum eſt apud veteres Scriptores ſilentium. Præter duos iſtos pſeudo-Pontifices, poſt obitum *Guiberti*, ſeu *Wiberti* electos, tertium ſchiſmatici elegerunt, ac promoverunt Antipapam dictum *Silveſtrum* IV. qui antea vocabatur *Maginulfus*, ſeu *Maginalfus*. Sed hic tertius pſeudo-Pontifex, amiſſa Urbe, exulem vitam miſere finiſſe, ſicque Eccleſiam quieviſſe ſcribit idem laudatus *Pandulphus* Piſanus in vita *Paſchalis* III. Reddita Eccleſiæ pace, *Paſchalis* II. Summus Pontifex anno milleſimo centeſimo quinto, *Guiberti*, ſeu *Wiberti* Antipapæ oſſa, quæ Ravennæ ſepulta fuerant, exhumari & in fluenta projici juſſit, eo quod, ut refert *Willelmus* Bibliothecarius apud Baronium, hi qui *Wiberti* Antipapæ ſtudioſi remanſerant, falſas in vulgus ſpargebant viſiones oſtenſas in ſe pulchro ejus, nimirum viſas illic noctu ſplendere faces cælitus miſſas, illius ſanctitatis indices. Hanc pœnam merito poſt obitum luit *Wibertus* Antipapa, qui per viginti annos Eccleſiam turbavit. Nec meliorem ſortem nactus eſt *Henricus* Imperator hujus nominis III. qui contra *Gregorium* VII. Legitimum Pontificem creaverat Antipapam *Wibertum* quondam Ravennenſem Archiepiſcopum. Hic ſiquidem Imperator qui occaſione inveſtiturarum *Gregorium* VII. ejuſque ſucceſſores acriter inſectatus fuerat, cum vidit anno milleſimo centeſimo quarto ſe imparem eſſe ſedandæ rebellioni, quam proprius filius *Henricus* adverſus ipſum excitaverat, tentavit *Paſchalem* II. Pontificem Maximum ſibi reddere amicum, & miſſo ad eum ſecreto Nuncio, litteras ſcripſit, quibus primo conqueſtus eſt de auſteritate in ſe Romanorum Pontificum, deinde, *Paſchalem* II. de concordia interpellavit. Ad dijudicandam *Henrici* Imperatoris cauſam habitus eſt Moguntiæ anno MCV. celeberrimus totius Germaniæ Præſulum & Principum Conventus, præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis *Richardo* Albanenſi Epiſcopo, & *Gebehardo* Conſtantienſi, ad quos *Henricus* Senior properans apud *Ingelheim*, quo ei Princeps Germaniæ ad vitandum populi tumultum occurrerant, reatum ſuum confeſſus eſt, & ſatisfactionem promiſit. At nolentibus Sedis Apoſtolicæ abſolutionem abſque generalis Synodi, & Summi Pontificis diſcuſſione ei impertire, tandem *Henricus* Senior conſiliis utriuſque partis acquieſcens, depoſitis Imperii inſignibus, videlicet Cruce, Lancea, Sceptro, Globo, atque Corona, eadem *Henrici* filii poteſtati tradidit, atque Summi Pontificis & Eccleſiæ conſtitutionibus ſe ſe ſubmittens, privatus abceſſit in locum quemdam ei aſſignatum. Non diu tamen quievit *Henricus* Senior, quippe qui e loco, in quem, ut privatam vitam ageret, fuerat ablegatus, fuga ſe ſe proripiens, Coloniam primum venit, inde Leodium, & exercitum congregans frequentes ad filium ſuum *Henricum*, ad Epiſcopos ac Principes Germaniæ litteras dedit, quibus poſt vehementes querelas de injuriis ſibi a filio illatis, tertio adverſus eum appellavit *Paſchalem* II. & Eccleſiam, cauſamque ſuam Deo ac ſanctis commendavit, ſicut conſtat ex ejus Epiſtolis ad Epiſcopos Germaniæ ſcriptis, quas

quas Baronius ad annum MCVI. refert. Scripſit etiam *Henricus* Senior tres Epiſtolas ad *Hugonem* Cluniacenſem Abbatem, Tom. 2. Spicilegii Dacheriani inſertas, rogavitque ut ad ſe veniret, quo pacem inire poſſet cum Summo Pontifice: *ſignificans vobis*, inquit, *quod ſi Deo propitio Regnum & Sacerdotium in unum colligere poterimus, poſt confirmatam pacem ire Jeruſalem diſponimus & videre Sanctam Terram, in qua Dominus noſter in carne viſus eſt*. Sed, ut vulgari fertur Adagio, *ſero ſapiunt Phryges*. Sic enim *Henrici* Senioris ad fallendum compoſitus animus omnibus notus erat, ut nemo fuerit, qui ei montes aureos pollicenti, pietatemque ſimulanti fidem adhibere voluerit. Quocirca *Henricus* Senior Germaniæ Regno, ac Imperio a proprio filio ſuo *Henrico* juniore privatus, miſerrimam vitam trahens mortuus eſt anno MCVI. ut jam in præcedentibus Colloquiis obſervavimus.

(*a*) „ De electione Paſchalis ait Annaliſta Saxo Eccardi *deſignatum fuiſſe ad regimen Apoſtolicum eligendum* ab Urbano II. antequam e vita migraret. Hunc vero, Rainerum ante Pontificatum dictum, *& Cardinalem S. Clementis: Sanctæ converſationis & boni teſtimonii Abbatem, quem etiam revelationibus aliis inſuper denotatum univerſam Romanam Eccleſiam paſtorem ſibi conſecraſſe, licet invitum*, ſcribit.

D. Fuitne pacatus ac tranquillus *Paſchalis* II. Pontificatus Imperante *Henrico* Juniore, qui inter Reges Germaniæ eſt hujus nominis V. inter Imperatores vero eſt hujus nominis IV?

M. Qui Patri *Henrico* ſeniori ſucceſſit *Henricus* Junior, *Paſchali* II. Pontifici Maximo moleſtiſſimus fuit, cujus perſecutionem ut declinaret *Paſchalis* II. anno MCVI. in Gallias venit, ut *Regem Francorum*, ſeu Philippum I. *& filium Regem deſignatum Ludovicum, & Eccleſiam Gallicanam conſuleret ſuper quibuſdam moleſtiis, & novis Inveſtituræ Eccleſiaſticis querelis, quibus eum infeſtabat, & magis infeſtare minabatur Henricus Imperator, vir affectus Paterni, & totius humanitatis expers, qui & genitorem Henricum crudeliſſime perſecutus exhæredavit*, ait, *Sugerius* Abbas in Vita *Ludovici Graſſi* Galliarum Regis, quæ extat Tomo 4. *Duſchenii*. A *Philippo* Galliarum Rege, ejuſque filio *Ludovico* exceptus ſummo honore *Paſchalis* II. petiit ab illis, ut Beato Petro, ſibique ejus Vicario opem ferrent, Eccleſiam manu tenerent, & ſicut Anteceſſorum Regum Francorum, *Caroli Magni* & aliorum mos inolevit, tyrannis, & Eccleſiæ hoſtibus, & potiſſimum *Henrico* Imperatori audacter reſiſterent: *Qui amicitiæ, auxilii, & Conſilii dexteras dederunt*, inquit idem *Sugerius* Abbas. Necdum Coronam Imperialem a Summo Pontifice acceperat *Henricus* Rex Germaniæ hujus nominis V. quam proinde ut obtinere poſſet, Romam anno milleſimo centeſimo undecimo valido cum exercitu venit, magnificis promiſſis Coronam Imperii a *Paſchali* II. impetravit, obedientiam juravit, & ceſſionem inveſtiturarum, quas Summus ille Pontifex in multis Synodis damnaverat. Sed ubi *Henricus* inauguratus fuit Imperator, fidem fregit, Papam & Cardinales in Caſtra captivos abduxit, Clericos, Archipresbyteros, & Presbyteros expoliavit, & per vim a *Paſchali* II. extorſit inveſtiturarum conceſſionem, ſicut refert *Landulphus* Piſanus in vita *Paſchalis* II. Multi explorarunt, ac crimini verterunt *Paſchali* II. quod inveſtituras *Henrico* Imperatori conceſſiſſet, non defuerunt tamen, qui habita ratione temporis, malorum, quibus Roma premebatur, & imminentis Schiſmatis metus, eum excuſatione dignum eſſe judicarunt, ſicut nos illum excuſavimus in præcedenti Colloquio; ut ut ſit, hoc Privilegium, quod per vim extorſerat *Henricus* Imperator, reſcidit poſtea *Paſchalis* II. & inhærendo veſtigiis deceſſorum ſuorum inveſtituras damnavit in multis Conciliis quæ ſuo loco, ideſt, in quarto Colloquio referemus. Eccleſiam Romanam rexit *Paſchalis* II. annos XVIII. menſes V. dies VII. & obiit XII. Kalendas Februarii anni MCXVIII. Vitam *Paſchalis* II. ſcripſit *Pandulphus* Piſanus, qui teſte *Onuphrio* initio Chronici Eccleſiaſtici, in Vitis Romanorum Pontificum *Guillelmum* S. R. E. Bibliothecarium ſupplevit a *Gregorio* VII. uſque ad *Honorium* II. non ſecus ac *Guillelmus* ſupplevit *Anaſtaſium* S. R. E. Bibliothecarium ab *Hadriano* II. uſque ad *Alexandrum* II. (*b*).

(*b*) „ Willelmo Bibliothecario nihil debemus aliud quam duorum tantummodo Pontificum Romanorum vitas, nempe Alexandri II. & Stephani V. qui Adriano III. an. 885. ſucceſſit. Alias ſequentium Pontificum vitas Pandulphus Piſanus Romanæ Eccleſiæ Oſtiarius ſupplevit, uſque per totam vitam Alexandri III. Vide quæ ego adjeci ad Bibliothecam Fabricii Med. & inf. Latinitat. V. *Pandulphus*.

Poſtquam e vivis exceſſiſſet *Paſchalis* II. die XXI. Januarii anni milleſimi centeſimi decimi octavi, ceſſavit Pontificatus dies III. ut inquit *Pandulphus* Piſanus in fine Vitæ *Paſchalis* II. & in ejus locum ſubrogatus eſt *Gelaſius* hujus nominis II. natione Campanus Monachus Caſſinenſis, antea dictus *Joannes Cajetanus* S. R. E. Archidiaconus, qui die XXV. menſis Januarii anni MCXVIII. omnium Cardinalium conſenſu, Cleri, & populi voce expetitus in Romanum Pontificem fuit electus, & invitus ac renitens in Apoſtolica Sede locatus. Multis procellis jactatus, graviſſimiſque malis ſtatim poſt electionem ſuam tum a Schiſmaticis, tum ab *Henrico* Rege Germaniæ hujus nominis V. vexatus eſt *Gelaſius* II. Papa. Schiſmatici ſiquidem, Duce *Cencio Frangipane*, accurrentes ad Monaſterium, quod *Palladium* dicebatur, in quo *Gelaſii* II. electio peracta erat, & valvas ac fores contingentes, Eccleſiam furibundi introierunt, *Gelaſium* II. electum Pontificem pugnis, calcibuſque immaniter percuſſerunt, & in carcerem detruſerunt, ex quo tamen Proceres ac Populi eum confeſtim liberarunt. Adveniente non multo poſt Romam *Henrico* Imperatore, aufugit *Gelaſius* II. & Cajetam ſe contulit, ubi die X. Menſis Martii Romanus Pontifex conſecratus eſt. Ea *Gelaſii* II. fuga irritatus Imperator, eadem circiter die decima menſis Martii *Mauricium Burdinum* natione Gallum, & Bracarenſem Archiepiſcopum in Sancti Petri Sedem intruſit, & *Gregorium* VIII. appellavit, cujus Antipapæ vitam *Stephanus Baluzius* tom.

3. Mi-

Digitized by Google

3. Miſcellaneorum pag. 471. ex variis Auctoribus collectam exhibet. Contra *Mauricium Burdinum* Antipapam *Gelaſius* II. ad Galliarum Epiſcopos, cæteroſque per Galliam fideles conſtitutos ſcripſit litteras, quæ extant tom. X. Conciliorum pag. 817. quibus mandat, ut ſe contra *Mauricium Burdinum* Bracarenſem Archiepiſcopum ab Imperatore *Henrico* in Sedem S. Petri intruſum, arment. Romam clam venit *Gelaſius* II. poſtquam *Henricus* Imperator Roma digreſſus in Liguriam rediiſſet; ſed cum Schiſmatici, qui *Henrico* Imperatori adhærebant, ejus vitæ inſidias ſtruerent, in Gallias ſeceſſit Summus Pontifex, ubi cum lætitia ineffabili, ſumma charitate & honore immenſo exceptus eſt, ut teſtantur *Sugerius* Abbas in Vita *Ludovici* hujus nominis VI. Regis Galliarum, & *Falco* Scriptor coævus in Chronico Beneventano. Verum *Gelaſius* II. poſtquam multas Galliarum urbes perluſtraſſet, graviſſima ægritudine correptus, quam citatus *Sugerius* Abbas ait fuiſſe podagram, *Pandulphus* vero Piſanus *Pleureſim* in Vita *Gelaſii* II. appellat, Cluniacum ſe perferri juſſit, *quo deportatus ſummaque reverentia ſuſceptus, completo Epiſcopatus ſui an. 1. & diebus 4. in medio fratrum, circumſtantibus Epiſcopis Cardinalibus in propria domo, proprius Paſtor in pace Cluniaco quievit*, inquit *Hugo* Monachus Cluniacenſis in Epiſtola ad *Pontium* Abbatem Cluniacenſem data, quæ extat in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 463. Obiit itaque *Gelaſius* II. Papa die vigeſima nona menſis Januarii anni milleſimi centeſimi decimi noni, ſicut ſcribunt *Falco* in Chronico Beneventano, *Ordericus* lib. 12. *Fulcherius* Carnotenſis lib. 3. Hiſtoriæ Hieroſolym. aliique. Hujus Summi Pontificis Vitam ſcripſit *Pandulphus* Piſanus familiaris ejus, quam *Conſtantinus* Abbas anno MDCXXXVIII. Romæ cum prolixis Commentariis edidit, & poſt ipſum *Daniel Papebrochius* in Conatu Chronico Hiſtorico Romanorum Pontificum integram etiam exhibet.

Gelaſio II. poſt Interpontificium duorum dierum ſucceſſit *Calliſtus* II. electus Kalendis Februarii anni MCXIX. uti *Onuphrius* in Chronico Eccleſiaſtico, & *Sigonius* lib. 10. *Hiſtoriæ de Regno Italiæ* tradunt. *Calliſtus* II. ante Pontificatum *Guido* appellabatur, eratque Archiepiſcopus Viennenſis. Patrem habuit *Willelmum* Burgundiæ Comitem, fuitque *Adelaidis* Francorum Reginæ, & *Ludovici Craſſi* uxoris avunculus, nec non cum *Henrico* Imperatore conſanguinitate junctus. In Cœnobio Cluniacenſi *Calliſtus* II. electus eſt Pontifex Romanus, ſed die nona menſis Februarii Viennæ in Gallia fuit conſecratus ac coronatus. *Falco* in Chronico Beneventano refert, *Gelaſium* II. Pontificem Maximum, paulo antequam Cluniaci moreretur, cumque convaleſcere penitus deſperaſſet, Cardinales, qui eum in Gallias venientem comitari fuerant, hortatum eſſe, ut *Cononem* Epiſcopum Præneſtinum, tanquam magis idoneum ſibi ſubſtituerent, ſed *Cononem* Pontificatum recuſantem propoſuiſſe *Guidonem* Archiepiſcopum Viennenſem, Virum pietate, doctrina, induſtria, auctoritate, & Principum gratia ſpectatiſſimum, atque *Paſchalis* II. per Galliam Legatum Apoſtolicum, qui electus eſt, dictuſque, ut mox diximus, *Calliſtus* II. Romam anno tertio Pontificatus ſui, ſeu anno milleſimo centeſimo vigeſimo primo, cum veniſſet *Calliſtus* II. Romanorum ac Normannorum collegit exercitum, & apud Sutrium Urbem Romæ conterminam obſedit, cœpitque *Mauritium Burdinum* Antipapam, qui ſub nomine *Gregorii* VIII. triennio integro Eccleſiam perturbavit, aliis ei adhærentibus, aliis vero *Gelaſium* II. & poſt eum *Calliſtum* II. verum Pontificem agnoſcentibus. Sic captus *Burdinus* Antipapa, & multis ignominiis ab exercitu & populo affectus, ſicut narrat *Falco* in Chronico Beneventano, Romam in triumphum deductus eſt, & *Calliſtus* II. Pontifex Maximus ad exemplum veterum Romanorum, qui devictorum Regum ac populorum nomina, tituloſque marmoribus inſcribi curabant, hancce Hiſtoriam in antiqua Camera Palatii Lateranenſis depingi curavit cum hac inſcriptione, quam ſua quoque ætate ſuperfuiſſe docet Onuphrius.

Ecce Calliſtus honor Patriæ, decus Imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Sublato *Mauricii Burdini* Antipapæ in Urbe dedecore, & nobilium Romanorum per *Calliſtum* Pontificem Maximum rebellione compreſſa, *Henricus* Imperator, qui occaſione Inveſtiturarum diu afflixerat Eccleſiam, precibus, & commonitionibus Germaniæ Epiſcoporum atque Principum tandem aliquando inflexus, pacem cum *Calliſto* II. Pontifice Romano in Conventu Wirceburgi in feſto Sancti *Michaelis* menſe Septembri celebrato firmare propoſuit, & ad eam perficiendam Legatos Epiſcopum Spirenſem, & Abbatem Fuldenſem Romam ad *Calliſtum* Papam miſit. Hanc pacis Legationem incredibili gaudio ſuſcepit *Calliſtus* Pontifex, & ad Imperatorem Legatos itidem deſtinavit *Lambertum* Cardinalem, Oſtienſem Epiſcopum, & duos alios Cardinales, quibus in mandatis dedit, ut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate Imperatorem ad Communionem Eccleſiæ reciperent, poſt *Inveſtiturarum* ceſſionem. Auditis Legatis Pontificibus *Henricus* Imperator dimiſit *Inveſtituras* per annulum & baculum, permiſitque ut deinceps in omnibus Germaniæ Eccleſiis fieret Epiſcoporum, & Abbatum electio, liberaque conſecratio. *Calliſtus* vero Papa Imperatori conceſſit, ut electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni in præſentia ipſius abſque Simonia fierent, & ut electus Epiſcopus, vel Abbas Regalia per Sceptrum ab Imperatore reciperet. Pacta ſcripto tradita, & mutuis utrinque firmata ſubſcriptionibus fuerunt, ſicque concordia Sacerdotium inter & Imperium tamdiu omnium animis, votiſque conſpirantibus expetita feliciter reſtituta eſt. Poſt hæc, *Calliſtus* II. Pontifex Maximus Concilium Generale Lateranenſe I. indixit, in quo compoſita eſt *Inveſtiturarum* Controverſia. Sed de hoc Concilio, & de aliis, quæ a *Calliſto* II. Summo Pontifice celebrata ſunt, opportunius in Colloquio quarto differemus. Hic autem prætermittere haud poſſum ſingulare beneficium, quod *Calliſtus* II. Pontifex Maximus, dum adhuc in Galliis eſſet,

Vien-

Digitized by Google

Viennenſi Eccleſiæ, cujus ante Pontificatum Archiepiſcopus fuerat, tribuit, ei videlicet concedendo Primatus auctoritatem in ſeptem Provincias, ſeu *Viennenſem*, *Bituricenſem*, *Burdigalenſem*, *Auſcitanam*, *Narbonenſem*, *Aquenſem*, & *Ebredunenſem* cum poteſtate Synodos indicendi, & negotia Eccleſiaſtica canonice dirimendi. Cum itaque hoc *Calliſti* II. beneficio Bituricenſis Eccleſia, quæ Primatu in Aquitania potiebatur, & Narbonenſis Eccleſia, quæ ex *Urbani* II. Papæ Decreto Primatum obtinebat in Provincia Aquenſi, ſeu Narbonenſi ſecunda, ſubjectæ eſſent Primati Viennenſi, hinc factum eſt, ut Archiepiſcopus Viennenſis ſibi Primatis Primatum nomen indiderit, & monetæ, quam edi curabat Viennæ, hanc inſcriptionem adjecerit: *Maxima Sedes Galliarum*. Titulum Primatis ſibi etiamnum in Galliis vendicat Archiepiſcopus Viennenſis, ſed hic titulus ſine re nihil aliud eſt, quam magni nominis umbra. Plura hac de re legeſis apud Illuſtriſſimum *Petrum de Marca* in Diſſertatione ad Concilium Claromontanum anno MXCV. celebratum. Sedit *Calliſtus* II. annos quinque, menſes decem, & dies duodecim, obiitque die XIII. menſis Decembris anni MCXXIV. *Calliſto* II. Pontifice Maximo ad ſuperos tranſlato, Comitia novo creando Pontifici habita ſunt, in quibus, teſte *Landulpho* Piſano in vita *Honorii* II. electus eſt Pontifex Romanus *Theobaldus* Cardinalis Presbyter S. Anaſtaſiæ dictus *Cœleſtinus* II. ſed *Leo Frangipanis*, aliique quibus hæc non probabatur electio, *Lambertum* Cardinalem, Oſtienſem Epiſcopum, Papam acclamarunt. Hæc diſſenſio in apertum Schiſma erupiſſet, niſi *Theobaldus*, vir inſigni modeſtia præditus, eodem die quo electus eſt, dignitatem abdicaſſet, ut videre eſt apud *Baronium*, *Ciacnium*, *Pagium*, & alios. *Lambertus* vero poſt ſeptem dies, & non poſt dies duodecim, ut contra Baronium evincit *Pagius* ad annum milleſimum centeſimum vigeſimum quartum, intelligens electionem ſuam itidem vitioſam eſſe, inſignia Pontificatus depoſuit coram Cardinalibus, qui videntes ejus humilitatem, ad ejus pedes prociderunt, & tanquam paſtori ſuo & univerſali Papæ obedientiam exhibuerunt: fuit itaque *Lambertus*, patria Bononienſis, dictus in Pontificatu *Honorius Secundus*, conſecratus die XXI. menſis Decembris anni MCXXIV. non vero die XXVIII. menſis Decembris ejuſdem anni, ut exiſtimat *Baronius*, nec die IV. menſis Januarii anni ſequentis, ſicut putat *Papebrochius* in Conatu Chronico-Hiſtorico, quos confutat *Pagius* loco mox laudato. In Pontificatu multa ſtrenue geſſit *Honorius Secundus*, quæ hic breviter attingam. In primis, *Conradum*, & *Fridericum*, Imperatoris *Henrici* ex Sorore nepotes, *Lothario* Germaniæ Regi rebelles excommunicavit, *Anſelmum* Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui *Conradum* Regem inauguraverat, eidem excommunicationis Cenſuræ ſubjecit, & Patriarchas Aquilejenſem ac Gradenſem, qui *Conrado* adhærebant, depoſuit. *Rogerium* Siciliæ Comitem ob invaſionem Ducatus Apuliæ poſt obitum *Willelmi* II. excommunicavit *Honorius* II. Pontifex Maximus, ſeque ad arma contra ipſum paravit, ſed Belli difficultatibus deterritus, pacem inivit cum eodem *Rogerio*, eumque Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Ducatu inveſtivit, poſtquam ſibi hominium præſtitiſſet ac fidelitatem juraſſet. Viros Sanctitate & doctrina his temporibus conſpicuos, *Norbertum* Præmonſtratenſis Ordinis fundatorem, *Hugonem* Gratianopolitanum Epiſcopum, *Bernardum* Clarævallenſem Abbatem, *Petrum* Cluniacenſem, *Stephanum* Ciſtercienſem, & *Hugonem a S. Victore* ſingulari benevolentia complexus eſt *Honorius* II. Sed *Oderiſium* juniorem Abbatem Caſſinenſem, ob ſpreta mandata Pontificia, & contumaciam exauctoravit, & excommunicavit, ſicut legitur in libro quarto Chronici Caſſinenſis; *Pontium* vero Cluniacenſem olim Abbatem, qui Abbatiam querelis Monachorum abdicare compulſus Hieroſolymam petierat, indeque reverſus, Cluniacenſem Abbatiam invaſerat, turbarat, diripuerat, idem Summus Pontifex ab omni Officio, & honore Eccleſiaſtico amovit, atque Romæ in carcerem detrudi juſſit, ubi mœrore affectus migravit e vita, ſicut teſtantur *Ordericus* lib. 12. & *Petrus* Cluniacenſis Abbas lib. 2. Miraculorum epiſt. 12. Ad *Honorium* II. nonnullas Epiſtolas dedit S. *Bernardus* Abbas Clarævallenſis pro variarum Eccleſiarum neceſſitatibus, ſed præſertim pro *Stephano* Epiſcopo Pariſienſi, & pro *Henrico* Archipræſule Senonenſi, quos *Ludovicus* hujus nomine VI. cognomine *Craſſus*, Galliarum Rex, injuſte vexabat, eo quod jura Eccleſiæ, quæ prædictus Rex interdum uſurpabat, prodere nollent inſtar aliorum Epiſcoporum Aulicorum, qui Regi ignave adulantes jura Eccleſiæ mandatis Regiis poſtponebant. Verum licet *Honorius* II. Epiſtolis S. Bernardi potiſſimum excitatus tentarit *Ludovicum* Galliarum Regem Apoſtolica manſuetudine Epiſcopis reddere æquiorem, maxima tamen erga eum œconomia uſus eſt, quia *Ludovicus* Galliarum Rex de Eccleſia Romana aliunde bene meritus erat, qui Romanorum Pontificum contra Antipapas, & Schiſmaticos Imperatores ſeſe his temporibus egregium defenſorem exhibuit. Obiit *Honorius* II. Pontifex Maximus die XIV. menſis Februarii anni MCXXX. (*a*) In ejus locum ſuffectus eſt *Gregorius*, patria Romanus, Cardinalis Diaconus Sancti Angeli, quem alii cum *Baronio* Benedictinum, alii cum *Pagio* Canonicum Regularem fuiſſe affirmant. Ut ut ſit, *Gregorius mortuo Honorio* II. electus eſt Pontifex Romanus, & conſecratus, teſte Onuphrio die XXIII. menſis Februarii, dictuſque in Pontificatu *Innocentius* II. (*b*) Quam præclaris dotibus Summus ille Pontifex fuerit exornatus, & quam difficile Electioni de ſe factæ acquieverit, docet nos *Arnulphus* Sagienſis Archidiaconus, ac poſtea Lexovienſis Epiſcopus qui compoſuit Tractatum de *Schiſmate orto poſt Honorii II. Papæ deceſſum*. Sic enim Cap. 4. de moribus *Innocentii* II. differit laudatus Auctor: *Si vitæ conſideretur integritas, & a primis annis ſub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo enim nil illiberale pueritia, nil adoleſcentia fluxum, nil juventus infame, nil viri-*

virilis ætas edidit indecorum. Inconcuſſa fides operationi bonæ fundamenta perſtruxit. Conſilio providus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum faſtus elatam, nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonæ exiſtimationis ſervabatur & gratia, ut quod alias perrarum eſt, eſſet ei ante ejus electionis tempora nullus hoſtis, cibi, potuſque tanta ſobrietas, ut illis non faſtidium, ſed abſtinentiæ modus terminator aſſiſtat. Veſtitus autem Apoſtolatus tempori ſane conveniens, quem nec profeſſio Clericalis excluderet, Cardinalatus dignitas non horreret. Hæc, & alia id genus de Vita & moribus *Innocentii* II. poſtquam retulit *Arnulphus*, deſcribit poſtea, quo pacto Sanctus ille Pontifex precibus, lacrymis, multiſque adductis rationibus Pontificatum ſemel & iterum pertinaci moleſtia recuſarit, quem tandem renitens & invitus ac minis excommunicationis compulſus ſuſcepit. Verum contra hunc legitimum Pontificem *Innocentium* II. intruſus eſt a factioſis in perniciem Eccleſiæ Antipapa *Petrus Leonis* Presbyter Cardinalis, & *Anacletus* II. appellatus, qui *Innocentium* ſecundum verum Pontificem Romanum, tanquam uſurpatorem inſectatus eſt.

(*a*) „ Prætereunda hic eſſe nequaquam cenſeo,
„ quæ de electione Honorii II. ſcribit Annaliſta Sa-
„ xo Eccardi, quem libenter in hiſtoria horum
„ annorum laudo, utpote qui his temporibus vi-
„ vebat atque hiſtoriam ſuam ex compertis di-
„ geſſit. Ita ergo de electione Honorii II. ſcri-
„ bit: *Poſt cujus deceſſum pars aliqua Romanorum*
„ *Ravennatem Archiepiſcopum, omnis religionis te-*
„ *ſtimonio ſatis commendatum, Apoſtolicæ Sedi præ-*
„ *ficere nituntur; item aliqui Lambertum Oſtien-*
„ *ſem Epiſcopum, qui & univerſali poſtmodum*
„ *electione concordante voti compotes efficiuntur.*
„ *Nam vir idem, & in Romana tandiu proba-*
„ *tus Eccleſia, & in ea legatione, qua dudum ipſe*
„ *in reconciliatione Regni & Sacerdotii, germanicis*
„ *in partibus ſtrenue laboraverat, cis citraque noti-*
„ *ficatus, tam illorum qui longe, quam illorum qui*
„ *prope erant, Sacerdotum unanimi favore canonice*
„ *conſecratur, & more ſedis illius, ut vere tanto*
„ *dignus honore, Honorius* II. *appellatur.*

(*b*) „ In Codice Udalrici Bambergenſis apud
„ Eccardum Corp. Hiſt. Med. Æv. tom. II. pag.
„ 350. extat Decretum electionis Innocentii II.
„ in Pontificem, quod ſignatur an. 1132. Ind.
„ VII. die vero 13. Februarii, ex quo de vera
„ electionis die docemur. Succedunt ibi ſtatim
„ literæ Anacleti Antipapæ ſignatæ VI. Kal. Mar-
„ tii, datæ omnibus per Saxoniam, & Germa-
„ niam Epiſcopis electionem ſuam in Pontificem
„ denunciantibus. Conſtare ex his arbitror electio-
„ nem Innocentii alteram Anacleti præceſſiſſe,
„ quod permaximi ſcire intereſt, cum Anacletus in
„ eo potiſſimum jus ſuum in Pontificatum contra
„ æmulum ſtatueret, quod in Pontificem prius
„ tempore renunciatus fuiſſet.

D. Quis eſt iſte *Petrus Leonis*, qui contra *Innocentium* II. legitimum Pontificem Schiſma in Eccleſia conflavit, dictuſque eſt *Anacletus* II?

M. *Petri Leonis* Antipapæ, qui *Anacletus* II. dictus eſt, genus, fortunam & mores graphice deſcribit, ac nativis coloribus depingit mox citatus *Arnulphus* Capite tertio *Tractatus*, quem edidit *de Schiſmate Orto poſt Honorii Secundi Papæ deceſſum*. Et primo quidem ait, *Petri Leonis* Antipapæ avum fuiſſe Judæum, qui inæſtimabilem pecuniam cum in Judaiſmo multiplici corrogaſſet uſura, Chriſtianæ fidei Sacramenta ſuſcepit, factuſque dignitate Romanus, *dum genus & formam Regina pecunia donat*, alternis matrimoniis omnes ſibi nobiles civitatis adſcivit. Ex hac progenie Judaica ſuam originem duxit *Petrus Leonis* Antipapa, qui ad ætatem adultam cum perveniſſet, & in Gallias ſtudiorum cauſa miſſus fuiſſet, tantam ſibi pravis operibus & fœditate morum ſuſcitavit infamiam, ut ejus ortu, ambitione, vitaque præcognitis, ipſum eſſe Antichriſtum univerſitas gentium paſſim crederet & publice teſtaretur. *Poſthæc*, pergit idem *Arnulphus*, in Cœnobio Cluniacenſi Monaſticum habitum ſuſcepit, *ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobria vitæ præteritæ Cluniacenſe nomen obnuberet, & virtutis exiſtimationem bonorum ſocietas referret.* Romam deinde reverſus *Petrus Leonis*, factus eſt Cardinalis, *& ad diverſas partes functus Legationis officio cupiditati ſuæ potius quam juſtitiæ ſatisfacere ſtuduit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuiſſe negotia viderentur, quæ merces adjecta, & marſupii plenitudo ſubſecuta probaret. Bina ſingulis diebus ſumptu plurimo convivia parabantur, cumque pauperes Epiſcopos, vel Abbates profuſioribus vexaſſet expenſis, in ipſa Eccleſiarum ornamenta ſatis impudenti ſacrilegio graſſabatur, ut plane ſponſam domini ſpoliare, ſuiſque privare monilibus auſu temerario videretur. Profuſa vero convivia tanta libidinum ſpurcitia ſequebatur, ut ab ipſo paſſim, quidquid occurreret adiretur. Sororem Torpeam beſtiali polluiſſe narratur inceſtu, & ex eo abominabili prodigio ſuſtuliſſe filios, quos nepotes nepotum pater, filiorum factus avunculus, ſic naturæ jura confudit, ut eoſdem ſibi fratres faceret & cognatos. Jam nec Judæus quidem, ſed Judæo etiam deterior.* Denique, ut alia prætermittam, ſcribit idem *Arnulphus*, ſic effræni libidini indulſiſſe *Petrum Leonis*, *ut*, dum in Gallis legationem obiret, puellam virili veſte amictam circumduxerit, quæ ipſi in deliciis erat; cujus rei teſtem Montis Peſſulani populum, & circumjectam appellat Provinciam. Solebat etiam idem *Petrus Leonis* inter nocturnos meretricularum amplexus jactare, ſe ſe aliquando futurum Pontificem Romanum. Hæc eſt vera & ad vivum expreſſa effigies *Petri Leonis*, qui contra *Innocentium* II. legitimum Pontificem Sedem Apoſtolicam invaſit, ſeque Antipapam conſtituit dictum *Anaclétum* II.

D. Quem tandem exitum habuit iſtud ſchiſma a *Petro Leonis* Antipapa in Eccleſia excitatum?

M. *Innocentius* II. legitimus licet Pontifex Romanus, anno ſui Pontificatus primo, ſeu milleſimo centeſimo trigeſimo tyrannidi, quam *Petrus Leonis* Antipapa Romæ exercebat, cedere coactus, in Gallias fugit, ab Eccleſia Gallicana & Chriſtia-

niſſimo

Digitized by Google

niſſimo Rege *Ludovico*, cognomine *Craſſo*, in Concilio Stampenſi, ceu legitimus Pontifex agnitus & ſuſceptus eſt, agente potiſſimum S. *Bernardo* Clarævallenſi Abbate, quia ad iſtud Schiſma extinguendum præcipuam *Innocentio* II. navavit operam. Paulo poſt, eumdem *Innocentium II.* Reges Angliæ, Hiſpaniæ, Hieroſolymorum, *Lotharius* Imperator tanquam verum Pontificem Romanum, & Chriſti in terris Vicarium agnoverunt & coluerunt. Errant nonnulli, qui, poſt *Petrum Diaconum* in Chronico Caſſinenſi, aſſerunt, *Innocentium II.* Summum Pontificem, ut *Lotharium* Imperatorem magis ſibi devinciret, ei *Inveſtituras* per annulum & baculum reſtituiſſe. At enim, quamvis *Lotharius* Imperator nactus opportunitatem vehementer inſtiterit apud *Innocentium II.* ut ſibi reſtitueret Inveſtituras Epiſcoporum, ei tamen reſtitit *Innocentius* II. & pari zelo S. *Bernardus*, qui Concilio, quod Summus Pontifex Leodii cum *Lothario* Imperatore habuit, aderat, *audacter reſiſtens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit*, inquit *Arnoldus* Abbas Bonævallis in Vita S. *Bernardi* lib. 2. cap. 1. Interea, Pſeudo-Pontifex *Petrus Leonis* dictus *Anacletus* II. fruſtra Imperatores Orientis & Occidentis aliosque Reges, ac Principes Chriſtianos tentavit ſuas in partes pertrahere. Fruſtra Sanctos Epiſcopos & Monachos ſollicitavit. Vanus, inquam, fuit illius Antipapæ conatus, quia omnes *Innocentio* II. ceu legitimo Pontifici, adhæſerunt, ſolis exceptis *Rogerio* Siciliæ Duce, & *Willelmo* Duce Aquitaniæ, & Comite Pictavienſi, quorum Primus, ſcilicet *Rogerius*, partes *Anacleti* Antipapæ, a quo Regio Titulo donatus fuerat, in Italia ſoſtentabat; Alterum vero, ſeu *Willelmum* Aquitaniæ Ducem, *Gerardus* Engoliſmenſis Epiſcopus, & *Anacleti* Antipapæ Legatus, in ejus partes traxerat, quem tamen S. *Bernardus*, domita miraculo ejus contumacia, ad *Innocentii II.* obedientiam, & Eccleſiæ unitatem revocavit. Romani cum *Lothario* Germaniæ Rege an. MCXXXVIII. venit *Innocentius II.* ibique eum Imperatorem coronavit, ſed prævalente in Urbe *Anacleti* Antipapæ factione, Piſas receſſit *Innocentius* II. Pontifex Maximus, ibique manſit uſque ad *Anacleti* Antipapæ obitum, qui contigit anno MCXXXVIII. in locum tamen Antipapæ *Anacleti* quemdam *Gregorium*, Presbyterum Cardinalem, Pontificis ornatum Inſignibus & *Victorem* IV. appellatum, Cardinales Schiſmatici, favente *Rogerio* Siciliæ Duce, ſubrogarunt. Sed hic novus Antipapa dictus *Victor* IV. intra paucos dies mitram depoſuit, & ad pedes *Innocentii* II. ſupplicem ſe objecit, ſicque univerſa Eccleſia ad unitatem rediit. Anno ſequenti, ſeu milleſimo centeſimo trigeſimo nono, *Innocentius* II. Summus Pontifex *Rogerio* Siciliæ Duci, qui, mortuo *Rainulpho* Duce, Apuliam invaſerat, cum copiis obviam progreſſus, inſidiose, ac fraudulenter ab ipſo captus eſt. At cum *Rogerius* captivo Summo Pontifici pro pace ſupplicaret, conceſſit ei *Innocentius* II. Regnum Siciliæ in Feudum, ac Inveſtituras Ducatus Apuliæ, Calabriæ, & Principatus Capuæ, pro ſe ſuiſque hæredibus. Sedit *Innocentius* II. Pontifex Maximus annos tredecim, menſes ſeptem, & dies novem, obiitque octavo Kalendas Octobris, ſeu die XXIV. menſis Septembris anni milleſimi centeſimi quadrageſimi tertii. De Conciliis, quæ pro variis emergentibus Eccleſiæ negotiis celebravit *Innocentius* II. & præſertim de Concilio Œcumenico Lateranenſi ſecundo agemus ſuo loco, ideſt, in Colloquio quarto in Hiſtoriam hujuſce ſæculi duodecimi.

D. Quem in Sede Pontificia ſucceſſorem habuit *Innocentius* II. Pontifex Maximus?

M. Mortuo, ut jam diximus, *Innocentio* II. die XXIV. menſis Septembris anni MCXLIII. *Guido de Caſtello*, natione Tuſcus (*a*), antea Presbyter Cardinalis S. Marci, electus eſt Pontifex Romanus die XXVI. menſis Septembris ejuſdem anni, dictuſque in Pontificatu *Cæleſtinus* II. qui, ut ſcribit Chronographus Mauriniacenſis, *prælatione illa digniſſimus erat, quoniam ei tria, quæ inter homines habentur præcipua, ſimul confluxerant, celebremque Magiſtrum reddiderant; nobilitas ſcilicet generis, mentis induſtria in omni ſtatu æqualis, litterarum quoque, quarum doctrinæ intentiſſimus fuit, ſcientia multiformis*. Ludovicus VII. Francorum Rex Legatos ad *Cæleſtinum* II Pontificem Maximum miſit ad obtinendam abſolutionem ab interdicto, cui *Innocentius* II. Papa Galliarum Regnum ſubjecerat. Quam abſolutionem, ut narrat idem Chronographus Mauriniacenſis, *ita dulciſſima impetratione obtinuerunt* Legati, *ut in conſpectu illorum, multorumque nobilium, quorum frequentia Roma fremere ſolet, benigne aſſurgeret*, Cæleſtinus Papa, *manuque elevata ſignum Benedictionis contra regionem hanc faciens, ipſam a ſententia interdictionis abſolveret*. Epiſtolam CCXXXV. *ad Cæleſtinum* II. & Epiſtolam CCXXXVI. ad *totam Curiam Romanam* ſcripſit S. *Bernardus* contra *Willelmum* Eboracenſem Archiepiſcopum electum, quem *intruſum* appellat, & cui *Cæleſtinus* II. Pallium denegavit. Præfuit tamen Eccleſiæ Eboracenſi *Willelmus* uſque ad Pontificatum *Eugenii* III. a quo in concilio Pariſienſi anno MCXLVII. depoſitus eſt, ſed poſtea, cognita ejus innocentia, ab *Anaſtaſio* IV. anno MCLIII. In Archiepiſcopatum Eboracenſem reſtitutus Pallioque inſignitus fuit, ac poſt mortem ob celebritatem miraculorum Sanctorum faſtis adſcriptus ab *Honorio* III. Pontifice Maximo an. MCCXXVI. ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* in Annalibus Eccleſiæ ad annum MCCXXVI. Romanam Eccleſiam rexit *Cæleſtinus* II. Papa menſes quinque, dies tredecim, obiitque die nona menſis Martii anni milleſimi, centeſimi quadrageſimi quarti. Poſt triduum ab obitu *Cæleſtini* II. Papæ, Cardinales convocati *Gerardum Caccianimicum*, civem Bononienſem, quem *Honorius* II. Summus Pontifex ex Canonico Regulari Cardinalem creaverat, Pontificem Romanum elegerunt, eoque conſecrato, *Lucium* II. appellarunt, ſicut tradunt *Sigonius* in Hiſtoria *de Regno Italico* lib. XI. & *Onuphrius* in Chronico Eccleſiaſtico. Monachos Vezeliacenſes protexit *Lucius* II. contra Guillelmum Secundum Comitem Nivernenſem, ſcripſitque ad Sanctum *Bernardum*, ut hunc Comitem Sedis Apoſtolicæ nomine commoneret, ne quid præter jus ab illis Monachis exigeret. Monachos Cuniacenſes tanta itidem benevolentia complexus eſt

Digitized by Google

Lucius II. ut *Petro* Cluniacenſi Abbati ejuſque ſucceſſoribus Monaſterium S. *Sabæ* a S. *Gregorio Magno* Romæ fundatum in perpetuum commiſerit. Multa Romæ *Lucius* Papa paſſus eſt incommoda a ſeditioſa factione *Arnaldiſtarum*, qui non ſolum priſcam ſenatorum dignitatem inſtaurare, verum etiam *Patricium* inſtituere auſi fuerant, & omnes Eccleſiæ Romanæ reditus ei adjudicare nitebantur, dictitantes, Pontificem, Cardinales, omnemque Clerum de Decimis tantum & oblationibus vivere oportere. Ad frangendos itaque tumultuantium *Arnaldiſtarum*, ſeu Romanorum rebellium impetus, *Lucius* II. auxilium *Conradi* Romanorum Regis interpellavit. Scripſere etiam ad *Conradum* Regem Romani contra Pontificem rebelles, eumque Romam vocarunt, ſed *Conradus* eorum Legationem deſpexit. Pacem cum *Rogerio* Siciliæ Rege compoſuit *Lucius* II. eique, ſeu Eccleſiæ Romanæ, *Alphonſus* Luſitaniam vectigalem annuo cenſu unciarum auri quatuor reddidit, ea lege ut defenſionem ac ſolatium Apoſtolicæ Sedis haberet, & nullam poteſtatem alicujus Eccleſiaſtici, vel ſæcularis Domini, niſi tantum Apoſtolicæ Sedis vel ipſius Legatorum, in Regno ſuo reciperet. *Innocentio* II. jam hominium fecerat *Alphonſus*, qui in ſuis ad *Lucium* II. litteris ſe quidem Luſitaniæ Regem inſcribit, ſed a Pontifice *Lucio* II. tanquam Dux tantum ſalutatur, ut videre eſt apud *Baluzium* lib. 2. Miſcell. pag. 220. & ſeq. ubi *Alphonſi*, & *Lucii* II. Epiſtolas in lucem emiſit *Henricus de Cunha* in ſuo *Epiſcoporum Portuenſium Catalogo* part. 2. cap. 3. Diploma *Alphonſi* anno MCXL. datum repræſentat, in quo is ſe Portugalliæ, ſeu Luſitaniæ Regem appellat. Sedit *Lucius* II. Papa menſes undecim & dies quatuordecim, ſed, ut ait *Gotfridus* Viterbienſis in Chronico, *intendens ſenatum extinguere, cum ingenti* militia Capitolium Romæ conſcendit, ut ſedentes ibi tum Senatores cum dedecore removeret. Senatus autem, *Populuſque Romanus ad arma converſus, Papam cum ſuis omnibus a Capitolio in momento repellunt, ubi Papa, (ſicut tunc audivimus) lapidibus magnis percuſſus eſt*. Obiit die XXV. menſis Februarii anni MCXLV. ut tradunt *Baronius* in Annal. Eccl. *Onuphrius* in Chronico, & *Sigonius* lib. XI. Hiſtoriæ de *Regno Italico*.

(*a*) „ Hunc Pontificem antequam aſſumeretur „ Guidonem Caſtellini vocat Amalricus de Biterris, qui tamen hiſtoriam ſuam ſerius ſcripſit, nempe ſeculo XIV. Patriam vero ejuſdem „ vocat Caſtrum; cum tamen ſtatim addat, *de* „ *Caſtro feliciter*, ambigi jure poſſet, num ſcribendum eſſet S. Felicitatis, nam Caſtrum S. „ Felicitatis Urbs erat Tuſciæ antiquis non ignota. Hodie ſub nomine Civitatis Caſtellanæ innoteſcit. „

„ Juſtis *Lucio II.* perſolutis, *Bernardus* Patria Piſanus, Monachus Ciſtercienſis, Monaſterii Sanctorum *Vincentii*, & *Anaſtaſii* Abbas, atque S. *Bernardi* Claræuallenſis diſcipulus, maximo animorum conſenſu Pontifex Romanus electus eſt, die XXVII. menſis Februarii anni MCXLV. & *Eugenius III.* appellatus. Sed, tumultuante Romæ factione Hæreticorum *Arnaldiſtarum*, quorum errores in Colloquio tertio referemus, ſtatim poſt electionem ſuam *Eugenius III.* Roma egreſſus fugit ad Monaſterium Farfenſe Ordinis Benedictini in territorio Sabinenſi ſitum, quod Roma tantum XXV. paſſuum millibus diſtat, in quo die quarta menſis Martii conſecratus eſt. Verum, pacata Romanorum ſeditione, *Eugenius III.* relicto *Viterbio*, ubi per octo menſes commoratus fuerat, Romam reverſus, iterum arripere fugam coactus eſt. Romani quippe ab Hæreticis *Arnaldiſtis* excitati, dum antiquæ Romanæ Reipublicæ ac libertatis formam reſtituere adnitebantur, ſola ſacrorum cura Romano Pontifici relicta, vectigalia Pontificum ſibi vindicabant, volentes, Pontificem Decimis & oblationibus tantum more priſco contentum vivere debere. Quod cum accepiſſet S. *Bernardus* ſcripſit ad Romanos Epiſtolam, quæ in Editione *Mabillonii* eſt CCXLIII. in qua eos aſpere, ſed juſte increpat, quod tam iniqui eſſent in Summum Pontificem, atque eos Dei vindictam non evaſuros, ni quamprimum reſipiſcant. Scripſit etiam idem S. Doctor Epiſtolam ad *Conradum* Romanorum Regem, quæ eſt ordine CCXLIV. in qua eum adhortatur, ut Romanos, ſi forte obſtinati perſeverent, armis compeſcat. In his rerum anguſtiis conſtitutus *Eugenius III.* tumultuantium ſemper *Arnaldiſtarum* perſecutionem fugiens, in Galliam, prædeceſſorum ſuorum exemplo, ſeſe contulit, ubi a *Ludovico VII.* Galliarum Rege ingenti honore exceptus eſt, & ad novam ſuſcipiendam Expeditionem Terræ Sanctæ, vel ad proſcribendos gliſcentes quorumdam hæreticorum errores nonnulla celebravit Concilia, quæ in Colloquio quarto proferemus in medium. *Eugenium III.* in Pontificatu nihil de Corporis macerationibus, quibus, dum adhuc in Monaſterio eſſet, ſeſe aſſuefecerat, immutaſſe, docet nos *Arnaldus* Abbas Bonævallis lib. 2. vitæ S. *Bernardi* cap. 8. ubi de *Eugenio* III. Papa hæc habet: *Adhærebat carni ejus lanea tunica, diebus & noctibus, cucullo veſtitus, ſic ibat, ſic cubabat. Intus Monachi habitum retinens, extra ſe Pontificem & veſtibus & moribus exhibebat.... Lectus palliis opertus, cortina ambiebatur purpurea, ſed ſi revolveres operimenta, invenires ſuperjectis laneis comploſa ſtramina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde; ipſe vero bona coram Deo & hominibus providebat. Alloquitur fratres non ſine lachrymis, miſcens ſermonibus avulſa a corde ſuſpiria hortatur & conſolatur, & ſe inter eos fratrem & ſocium, non dominum exhibet vel Magiſtrum*. De laudibus etiam *Eugenii III.* Papæ legendus eſt *Petrus Venerabilis* in Epiſtola XLVI. libri VI. quam ſcripſit ad S. *Bernardum*, eique ſignificat, ſeſe ab *Eugenio III.* Summo Pontifice fuiſſe amantiſſime ſuſceptum, & præclaras tanti Pontificis dotes magnis celebrat encomiis. Sedit *Eugenius III.* annos octo, menſes quatuor, & dies decem, atque ad cæleſtem vitam migravit die ſeptima menſis Julii anni MCLIII. Statim poſt mortem miraculis refulſit Sanctiſſimus ille Pontifex, & in Martyrologio Ciſtercienſi ut ſanctus colitur. *Chryſoſtomus Henriquez* in ſuo *Faſciculo* parvum Tractatum de *Miraculis* *Eu-*

Digitized by Google

Eugenii ex Codice MS. Dunenſis Cœnobii publicavit Auctore Anonymo, ſed oculari & Synchrono, qui miracula ſeptem ad ſepulturam ejus patrata notavit, præfixa ſemper ad *Eugenii* nomen appellatione *Beati*. Eumdem Tractatum edidit *Papebrochius* in conatu Chronico-Hiſtorico ex antiquo codice Monaſterii Urſicampi in Picardia, & in Abbatia Ordinis Ciſtercienſis, cui titulus *Miſericordia Dei*, in Diœceſi Pictavienſi ſita, ubi ille codex MS. aſſervatur. Poſt mortem *Eugenii* III. vacavit Sedes Pontificia dies duos, ut teſtantur *Martinus Polonus*, Auctor magni Chronici Belgici, & *Sigonius*, eique ſucceſſit *Conradus de Suburra* Cardinalis & Epiſcopus Sabinenſis, *Apoſtolicæ Sedis in Urbe Vicarius*, *natione Romanus*, *Vir grandævus & apud Romanos auctoritate præclarus*; *exinde vocatus Anaſtaſius IV.* ut ait Auctor antiqui Chronici Normanniæ pag. 988. *Anaſtaſium* IV. ante Pontificatum, nec fuiſſe Monachum vel Abbatem Cœnobii S. *Rufi* in Gallia, nec etiam Monachum Benedictinum, ſed Canonicum Regularem, & Veliternenſis Monaſterii Priorem, ſolide contra *Ciaconum*, *Onuphrium*, & *Trithemium* probat *Antonius Pagius* in Critica Baronii ad annum MCLIII. Graſſante fame, ingentes eleemoſynas in pauperes profudit pius ille Pontifex. S. *Willelmum*, quem *Eugenius* III. depoſuerat, in Archiepiſcopatum Eboracenſem reſtituit. In Eccleſiam Lateranenſem multum beneficus fuit, ut videre eſt in libro de *Eccleſia Lateranenſi* edito a *Joanne Diacono Juniore* ejuſdem Eccleſiæ Canonico. Direxit idem Summus Pontifex anno MCLIV. ad *Raymundum de Podio* Magiſtrum Ordinis Hoſpitalariorum, ſeu Equitum *Sancti Joannis* Hieroſolymitani, Reſcriptum Apoſtolicum, quo ſtatuit, ut quaſcunique poſſeſſiones & omnia bona, quæ ad ſuſtentandam peregrinorum & pauperum Hieroſolymam adventantium neceſſitatem offerri Xenodochio contingeret, vel jam eſſent conceſſa, quieta ſemper & integra poſſiderent, & bonorum a ſe poſſeſſorum decimas nec Laicis, nec Epiſcopis ſolverent. Quod privilegium Equitibus S. *Joannis Hieroſolymitani* ab Anaſtaſio IV. conceſſum cauſa fuit graviſſimi diſſidii, quod exarſit Equites illos inter & Clerum Hieroſolymitanum, ſicut oſtendemus in Colloquio ſexto in Hiſtoriam iſtius ſæculi XII. Brevis fuit Pontificatus *Anaſtaſii* IV. quippe qui ſedit tantum annum unum, menſes quatuor, dies viginti quatuor, & obiit die ſecunda menſis Decembris anni MCLIV. Mortuo *Anaſtaſio IV.* ſucceſſit in Sede Pontificia *Nicolaus de Brekſpere*, dictus in Pontificatu *Hadrianus IV.* Variam hujus *Nicolai* ante Pontificatum fortunam *Guillelmus Neubrigenſis* lib. 2. de rebus Angl. cap. 6. deſcribit his verbis: *Is*, (ſeu *Nicolaus*, dictus in Pontificatu Hadrianus IV.) *natione Anglicus*, *patrem habuit quemdam*, *ſeu Robertum*, *non multæ facultatis*, *qui*, *relicto cum ſæculo filio impubere*, *apud Sanctum Albanum factus eſt Monachus*. *Ille vero* (ſeu ejus filius Nicolaus) *adoleſcentiam ingreſſus*, *cum propter inopiam ſcholis vacare non poſſet*, *idem monaſterium quotidianæ ſtypis gratia frequentabat*. *Unde pater erubuit*, *verbiſque mordacibus ſocordiam ejus increpitans*, *omni ſolatio deſtitutum cum gravi indignatione* abegit; *ille vero*, ſeu Nicolaus, *ſibi relictus & forte neceſſitate aliquid audere coactus*, *Gallicanas adiit regiones*, *ingenue erubeſcens in Anglia vel fodere*, *vel mendicare*. *Cumque in Francia minus proſperaretur*, *ad remotiora progrediens trans Rhodanum peregrinatus eſt in regione*, *quæ Provincia dicitur*. *Eſt autem in illa regione monaſterium nobile Clericorum Regularium*, *quod dicitur Sancti Rufi* (extra civitatem Avenionenſem, olim poſitum, & poſtea Valentiam translatum) *ad quem locum ille veniens*, *& ſubſiſtendi occaſionem ibidem inveniens*, *quibus potuit obſequiis*, *iiſdem ſe fratribus* (ſeu Canonicis Regularibus, qui indiſcriminatim modo Fratres, modo Monachi appellabantur) *commendavit*. *Et quoniam erat corpore elegans*, *vultu jucundus*, *prudens in verbis ad injuncta impiger*, *placuit omnibus*, *rogatuſque Canonici Ordinis ſuſcipere habitum*, *annis plurimis ibidem reſedit regularis imprimis diſciplinæ æmulator* .... *Unde factum eſt*, *ut Abbate defuncto* ſcilicet Willelmo, *Fratres*, ſeu Canonici Regulares, *eum concorditer atque ſolemniter in Patrem*, ſeu Abbatem, *eligerent*. Denique, refert idem *Guillelmus Neubrigenſis*, quo pacto *Nicolaus* Abbas factus cœnobii S. *Rufi* incurrerit in odium Canonicorum Regularium, qui pœnitentia ducti atque indignati, quod hominem peregrinum ſibi ipſis prætuliſſent, quaſdam contra ipſum querelas ad Sedem Apoſtolicam detulerunt. *Eugenius* III. qui tunc arcem Pontificatus tenebat, pacem Abbatem inter & Canonicos compoſuit. At diu non quievit neſcia quietis malitia, graviuſque intonuit rediviva tempeſtas. Interpellatus eſt iterum Summus Pontifex, qui utrique parti ut proſpiceret, permiſit Canonicis ut alterum Abbatem eligerent, *Nicolaum* vero Romæ retinuit, & Cardinalem Epiſcopum Albanenſem creavit. Hæc de *Nicolao* referunt jam citatus *Gillelmus Neubrigenſis* Scriptor Anglus, qui hoc tempore vixit, & *Matthæus Pariſius* in Vitis Abbatum San-Albanenſium in *Roberto* Abbate. Albanenſis Cardinalis creatus *Nicolaus* miſſus eſt Legatus in Norvergiam, ubi multos Infideles ad Chriſti fidem convertit, Metropoles erexit, & tanta cum laude demandato ſibi munere defunctus eſt, ut, mortuo *Anaſtaſio IV.* Summo Pontifice, in ejus locum ſummo omnium conſenſu ſuffectus fuerit, dictuſque *Adrianus IV.* Retulimus in ſuperiori Colloquio grave diſſidium, quod enatum eſt *Hadrianum IV.* Summum Pontificem inter & *Fridericum* Imperatorem, quod occaſionem præbuit diro ſchiſmati ab eodem Imperatore in Eccleſia excitato, de quo mox dicturi ſumus. Bellum etiam geſſit idem *Hadrianus* Papa cum *Guillelmo* Siciliæ Rege. Sed narrat *Sigonius* lib. 12. *Hiſtoriæ de Regno Italiæ*, quod *Guillelmus* Siciliæ Rex pacem ab *Hadriano IV.* poſtulavit, & ſpopondit, ſi ſe beneficiarium Eccleſiæ confirmaret, Romanorum adverſus eum contumaciam repreſſurum. Quam conditionem cum *Hadrianus* Papa repudiaſſet, cum ingentibus copiis e Sicilia in Apuliam tranſiit *Guillelmus*, Græcos prælio vicit, *Barium* in ſuam poteſtatem redactum plane evertit & *Hadrianum* Papam in tantas difficultates adduxit, ut de pace componenda

Digitized by Google

cogitarit. Hanc in rem *Guillelmum* ad pedes procidentem recepit, eumque, poſtquam Sedi Apoſtolicæ hominium præſtitiſſet, & ea, quæ invaſerat, Eccleſiæ Romanæ reſtituiſſet, Regem Siciliæ declaravit. *Henrico* II. Angliæ Regi Hiberniam occupandi pro Chriſtianæ Religionis propagatione facultatem dedit *Hadrianus* IV. ſed *Ludovicum* VII. Galliarum Regem monuit, ne ſacram expeditionem in Hiſpaniam contra Saracenos ſuſciperet, inconſultis illius terræ Principibus, alioqui periculum eſſe, ne bellum intempeſtive & abſque maturo conſilio ſuſceptum infauſte cederet. Toletanæ Primatum Eccleſiæ confirmavit idem Pontifex, omnes Conſtitotiones *Pelagii*, *Alexandri*, & *Urbani* II. Pontificum Romanorum, quibus Patriarchalis dignitas Gradenſi Archiepiſcopo conceditur, authoritate Pontificia itidem confirmavit, eidemque Patriarchæ Gradenſi conceſſit, ut Cooſtantinopoli, & in aliis urbibus Orientalis Imperii, in quibus Veneti plures tunc habebant Eccleſias, Epiſcopos conſecrare poſſet, ut videre eſt in litteris illius Summi Pontificis, quæ extant Tomo 10. Concil. pag. 1170. & referuntur a *Ferdinando Ughello* Tom. 5. *Italiæ Sacræ*. Adeo a bonis Eccleſiæ in propinquos profundendis alienus fuit *Hadrianus* IV. Summus Pontifex, ut (teſte *Joanne Sareſberienſi*, gentili ſuo, & viro pietate ac doctrina conſpicuo) nec ipſi matri ſuæ, ſenio licet confectæ & ad ſummam egeſtatem redactæ, aliquid ad vitam ſuſtentandam moriens reliquerit, ſed ſolum eam Eccleſiæ Cantuarienſis eleemoſynis alendam commendaverit. Sedit *Hadrianus* IV. annos quatuor menſes octo, dies viginti novem, & migravit e vita Kalendis Septembris anni milleſimi centeſimi quinquageſimi noni. Opera, quæ edidit Summus iſte Pontifex, referemus in Colloquio quinto, ubi agemus de Viris Illuſtribus, qui XII. Eccleſiæ ſæculo floruerunt. Mortuo *Hadriano* IV. ſucceſſit *Alexander* III. ante Pontificatum dictus *Rolandus* patria Senenſis, Cardinalis Presbyter tituli S. Marci, & Cancellarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Eum Monaſticam vitam in Monaſterio *Chiaravalle* Ordinis Ciſtercienſis prope Mediolanum ſito profeſſum fuiſſe aſſerunt *Henriquez* in Menologio Ordinis Ciſtercienſis, & *Puricellus* in Monumentis Eccleſiæ Ambroſianæ. Sed utrumque Scriptorem falli, liquet ex Actis electionis *Alexandri* III. a Baronio recitatis, ubi de eo hæc leguntur: *Cum eſſet in Eccleſia Piſana Canonicus Clericus magni nominis, ad hanc Sanctam Romanam Ecleſiam a Beato Eugenio eſt vocatus*. Vix electo *Alexandro* III. Summo Pontifice, Eccleſia exagitari cœpit infeſto ac diuturno ſchiſmate, quod a *Friderico*, dicto *Ænobarbo*, Imperatore propagatum & ſub quatuor Antipapis continuatum eſt.

D. Expone, quæſo, quo pacto cœperit illud ſchiſma, & quandonam fuerit extinctum?

M. Cum Cardinales, mortuo *Hadriano* IV. ad eligendum ſucceſſorem conveniſſent, omnes, præter *Octavianum* Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Cæciliæ, *Joannem* Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Martini, & *Guidonem* Presbyterum itidem Cardinalem tituli Sancti Callixti, elegerunt *Rolandum* Presbyterum Cardinalem tituli S. Marci, qui in Vigilia *S. Matthæi*, ſeu die XX. menſis Septembris anni MCLIX. Pontifex Romanus a Cardinali Oſtienſi conſecratus eſt, ſicut ex Codice Vaticano refert *Baronius*. At *Octavianus* Cardinalis, qui jamdiu ad Cathedram Apoſtolicam aſpiraverat, ubi vidit *Alexandrum* III. electum, ambitione abreptus Pontificatum invaſit, & a ſuis appellatus eſt *Victor* IV. Poterat ſane, inquit *Willelmus Neubrigenſis* lib. 2. de Rebus Anglicis cap. 9. *Sciſſura illa cito reſarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque uniri, niſi Fridericus Imperator veteri odio Alexandrum* (Pontificem Maximum) *non ferens, partem Octavianam tuendam, fovendamque modis omnibus ſuſcepiſſet*. Conventum itaque generalem, ſeu potius Conciliabulum, Papiæ indixit *Fridericus* Imperator, in quo omnes Epiſcopos, qui aderant, in eum conſenſum deduxit, ut Antipapam *Victorem* IV. pro legitimo Pontifice agnoſcerent. Sic voti ſui compos effectus Imperator in atrocia Edicta prorupit, multos Præſules ſuis ſedibus dejecit, & omnes Ciſtercienſis Ordinis Monachos, qui Antipapæ *Victori* IV. parere detrectabant, expulit e Regno ſuo, ut teſtatur *Helmoldus* Presbyter Lubecenſis lib. 1. Chronic. Sclavorum cap. 91. ubi etiam hæc habet, *Porro Alexandrum*, (ſeu legitimum Pontificem) *recepit Hieroſolymitana Eccleſia, & Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hiſpania, Dania, & omnia Regna, quæ ſunt ubique terrarum. Inſuper Ciſtercienſis Ordo eidem univerſus acceſſerat, in quo ſunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi complures, & Abbates amplius quam ſeptingenti, & Monachorum ineſtimabilis numerus*. Eccleſiam turbavit *Octavianus*, ſeu *Victor* IV. Antipapa uſque ad annum MCLXIV. quo interiit, die XX. menſis Aprilis. In illius Antipapæ locum ſtatim ſchiſmatici alium Antipapam ſubſtituerunt *Guidonem* Cremonenſem, a ſuis appellatum *Paſchalem* III. Hic pſeudo-Pontifex, poſtulante *Friderico* Imperatore, *Carolum Magnum* Imperatorem Sanctorum Catalogo adſcripſit. De qua Canonizatione *Henricus Spondanus* ad annum DCCCXIV. verba faciens, hæc habet: *Sed quod is*, ſeu *Paſchalis* III. *haud legitimus fuit Pontifex, ejuſmodi Canonizatio non eſt recepta ab Eccleſia Romana. Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnaſſe, res ſic tacita permiſſione ſive tolerantia perſeveravit, ut in propria Eccleſia, ubi ſepultus fuit, coleretur. Ita enim Canonum præcipui interpretes declararunt, propagatus autem poſtea noſcitur ejus cultus in alias Eccleſias Galliæ, Belgii, atque Germaniæ, in quibus idem Carolus ſanctitatis titulo colitur, faventque ſcripta plurimorum rerum Francicarum Hiſtoricorum*. Mortuus eſt hic Antipapa *Paſchalis* III. die XX. menſis Septembris anni MCLXVIII. eoque mortuo, ſchiſmatici tertium Antipapam *Joannem* Abbatem Strumienſem elegerunt (*a*), dictum a ſuis *Calliſtum* III. Sed hic pſeudo-Pontificatum an. MCLXXVIII. depoſuit, *Alexandrum* III. ceu legitimum Pontificem agnovit, & eodem anno exceſſit e vivis. Tertio illo Antipapa demortuo, nedum quieverunt ſchiſmatici, ſed quartum elegerunt Antipapam, ſeu *Landum Sitinum*, eumque appellarunt *Innocen-*

cen-

Digitized by Google

centium III. cujus mentionem faciunt *Joannes de Ceccano* in Chronico, & *Onuphrius* in Chronico, aliique; illum tamen *Baronius* in Annalibus, & *Oldoinus* in Hiſtoriam Cardinalium omnino prætermiſerunt. Verum hic pſeudo-Pontifex *Innocentius III.* qui paucos aſſeclas habuit, captus ab *Alexandro III.* Pontifice Maximo anno MCLXXX. in exilium ablegatus eſt, ut teſtantur idem *Joannes de Ceccano* in Chronico, & Anonymus Caſſinenſis ad annum MCLXXX. ſic extinctum eſt ſchiſma, quod anno MCLIX. cœpit, & anno dumtaxat MCLXXX. finem habuit.

(*a*) „ Ego in meis ad Pagium adnotationibus „ admonui poſt Antipapam Victorem IV. Vidonem Cremenſem ſubſtitutum fuiſſe. Defuncto „ Vidone anno 1168. die 20. Septembris abſumptum fuiſſe Electum de Albanis ſub Calliſti „ nomine; ita enim teſtatur Joannes de Ceccano „ ſcribens: Elegit *Electum de Albanis in Papam* „ *Calliſtum*, quem appellari oportet Calliſtum tertium; ſed eo brevi vel decedente, vel amoto, „ Joannes Ungarus Strumienſis Abbas anno 1169. „ ſubſtitutus eſt. Hæc ego in annotatione mea „ ad Pagium ad annum 1168. n. XII. ubi conjecturam meam ex Romualdo Salernitano & Joanne de Ceccano deduxi. „

D. Eo igitur anno milleſimo centeſimo octuageſimo *Fridericus* Imperator auctor ac promotor iſtius ſchiſmatis reconciliatus eſt, omnibuſque depoſitis inimicitiis, in gratiam rediit cum *Alexandro* III. Pontifice Maximo?

M. Reconciliatio *Friderici* Imperatoris cum *Alexandro* III. Pontifice Maximo præceſſit tribus annis abolitionem ſchiſmatis. Facta quippe eſt Venetiis anno MCLXXVII. hæc *Feiderici* Imperatoris cum *Alexandro* III. Romano Pontifice reconciliatio cum maxima omnium gratulatione & totius Eccleſiæ jubilo, ſicut oſtendimus in Colloquio ſuperiori, ubi etiam poſt *Baronium*, & alios viros doctiſſimos exploſimus putidiſſimam fabulam a nonnullis jactatam, quod videlicet *Fridericus* Imperator oſculum figens *Alexandeo* Summo Pontifici dixerit: *Non Tibi*, *ſed Petro*: & quod *Alexander* caput Imperatoris premens, eique inſultans repoſuerit: *Et mihi*, *& Petro*. Poſt hanc reconciliationem Imperatoris cum Summo Pontifice duravit quidem adhuc per tres annos ſchiſma, cui tamen pauciſſimi quidam obſtinati adhæſerunt. Intrepidum ac magnanimum tempore ſchiſmatis ſeſe prodidit *Alexander* III. Pontifex Maximus. A *Friderico* quippe Imperatore, & ab Antipapa *Victore* IV. Roma fugatus in Galliam venit, ubi a *Ludovico* VII. Rege perhonorifice ſuſceptus io *Fridericum* Imperatorem, & in *Victorem* IV. Antipapam, ejuſque ſectatores, partiarios ac fautores excommunicationis ſententiam tulit. Romam deinde poſt obitum Antipapæ *Victoris* IV. reverſus, novum Antipapam *Paſchalem* III. nec non *Feidericum* Imperatorem ſchiſmatis auctorem ab Eccleſiæ communione ritu ſolemni removit. In vindicandis etiam Eccleſiæ juribus, animi ſibi ſemper conſtantis magnitudinem, quæ nec injuria, nec ullis rebus adverſis flecti unquam potuit, contra *Henricum* II. Angliæ Regem exhibuit *Alexander* III. quippe qui non ſolum S. Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo adverſus *Henricum* II. Angliæ Regem pro Eccleſiæ libertate pugnanti impenſiſſime favit, & conſuetudines Anglicanas eidem libertati contrarias damnavit; ſed etiam necem Sancti illius Martyris lata in ipſum Regem, & in parricidas excommunicatione ultus eſt; paterna tamen benignitate eumdem Angliæ Regem, poſtquam juraſſet, ſe necem S. *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi nec juſſu, nec conſilio, nec aſſenſu approbaſſe; per Legatos ſuos abſolvit, ut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus. Canonizationes Sanctorum Sedi Apoſtolicæ reſervavit *Alexander* III. & inter Sanctos ſolemni Canonizationis ritu retulit *Eduardum* Angliæ Regem an. MCLXI. S. *Bernardum* Claræuallenſem Abbatem, S. *Helenam* Viduam genere Wiſigotham, S. *Canutum* Daniæ Regem an. MCLXIV. & S. *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum an. MCLXXIII. Sedit Alexander III. a die conſecrationis ſuæ, ſeu a die XX. menſis Septembris anni MCLIX. annos viginti unum, menſes undecim, dies decem, & hominem exuit die triceſima menſis Auguſti anni MCLXXXI. Poſt *Alexandri* III. mortem vacaſſe ſedem diem unum aſſerunt *Onuphrius*, & *Baronius*. Quare, juxta calculum noſtrum, die prima menſis Septemb. an. MCLXXXI. electus eſt Pontifex Romanus *Lucius* III. dictus ante Pontificatum *Ubaldus*, natione Tuſcus, patria Lucenſis, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, qui Legationibus ſub *Innocentio* II. in Galliis, ſub *Eugenio* III. in Sicilia, ſub *Alexandro* III. apud *Fridericum* Imperatorem maxima cum laude perfunctus fuerat. Hunc Pontificem prima Dominica menſis Septembrix, quæ hoc anno incidit in diem VI. Septembris, conſecratum ac coronatum fuiſſe ſcribir *Gaufredus* Prior Voſienſis, qui eo tempore vivebat, *Joannes* vero *de Ceccano* in Chronico, ait, hanc *Lucii* III. Summi Pontificis coronationem factam fuiſſe apud *Vilitras*, ſeu apud *Velitras*, quod confirmat Anonymus Caſſinenſis, qui aſſerit eum conſecratum eſſe apud *Velletrum*. Pontificatum adeptus *Lucius* III. Pictavienſem Epiſcopum *Joannem*, magnum olim S. *Thomæ* Caotuarienſis amicum, creavit Archiepiſcopum Lugdunenſem, de qua translatione *Stephanus* Tornacenſis Epiſcopus gratulatus eſt Epiſtola ordine LXXV. ad eumdem *Joannem* data. *Willelmum* Scotiæ Regem a *Rogero* Archiepiſcopo Eboracenſi excommunicatum abſolvit, Regnumque Interdicto liberavit *Lucius* III. Pontifex Maximus. *Feidericum* Imperatorem, & Reges Galliæ, & Angliæ vehementer adhortatus eſt, ut facram ſuſciperent expeditionem contra Turcas, qui, *Saladino* Rege Ægypti Duce, Hieroſolymorum fines, & rotam late Palæſtinam populabantur. Sub *Lucio* III. Pontifice Maximo vetus Controverſia inter Turonenſem Archiepiſcopum, & Dolenſem Epiſcopum renovata fuit. Nolebat enim *Rolandus* Epiſcopus Dolenſis electus haberi Suffraganeus Archiepiſcopi Turonenſis, ſeque ex veteri privilegio te-

totius minoris Britanniæ Archiepiſcopum & Primatem eſſe jactitabat. Contra vero Archiepiſcopus Turonenſis Epiſcopum Dolenſem, & cæteros ejuſdem Provinciæ Epiſcopos inter ſuos connumerabat. Turonenſi Archiepiſcopo favebat *Philippus Auguſtus* Galliarum Rex. Dolenſi autem Epiſcopo ſuffragabantur omnes Proceres Britannici, ſeu Aremorici, & nonnulli Anglicani Principes. At *Lucius* III. Pontifex Maximus cum pacem Eccleſiæ turbare nollet, cauſam, quæ vertebatur Turonenſem inter & Dolenſem Antiſtites, indeciſam reliquit, ſicuti & ejus Succeſſores uſque ad *Innocentium III.* qui an. MCXCIX. Sententiam pro Turonenſi Archiepiſcopo dixit, & liti, quæ medio circiter ſæculo nono cœpit, finem impoſuit. Sedit *Lucius III.* annos quatuor, menſes duos, dies octodecim, numerando videlicet durationem ejus Sedis non a die electionis, ſed a die ejus conſecrationis, ſeu a die ſexta menſis Septembris anni milleſimi centeſimi octuageſimi primi, & mortuus eſt Veronæ die XXIV. menſis Novembris an. MCLXXXV. Hic autem prætermittere non debeo obſervationem *Onuphrii*, qui in Annotatione ad Vitam *Alexandri III.* dicit, in electione *Lucii III.* eam tunc primum redactam fuiſſe ad ſolos Cardinales, Clero omnino & populo a Summi Pontificis electione excluſis, legemque ſalutarem in Concilio generali Lateranenſi an. MCLXXIX. celebrato latam *de duobus tertiis* Suffragiorum Cardinalium ad evitanda impoſterum Schiſmata, executioni mandatam fuiſſe, quod dicit ſibi conſtare ex ejuſdem Pontificis Diplomate apud ſe aſſervato. Celebratis exequiis *Lucii III.* Summi Pontificis die XXV. menſis Novembris anni milleſimi centeſimi octuageſimi quinti, *Lambertus* natione Lombardus, patria Mediolanenſis, ex proſapia Cribellorum creatus eſt Summa Cardinalium concordia ex Archiepiſcopo Mediolanenſi Pontifex Romanus, dictuſque *Urbanus III.* quem multa cum *Friderico* Imperatore commiſerunt negotia, præſertim repetitio Patrimonii Comitiſſæ *Malbildis*, quod prædictus Imperator juſte occupabat: exuviæ, ſeu ſpolia morientium Epiſcoporum, quæ in Fiſcum redigebat, & ſtipendia Abbatiſſarum, & Sanctimonialium, quæ idem Imperator ſibi arrogabat. Has & alias id genus cauſas diſſenſionis *Urbanum III.* inter & *Fridericum* Imperatorem *Arnoldus* Abbas Lubecenſis in Chronico Sclavorum lib. 3. c. 16. 17. & 18. fuſe narrat. Anathema *Friderico* Imperatori Eccleſiæ minime ſatisfacienti intentavit *Urbanus III.* & exemplo deceſſoris ſui *Lucii III.* noluit *Henricum* filium *Friderici* Imperatoris, patre adhuc ſuperſtite, coronare Imperatorem. Intra minas tamen hæſit Summus Pontifex, & Veronenſium precibus victus, excommunicationis fulmen in *Fridericum* Imperatorem non vibravit. *Octavianum* S. Romanæ Eccleſiæ Diaconum Cardinalem in Angliam miſit *Urbanus III.* ut *Joannem*, filium *Henrici II.* Angliæ Regis, Hiberniæ Regem coronaret. De procuranda Chriſtianorum Principum concordia, eorumque armis contra Infideles convertendis plurimum ſollicitus fuit. Sed poſtquam Ferrariæ nuncium accepiſſet de labefactatis in Aſia Chriſtianę Reipublicæ rebus, & de capta a *Saladino* Hieroſolymorum urbe, mœrore ob eam cladem confectus eſt, ut teſtantur omnes Scriptores, excepto tamen *Willelmo Neubrigenſi*, qui lib. 3. *de rebus Anglicis* c. 20. falſo aſſerit, *Urbanum III.* e vivis exceſſiſſe, antequam de clade Chriſtianis terræ Sanctæ illata nuncium accepiſſet. Obiit *Urbanus III.* Ferrariæ die XIX. menſis Octobris ann. MCLXXXVII. poſtquam ſediſſet annum unum, menſes decem, dies viginti quinque, ut aſſerunt in ſuis Chronicis *Joannes de Ceccano*, *Martinus Anonymus Caſſinenſis*, *Ptolomæus Lucenſis*, *Abbas Uſpergenſis*, *Platina*, & alii. *Urbanum* III. excepit *Gregorius* VIII. Beneventanus, dictus antehac *Albertus* Presbyter Cardinalis S. *Laurentii in Lucina* & S. R. E. Cancellarius. Porro electus eſt *Gregorius VIII.* die XXI. menſis Octobris anni MCLXXXVII. poſtquam Sedes Pontificia die uno vacaſſet, & conſecratus eſt die XXV. ejuſdem menſis, in quam incidit dominica dies. Pontificali itaque dignitate ſuſcepta, *Gregorius VIII. vir litteris facundiaque clarus, ſed puritate vitæ & animi integritate præclarior, ſuique corporis caſtigator, penſare cœpit attentius, qualiter labenti rerum ſtatui ſubveniret. Videlicet nempe ſui temporis Eccleſiam per vitia diffluam, & in maligna prolapſam, ambitioneque, & avaritia, luxuriaque, necnon hæreſibus, quaſi quibuſdam peſtilentiſſimis hoſtibus vineam domini totam fere jam eſſe depaſtam. Hoc meditabatur die ac nocte, hæc ejus cura, hoc ſtudium, ut ſui negligens viveret omnibus, ut per eum, cooperante domino, facies Eccleſiæ marcida refloreret*, ait *Hugo* Altiſiodorenſis, qui hoc tempore floruit. Epiſtolam Encyclicam ad univerſos Chriſti fideles, quam integram refert *Baronius*, ſcripſit *Gregorius* VIII. Pontifex Maximus, in qua eos ad pœnitentiam agendam, ad expeditionem Sacram, ſeu ad recuperandam terram Sanctam Chriſtianis nuper a Saracenis ereptam vehementer adhortatur; Sed dum ad ferendum Chriſtianis in Aſia gementibus præſidium totus incumbit optimus ille Pontifex, Piſas profectus, ibique inopinato morbo correptus ad vitam immortalem tranſiit die XVII. menſis Decembr. anni MCLXXXVII. poſtquam ſediſſet menſe uno, diebus viginti ſeptem, ſicut teſtantur *Bromptonus*, *Joannes de Ceccano*, & *Martinus Polonus* in ſuis Chronicis, vel Pontificatus ſui die LVII. ut habet *Platina*. Poſt mortem *Gregorii* VIII. Sedem Pontificiam dies viginti vacaſſe multi poſt *Baronium* aſſerunt. At Cl. *Pagius* in Critica Baronii ad annum MCLXXXVIII. luculenter oſtendit, *Clementem III.* patria Romanum, antea dictum *Paulinum*, Præneſtinum Epiſcopum ac Cardinalem Piſis die 19. menſis Decembris ann. MLXXXVII. electum fuiſſe Pontificem Romanum, & ſequenti die conſecratum, adeoque hoc viginti dierum Interpontificium eſſe plane commentitium. Duo maximi momenti negotia confecit *Clemens* III. Pontifex maximus. Pacem ſiquidem cum Senatu populoque Romano fecit, & *Friderico* I. dicto *Ænobarbo* Imperatori, *Philippo Auguſto* Galliæ, & *Richardo* Angliæ Regibus author fuit ut Sacram Expeditionem contra Turcas ad recuperandam Terram Sanctam ſuſciperent, quamvis tamen hæc Expeditio, ita propter Chriſtianorum peccata per-

mit-

Digitized by Google

mittente Deo, felici exitu caruerit, ſicut diximus in ſuperiori noſtro Colloquio. *S. Ottonem* Bambergenſem Epiſcopum, de quo itidem in ſuperiori noſtro Colloquio ſermonem habuimus, in Sanctorum numerum retulit idem Summus Pontifex, & e vivis exceſſit die 28. menſis Martii anni MCXCI. Biduo poſt illius obitum *Hyacinthus*, Petri Bubonis de *Urſinis* filius, Diaconus Cardinalis *Sanctæ Mariæ in Coſmedin*, maximis Sedis Apoſtolicæ legationibus functus, electus eſt Pontifex Romanus die 30. menſis Martii ejuſdem anni, & die XIV. menſis Aprilis, in quam Paſcha incidit, conſecratus eſt dictuſque *Cœleſtinus* III. ſicut diſerte teſtatur Chronographus Reiſcreſpergenſis. *Henricum* inter Reges Germaniæ hujus nominis VI. poſtquam Jurium Eccleſiaſticorum conſervationem, & patrimonii S. Petri reſtitutionem integram juraſſet, & *Conſtantiam* ejus uxorem Imperiali Corona inſignivit *Cœleſtinus* III. Pontifex Maximus. Ad recuperandam Terram Sanctam haud parum adlaboravit Sanctiſſimus ille Pontifex, ut videre eſt in ejus Epiſtola, quam *Baronius* recitat ad annum MCXCII. in qua Pontifex univerſis Orbis Principibus in remiſſionem peccatorum injungit, ut, ſi quis adverſus aliquem concepit rancorem, Creatori dimittat, & omnes toto animi ſtudio procurent, ut Terram Sanctam, & Sepulchrum Dominicum, devicto & conculcato penitus occupantium furore, liberent. *Leopoldum* Auſtriæ Ducem, qui *Richardum* Angliæ Regem e Sacra Expeditione revertentem ceperat, & injuſte detinebat, Anathemate perculit, ac *Henrico* Imperatori, ejuſque ditionibus, Cenſuras Eccleſiaſticas etiam comminatus eſt, niſi eum liberum dimitteret, ut refert *Rogerius de boveden* in Annalibus Anglicanis. Sanctum *Ubaldum* Epiſcopum Eugubinum Faſtis Sanctorum adſcripſit idem Summus Pontifex, & obiit die VIII. menſis Januarii an. MCXCVIII. poſtquam ſediſſet annos ſex, menſes novem, & dies novem. Denique, *Cœleſtino* III. ſucceſſit *Innocentius* III. qui Pontificatum tenuit uſque ad annum milleſimum ducenteſimum decimum ſextum; de cujus proinde electione, doctrina, ac præclaris geſtis opportunius diſſeremus in Colloquio II. in Hiſtoriam decimi tertii Eccleſiæ ſæculi.

D. Gaudeo plane, quod inter tot turbas, factiones, & ſchiſmata, quibus Sedes S. Petri duodecimo Eccleſiæ ſæculo fuit agitata, Series Romanorum Pontificum ſingulari Providentiæ divinæ beneficio non fuerit interrupta, dum tamen aliæ illuſtriores Eccleſiæ Sedes multis abhinc ſæculis Barbarorum tyrannide oppreſſæ, ab Epiſcopis hæreticis, vel Schiſmaticis occupentur. Verum, cum in ſecundo Colloquio in Hiſtoriam ſæculorum X. & XI. Seriem Epiſcoporum Sedis Conſtantinopolitanæ perduxeris uſque ad *Nicolaum* hujus nominis III. qui ab anno milleſimo octogeſimo quarto uſque ad annum milleſimum centeſimum undecimum Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam, nunc continenti ordine proſequi debes eam ſeriem Epiſcoporum, qui, poſt *Nicolaum* hujus nominis III. Sedem Conſtantinopolitanam duodecimo Eccleſiæ ſæculo tenuerunt.

M. Per viginti ſeptem annos *Nicolaus* hujus nominis III. Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam. Anno ſiquidem milleſimo octogeſimo quarto Patriarchale ſolium conſcendit, & anno milleſimo centeſimo undecimo e vita migravit. De iſto Patriarcha *Nicolao* hæc ſcribit *Zonaras* in *Alexio Comneno* Imperatore: *Patriarcha Nicolaus, per annos viginti ſeptem Eccleſia gubernata, ſenex admodum deceſſit, cujus funus Imperator magnificis honoribus proſecutus, alium Patriarcham in ſolio collocavit, ex fratre nepotem ejus, qui tum Chalcedonenſi præerat Eccleſiæ, in litteris tum prophanis, tum ſacris ab ineunte verſatum ætate, quem ipſe Imperator in Eccleſia declaravit.* Hic ſucceſſor *Nicolai* in Sede Conſtantinopolitana appellatur *Joannes Hieromnemon* in libro IV. *Juris Græco-Romani*, ubi texitur *Series Epiſcoporum Bizantii*. Eccleſiam Conſtantinopolitanam gubernavit *Joannes Hieromnemon* ab anno milleſimo centeſimo undecimo, uſque ad annum milleſimum centeſimum trigeſimum quartum, hoc eſt per viginti tres annos, ſicut legitur in ſerie Epiſcoporum Byzantii in libro IV. *Juris Græco-Romani* recitata. Ei ſucceſſit *Leo Styopita*, cujus *Baronius* meminit Anno MCXLIII. qui tamen *Joannem Hieromnemonem*, cognomento *Chalcedonium*, ejus deceſſorem prætermiſit, ſed *Onuphrius* in Chronico utriuſque mentionem fecit. Hic *Leo Styopita* Patriarcha Conſtantinopolitanus Synodum anno milleſimo centeſimo quadrageſimo coegit, in qua *Conſtantini Chryſomali* libri, qui multa dogmata *Enthuſiaſtarum* & *Bogomilorum* doctrina abſurdiora continebat, damnati, proſcripti, ac igne exuſti ſunt, diſtricteque vetitum eſt, ne quiſpiam deinceps auderet novas doctrinas edere, aut diſſeminare, antequam a Catholica Eccleſia examinatæ, judicatæ & approbatæ fuiſſent. De hac Synodo legendus eſt *Leo Allatius* lib. 2. de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis conſenſione cap. 11. Eccleſiam Conſtantinopolitanam *Leo Styopita* rexit annos octo & menſes octo, ut habet Catalogus Epiſcoporum Byzantinorum lib. 4. *Juris Græco-Romani*, & obiit anno milleſimo centeſimo quadradrageſimo tertio, ſicut poſt *Onuphrium* in in Chronico, aſſerit *Baronius* ad annum MCXLIII. ubi etiam ex *Balſamone* refert, *Leonem Styopitam* Patriarcham Conſtantinopolitanum graviſſime animadvertiſſe in quoſdam vaticinatores, & veneficos, qui uxorem *Alexii Comneni* filii Imperatoris *Manuelis* lethali morbo decumbentem, cum ſe curaturos profeſſi fuiſſent, re tamen infecta evanuerunt, ægra non ſolum nihil adjumenti adepta, ſed etiam diuturno morbo vexata decedente. *Leonem Styopitam* excepit in Sede Conſtantinopolitana *Michael* Monachus cognomento *Oxita*, quod ex *Oxia* inſula, in qua erat ejus Monaſterium, eductus ſit, & ad Thronum Conſtantinopolitanum ſublimatus. Vir fuit, teſte *Joanne Cinnamo* lib. 2. Hiſtoriæ ſuæ, liberalibus diſciplinis, humanioribuſque litteris leviter quidem imbutus, at morum elegantia, rerumque divinarum ſcientia nemine inferior, unuſque adeo ex iis, quorum ea ætate virtus erat magis conſpicua. Refert etiam *Leo Allatius* lib. 2. de Conſenſ. Eccleſ. Orientalis, & Occidentalis capite duodecimo Synodum,

Digitized by Google

quam *Michael Oxita* Patriarcha Conſtantinopolitanus celebravit contra *Niphonem* Monachum, nec non pſeudo-Epiſcopos *Clementem*, & *Leontium*, quos ceu *Bogomilorum* hæreſis fautores ac propugnatores condemnavit. *Manuelem* Imperiali diademate inſignivit idem Patriarcha *Michael Oxita*, ſed anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, poſtquam ſediſſet annos duos & menſes octo, ut legitur in Catalogo Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, ſponte ſe ſe hac ſublimi dignitate abdicavit, & in *Oxiam* inſulam rediit, in qua vitæ inopis & ſimplicis inſtitutum, quod a puero fuerat amplexus, obſervavit, ibique, ut refert *Baronius* ad annum MCXLV. in templi veſtibulo proſtratus, cuivis Monacho collum calcandum præbuit, vehementer dolens, quod adamatam a teneris annis quietem repudiaſſet, nulloque cum fructu thronum Conſtantinopolitanum conſcendiſſet. In ejus locum ſuffectus eſt *Coſmas Atticus*, qui tamen, poſtquam Patriarchatum Conſtantinopolitanum per menſes decem tenuiſſet, ſede pulſus eſt anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, quod *Bogomilorum* hæreſi nimium favere videretur, ut videre eſt apud *Leonem Allatium* lib. 2. de conſenſ. Eccleſ. Occid. & Orient. cap. 12. ubi refert ſententiam depoſitionis adverſus hunc Patriarcham Conſtantinopolitanum latam. Rem tamen aliter refert *Nicetas Choniata* l. 2. ubi ait, *Coſmæ* Patriarchæ Conſtantinopolitani æmulos eum apud *Manuelem* Imperatorem calumniatos eſſe, & in vindictam injuſtæ dejectionis Imperatricem nullos mares peperiſſe, ſicut ei *Coſmas* imprecatus fuerat. Ut ut ſit vacante Sede Conſtantinopolitana per depoſitionem *Coſmæ Attici*, ad thronum Conſtantinopolis evectus fuit *Nicolaus* Monachus, *Muzalo* dictus, antea Archiepiſcopus Cypri, ut habet Catalogus Epiſcoporum. At ſtatim ac *Nicolaus Muzalo res adminiſtrare cœpit, omnium ora in eum commota ſunt, injuſte occupatum ab illo thronum clamitantium, ut qui cum Eccleſia quam nactus fuerat, Sacerdotium quoque depoſuiſſet. Sed is obſtinatus, primo, throno ſe deturbari haud quaquam paſſus, ubi autem re ad Imperatoris examen delata, male ſibi ceſſurum agnovit, judicium nolens denuo experiri, abdicata ultro dignitate, ad vitam rurſus privatam rediit. Theodotus ei ſufficitur, vir Monachicis inſtitutis apprime inſtructus*, inquit *Joannes Cinnamus* lib. 2. Hiſtoriæ ſuæ. Ex quo facile intelligitur, *Baronium* incidiſſe in Catalogum Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum depravatum. Ait enim primo, *Nicolaum Muzalonem* Patriarcham Conſtantinopolitanum obiiſſe anno MCXVII. cum tamen certo conſtet, *Nicolaum Muzalonem* anno dumtaxat milleſimo centeſimo quinquageſimo primo Patriarchali dignitate ſe ſe abdicaſſe. Secundo ſcribit *Baronius*, Coſmæ Attico in ſede Conſtantinopolitana ſucceſſiſſe *Charitonem*, & tamen ex accurato Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum Catalogo liquet, *Coſmæ Attico* Patriarchæ Conſtantinopolitano ſucceſſiſſe non *Charitonem*, ut aſſerit Baronius, ſed *Nicolaum* hujus nominis IV. dictum *Muzalonem*, quem perperam idem *Baronius* confundit cum altero *Nicolao* hujus nominis III. Patriarcha Conſtantinopolitano, qui *Grammaticus* dicitur, & obiit, ut ſuperius diximus, anno milleſimo centeſimo undecimo. Poſt depoſitionem *Nicolai Muzalonis* factam, ut jam obſervavimus, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, *Theodotus* Monachus Patriarcha Conſtantinopolitanus renunciatus eſt, ut videre eſt in ſerie Epiſcoporum Byzantinorum l. 4. Juris Græco-Romani, quod in lucem emiſit *Joannes Leunclavius*. Huic Patriarchæ Conſtantinopolitano *Theodoto* demortuo anno milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio ſucceſſit *Neophytus incluſus*, (*a*) & *Neophyto incluſo* Patriarchæ Conſtantinopolitano anno incerto defuncto ſucceſſit *Conſtantinus Cliarenus*, Diaconus & ſacelli Præfectus, huic ſucceſſit *Lucas Chryſoberges*, & ut patet ex ſerie Epiſcoporum Byzantinorum, quam mox citatus *Joannes Leunclavius* in lib. IV. Juris Græco-Romani edidit, in qua tamen, cum anni ſedis horumce Patriarcharum Conſtantinopolitanorum injuria temporis deleti fuerint, ſcire tantum poſſumus, *Lucam Chryſobergem* anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto Patriarchatum Conſtantinopolitanum obtinuiſſe, idque colligimus ex duratione ſedis aliorum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, qui ad finem uſque hujus ſæculi duodecimi ſedem Conſtantinopolitanam tenuerunt. *Leo Allatius* libro 2. de Conſenſ. Eccleſ. Occid. & Orient. cap. 12. meminit Synodi Principum & Patriarcharum, Metropolitarum, Epiſcoporum, & aliorum Eccleſiaſticorum numero ſpectatiſſimæ, quæ celebrata eſt anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto, cui interfuere *Lucas Chryſoberges* Patriarcha Conſtantinopolitanus, *Athanaſius* Theopolitanus, aliique, quorum nomina recitat *Allatius*, qui Synodum illam MS. ſe ſe habere ibidem aſſerit, Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexit *Lucas Chryſoberges* ab an. MCLV. uſque ad annum MCLXVII. eique ſucceſſit *Michael* hujus nominis III. Diaconus, Sacelli præfectus & ſummus Philoſophorum, ſicut legitur in Catalogo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum. Hic *Michael* hujus nominis III. præfuit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ novem annos, & obiit anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto. In ejus locum ſuffectus eſt *Charito*, qui teſte *Onuphrio* in Chronico Eccleſiaſtico, poſt brevem Pontificatum, ſeu poſt unum annum & duos menſes e vita migravit anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, atque ſucceſſorem habuit *Theodoſium*, qui anno milleſimo centeſimo octogeſimo tertio ſeſe Patriarchatu Conſtantinopolitano abdicavit, & in Inſulam Terebinthum, ubi ſibi diverſorium & ſepulchrum extruxerat, receſſit, ut narrat *Nicetas Choniates* ſub finem libri ſecundi in *Andronico* Imperatore. Poſt abdicationem *Theodoſii*, Imperator *Andronicus*, ut ſcribit idem *Nicetas*, virum ſibi addictiſſimum ad thronum Conſtantinopolitanum evexit *Baſilium Camaterum*, qui, poſtquam ſediſſet non annos ſex & menſes ſex, ut legitur apud *Baronium*, ſed annos tantum tres & menſes ſex, ſicut accurate ſcribit *Onuphrius* in Chronico Eccleſiaſtico, fuit tandem anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto ſede dejectus ab *Iſaacio* Imperatore, uti narrat

Ba-

Digitized by Google

Baronius ex *Niceta* in *Iſaacio Angelo* Imperatore. In locum dejecti *Baſilii Camateri* ſubrogatus eſt *Nicetas Muntanes*, *magnus Sacellarius*, ſicut legitur in Catalogo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum. *Onuphrius* in Chronico Eccleſiaſtico initium Patriarchatus *Nicetæ Muntanis*, ſeu *Mundani* connectit cum anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, aitque, eum, poſtquam annos ſex & menſes ſex Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexiſſet, ſede fuiſſe pulſum. Quare, juxta *Onuphrium*, Nicetas Mundanus Patriarchatum Conſtantinopolitanum tenuit uſque ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum ſecundum, quo *Leontius* Monachus factus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem tamen *Iſaacius Angelus* Imperator anno milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, poſtquam uno anno ſediſſet, abdicavit, eoque repudiato, ſtatuit idem Imperator *Doſitheum* Hieroſolymorum Patriarcham ad thronum Conſtantinopolitanum transferre, ſed, ut ſcribit *Nicetas*, cum ſciret Imperator, id Canonibus vetitum eſſe, *Theodorum Balſamonem* Patriarcham Antiochenum, virum ea ætate juris conſultiſſimum, aſtu circumveniens finxit, ſibi eſſe in animo ipſum Antiochia ad Regiam urbem evocare, ſi ipſe, ut Legum & Canonum peritiſſimus, demonſtrare ac vulgo perſuadere poſſet, ejuſmodi translationes licite fieri poſſe. His promiſſis illecto *Theodoro Balſamone*, poſtridie in Conventu Epiſcoporum quæſtione illa agitata, concluſum eſt pro translationibus, moxque Imperator *Doſitheum* e ſede Hieroſolymitana ad Conſtantinopolitanam tranſtulit, qua tamen diu *Doſitheus* potitus non eſt. Obſtupefacti quippe Epiſcopi, cum ſe, Canonibus temere violatis, deluſos viderent, *Doſitheum* alienæ Eccleſiæ occupationis inſimularunt, eumque ut invaſorem ejecerunt anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, cui *Georgius Xiphilinus*, magnus vaſorum cuſtos, in hanc Sedem Conſtantinopolitanam ſucceſſit, quam ſeptem annos tenuit, hoc eſt uſque ad annum milleſimum ducenteſimum. Sic viri eruditi poſt *Onuphrium* diſponendam ac ordinandam eſſe cenſent Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſeriem, ſeu Chronotaxin, quam in Annalibus *Baronii* non ſatis accurate eſſe digeſtam pertendunt.

(*a*) „ Neophytum hunc expungendum eſſe in
„ catalogo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum
„ probat Pater Bandurius in comment. ad Anti-
„ quit. Cptanas lib. VIII. pag. 638. edit. Ve-
„ net. tum quod deſit in catalogo a Nicephoro
„ Callixto digeſto, & ab eodem Bandurio vulga-
„ to; tum pariter quod, eo amoto, reliquorum
„ Patriarcharum chronologia cum chronotaxi ca-
„ talogorum melius congruit. Nam ſi Theodoto
„ an. 1153. defuncto ſucceſſor Conſtantinus ſta-
„ tuatur, quem biennio ſacris præfuiſſe idem ca-
„ talogus ſtatuit, ad an. 1155. ducemur. Poſt
„ hunc venit Lucas annorum XV. & menſ. III. Pa-
„ triarcha, qui deducet nos ſaltem uſque ad an.
„ 1169. Excepit hunc Michael, qui octo annis
„ & menſibus duobus ſedit, eodem catalogo ſi
„ gnante; unde fiet, at ad ann. 1177. vel 1178.
„ ineuntem pertingamus. Poſt hunc venit Theo-
„ doſius uſque ad an. 1183. nam teſte Niceta
„ depoſitus indict. XV. id eſt an. Chriſti 1182.
„ poſt reſtitutus, anno ſequenti ſponte ceſſit. In
„ locum vacuum Andronico Imperatore invitan-
„ te, aſſumptus eſt Baſilius uſque ad ann. 1186.
„ Huic ſuffectus eſt Nicetas, qui tres annos &
„ dies decem, ut notat catalogus Nicephori,
„ præfuit, pervenitque ſecundum eumdem catalo-
„ gum ad annum 1190. Succeſſit Leontius eodem-
„ que anno poſt ſeptem menſes depoſitus. Huic
„ Doſiteus uſque ad ann. 1192. tenuit enim ca-
„ thedram anno & ſemis. Xiphilinus anno 1194.
„ Patriarcha renunciatus eſt. „

D. Oſtendiſti, ut bene memini, in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam ſæculorum Eccleſiæ ſeptimi & octavi, texi haud poſſe ſerie Epiſcoporum Hieroſolymitanorum, qui a morte *Sophronii* Patriarchæ Hieroſolymitani, hoc eſt, ab anno ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, quo a Saracenis Hieroſolymorum urbs capta eſt, ſedem Hieroſolymitanam tenuerunt, quia eorum Patriarcharum nomina plane incognita ſunt, uſque ad adventum Latinorum, qui ſub finem XI. ſæculi, Duce *Godefrido Bullionio*, victricibus armis Terram Sanctam occuparunt, Saracenos expulerunt, Regnum Hieroſolymitanum inſtituerunt, & Patriarchas Latinos Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfecerunt. Horum itaque Patriarcharum Latinorum, qui duodecimo ſæculo Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernarunt, nomina, ſeriem, geſtaque deſcribendi hic peropportunus locus eſſe videtur.

M. Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quando Latini in Palæſtinam ſub fine undecimi Eccleſiæ ſæculi venerunt, præerat *Simon* Patriarcharum Græcorum ultimus. Sed hic Patriarcha propter Turcarum minas ad Inſulam Cyprum profectus, tempore obſidionis civitatis Hieroſolymitanæ, in prædicta inſula ex hac luce ſubtractus Eccleſiam Hieroſolymitanam paſtore viduatam reliquit. Quapropter, Latini, capta urbe Hieroſolymitana anno milleſimo nonageſimo nono, elegerunt in Patriarcham Hieroſolymitanum *Arnulphum*, quem *Albertus* Aquenſis lib. 6. Hiſtoriæ *de Expeditione Hieroſolymitana* valde laudat, de quo tamen variant Scriptorum judicia. Utut ſit, *Guibertus* Abbas Monaſterii S. Mariæ Nigenti, hujus temporis Scriptor, teſtatur lib. 7. Hiſtoriæ *de Expeditione Hieroſolymitana*, hunc *Arnulphum* ſtatim fuiſſe ſede dejectum. Quo fit ut hic *Arnulphus* in ſerie Latinorum Patriarcharum Hieroſolymitanorum primum locum non teneat, ſed *Daibertus* ſeu *Daymbertus*, Piſanus Epiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ in Expeditione Hieroſolymitana Legatus, quem a Latinis exeunte anno milleſimo nonageſimo nono Patriarcham Hieroſolymitanum fuiſſe electum prodit *Fulcherius* Carnotenſis, qui præſens erat, lib. 1. cap. 21. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ, quam ab anno MXCV. uſque ad annum MCXXVII. perduxit. Ab hoc *Daymberto* primo inter Latinos Patriarcha Hieroſolymitano *Godefridus Bullionius* Regni Hieroſolymitani Inve-

ſtitu-

Digitized by Google

ſtituram accepit. Sed, mortuo *Godefrido Bullionio* anno milleſimo centeſimo, *Balduinus* frater *Godefridi*, ejuſque in Regno Hieroſolymitano ſucceſſor, Sede Hieroſolymitana dejecit *Daymbertum* anno milleſimo centeſimo tertio, & quemdam ſimplicem & religioſum circumveniens Sacerdotem, *Ebremarum* nomine, in ſedem Hieroſolymitanam intruſit, *cunctis quidem honeſtæ converſationis merito acceptum, ſed qui in hoc craſſam nimis & ſupinam inventus eſt habere ignorantiam, quod, vivente Domino Patriarcha, licere ſibi credebat, ſedem ejus uſurpare*, ſicut ait *Willelmus* Archiepiſcopus Tyrius lib. X. de Bello Sacro c. 26. Interim, *Daymbertus* ſede ſua a *Balduino* Rege, pulſus, Romam. Anno MCVI. navigavit *Paſchali* II. Pontifici Maximo ſuas querelas delaturus, & ab eo in priſtinam dignitatem reſtitutus in Orientem revertitur. Quod nbi audiviſſet *Ebremarus* in hanc ſedem Hieroſolymitanam a *Balduino* Rege intruſus, Romam itidem ſe contulit, ubi tamen nihil aliud impetrare potuit, quam nt ſecum mitteretur *Gobelinus*, ſeu *Gibelinus*, Arelatenſis Archiepiſcopus, qui tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatus hanc cauſam denuo examinaret, atque dirimeret. *Gibelinus* itaque Sedis Apoſtolicæ Legatus congregavit Hieroſolymis Concilium, & quamvis jam nunciatum eſſet, *Daymbertum* Patriarcham Hieroſolymitanum in itinere mortuum eſſe Meſſanæ in Sicilia anno MCVII. intruſum tamen in ſedem Hieroſolymitanam *Ebremarum* auctoritate Apoſtolica depoſuit, quod *Daymberti* adhuc viventis ſedem occupaſſet, ſed habita ratione ejuſdem *Ebremari* pietatis, religionis ac ſimplicitatis, illum miſeratione commotus *Gibelinus* Sedis Apoſtolicæ Legatus, Cæſarienſi, quæ tunc vacabat, præfecit Eccleſiæ. Poſtmodum vero, cum de ſubſtituendo Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Prælato Clerus ac Populus diſceptarent, in *Gibelinum* Sedis Apoſtolicæ Legatum omnes unanimiter conveniunt. Quod iſte *Arnulphus* Sede Hieroſolymitana, ut jam obſervavimus, depoſitus *dicitur malitioſe conſtruxiſſe, ut homo ſenex & decrepitus in illa ſede diu vivere non poſſet*, quemadmodum ſcribit *Willelmus* Archiepiſcopus Tyrius lib. 11. c. 4. *Gibelinus* tam arduum onus ſuis humeris impoſitum invitus admodum ſuſcepit, litteraſque ad ſuos Arelatenſes lachrymis plenas dedit, ad quos etiam *Paſchalis* II. Papa ſcripſit pro electione ſucceſſoris. Sedem Hieroſolymitaram tenuit *Gibelinus* uſque ad annum milleſimum centeſimum duodecimmm, quo obiit, eique ſubſtiturus eſt ille *Arnulphus* Sede Hieroſolymitana antehac depoſitus, quem *Willelmus Tyrius* lib. 12. c. 6. appellat *virum inquietiſſimum & Officii ſui Sanctimoniam negligentem*. Hic autem *Arnulphus* licet iterum Sede Hieroſolymitana in Concilio Hieroſolymis Anno MCXV. celebrato depoſitus, ut ex *Willelmo Tyrio* narrat *Baronius*, Sedem tamen Hieroſolymitanam occupavit uſque ab obitum *Balduini* hujus nominis I. Hieroſolymorum Regis, hoc eſt, uſque ad annum MCXVIII. quo nna cum *Balduino* Rege e vita deceſſit. Mortuo *Arnulpho* Hieroſolymorum Patriarcha, *Germundus*, *vir bonæ converſationis, ab omni Clero & Populo in Patriarcham eligitur*, inquit *Albertus* Aquenſis lib. 12. Hiſtoriæ *de Expeditione Hieroſolymitana n.* 30. Cum Venetis ad Tyri expugnationem perrexit *Germundus* Patriarcha Hieroſolymitanus, & vixit uſque ad annum milleſimum vigeſimuin octavum, quo ex hac vita migravit, ut teſtantur *Ordericus*, & *Willelmus* Archiepiſcopus Tyrius. *Germundo* in Sede Hieroſolymitana ſucceſſit *vir quidem ſecundum carnem nobilis, ſed vita, & moribus multo nobilior, Stephanus nomine*, ut ait *Willelmus Tyrius* lib. 13. cap. 25. Rexit Eccleſiam Hieroſolymitanam annis duobus, obiit anno milleſimo centeſimo trigeſimo, & ſucceſſorem habuit *Willelmum* Priorem Eccleſiæ Dominici ſepulchri, virum ſimplicem, modice litteratum, forma decorum, moribus commendabilem, Natione Flandrum, Hieroſolymorum Regi *Balduino II.* Principibus & populo univerſo chariſſimum, teſte *Willelmo Tyrio* lib. 13. Præfuit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ *Willelmus* nſque ad annum milleſimum centeſimum quadrageſimum quintum, qno vita functus eſt, *poſt annos* XV. *Pontificatus*, ut aſſerit idem *Willelmus Tyrius* cap. 17. lib. 14. Quare neceſſe eſt, ut memoria lapſus ſit *Ordericus* lib. 13. *Hiſtoriæ* Eccleſ. ad annum MCXXXVII. nbi Hieroſolymitanum Patriarcham appellat *Radulfum*, cnm tamen ex citato *Willelmo Tyrio* certo conſtet, *Willelmum* ab anno MCXXX. uſque ad annum MCXLV. Sedem Hieroſolymitanam tenuiſſet. In locum *Willelmi* demortui anno MCXLV. ſuffectus *Fulcherius*, cujus conſiliis & adhortationibus animati Latini *Aſcalonem*, urbem munitiſſimam, jamque diu reſiſtentem obſederunt, & ſeptimo demum menſe, ſen die XII. menſis Auguſti Anni MCLIV. in ſuam poteſtatem redegerunt. *Fulcherius* Patriarcha Hieroſolymitanus anno XII. ſedis ſuæ viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, hoc eſt an. MCLVII. eique ſucceſſit *Amalricus* Eccleſiæ Dominici Sepulchri Prior, *vir commode litteratus, ſed ſimplex nimium & pene inutilis*, inqnit ſæpe citatus *Willelmus Tyrius* lib. 18. cap. 20. Patriarchatum Hieroſolymitanum tenuit *Amalricus* uſque ad annum MCLXXX. quo e vita migravit, ut ait *Marinus Sanutus* lib. 3. *Fidelium Crucis* part. 6. cap. 24. his verbis: *anno* MCLXXX. *Patriarcha Amalricus moritur, cujus ſimplicitas parum profuit Eccleſiæ, cui ſucceſſit, Heraclius tam pernicioſi exempli, ut procedentem ornatiſſimam mulierem, quam publice tenebat, vulgus Patriarchiſſam vocaret. In ejus electione publice dictum fuit, ſub Heraclio amittendam eſſe Crucem, ſicut ſub Heraclio Imperatore recuperata fuerat*. Et revera ita contigit. Anno ſiquidem MCLXXXVII. menſe Julio capta a Turcis Hieroſolymitana urbe *Heraclius* Patriarcha, Clerus univerſus, diverſorum Ordinum Religioſi, ac innumerabilis pene turba Chriſtianorum cujuslibet ætatis & ſexus miſerrime ab Urbe Hieruſalem receſſerunt, univerſiſque pene Latinis hanc nrbem deſerentibus, Suriani, & variarnm ſectarum homines, præcipue Jacobitæ, & Armeni ſub Turcarum dominio ibidem remanſerunt. Hunc *Heraclium* Patriarcham Hieroſolymitanum *Balduinus* hujus nominis IV. Hieroſolymo-

Digitized by Google

lymorum Rex ad *Lucium* III. Papam & ad Reges Franciæ & Angliæ anno milleſimo centeſimo octuageſimo quarto cum Magiſtris Templariorum & Hoſpitalariorum miſerat, ad impetrandum Chriſtianis in Aſia pene oppreſſis validum contra Turcas ſubſidium. *Papebrochius* in Hiſtoria Chronologica, ſeu in ſerie Patriarcharum Hieſolymitanorum Tom. 3. menſis Maji præfixa pag. 51. loquens de hoc *Heraclio* Patriarcha Hieroſolymitano hæc habet; *De hoc Heraclio, ubi, vel quando obierit, incompertum eſt, propter Auctorum ſilentium.* At Cl. *Antonius Pagius* in ſua Baronii Critica ad annum MCXCI. num. XVIII. profert *Rogerum Hovedenum*, in ſuis Ang. Annalibus, pag. 685. & *Joannem Bromptonem* Scriptorem itidem Anglum, & Abbatem Jornalenſem in ſuo Chronico pag. 1191. qui teſtantur, *Heraclium* Patriarcham Hieroſolymitanum mortuum eſſe in obſidione *Acræ*, hoc eſt anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo. Poſt *Heraclii* obitum *Albertus Eremita*, *Petri Eremitæ*, *qui belli ſacri auctor Urbano II. Pontifici fuit*, *pronepos*, *ex Epiſcopo Bethlemitano Patriarcha Hieroſolymitanus a Cæleſtino III. Papa conſtituitur*, ſicut Interpolator Chronici Aquicinctini ſcribit ad annum Chriſti milleſimum centeſimum nonageſimum primum. Hic autem *Albertus* Epiſcopus Bethleemita, qui poſtea fuit Patriarcha Hieroſolymitanus, interfuit, teſte *Willelmo* Archiepiſcopo Tyrio lib. 21. *De Bello Sacro* capite vigeſimo ſexto, Concilio Oecumenico Lateranenſi III. ſub *Alexandro* III. Papa Anno MCLXXIX. celebrato, ac proinde diverſus eſt a Beato *Alberto* primum Bobienſi, poſtea Vercellenſi Epiſcopo, qui Anno MCCIV. conſtitutus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus. Eccleſiam Hieroſolymitanam rexit *Albertus* hujus nominis primus ab anno MCXCI. uſque ad an. MCXCIV. quo, ſicut ſcribit *Villelmus* Armoricus in Geſtis *Philippi Auguſti* Galliarum Regis, mortuo *Alberto* Patriarcha Hieroſolymitano, *Michael Decanus Pariſienſis*, *vir Theologus & Sanctus in Patriarcham Jeroſolymorum eſt electus*, *ſed antequam illuc iter arriperet*, *factus eſt Archiepiſcopus Senonenſis*. Idem ſcribunt *Rigordus* in Geſtis ejuſdem Regis, & *Albericus* in Chronico. Poſt illam electionem *Monachus* in Florentina Diœceſi natus, eodem anno MCXCIV. factus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, de quo in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum plura habet *Papebrochius*, qui tamen ejus deceſſorem *Albertum* prætermiſit. Patriarchatum Hieroſolymitanum tenuit *Monachus* uſque ad annum milleſimum ducenteſimum tertium, ac ſubinde claudere debet ſeriem Latinorum Patriarcharum, qui duodecimo ſæculo Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernarunt.

D. Latinos in ſacra Expeditione, quam ad Terram Sanctam a Turcarum tyrannide liberandam ſub finem undecimi Eccleſiæ ſæculi ſuſceperunt, Antiochiam armis expugnaſſe, jam in præcedentibus Colloquiis obſervavimus. Sed an Latinos Patriarchas Antiochenæ Eccleſiæ, perinde ac Hieroſolymitanæ præfecerint? necdum inveſtigavimus.

M. Quemadmodum Eccleſiam Hieroſolymitanam XII. ſæculo a Patriarchis Latinis gubernatam fuiſſe oſtendimus, ſic etiam Eccleſiæ Antiochenæ Patriarchas Latinos eodem ſæculo præfuiſſe certiſſimum eſt. Verum enim vero, *Villelmus* Archiepiſcopus Tyrius lib. 7. *De Bello Sacro* cap. 23. ſcribit, quod poſtquam *Boamundus*, Roberti Guiſcardi Apuliæ & Calabriæ Ducis filius, Antiochiam anno milleſimo nonageſimo octavo Latinorum armis occupaſſet, ejuſque dominium omnium conſenſu obtinuiſſet, per biennium adhuc poſt captam Antiochiam *Joannes* Patriarcha Græcus, & egregius ſub Saracenis confeſſor, in ſua dignitate remanſit, quam tamen poſtea ultro abdicavit, *quod non ſatis utiliter præeſſet Græcus Latinis*, *& urbe cedens Conſtantinopolim abiit*, inquit *Willelmus* Tyrius. Vacante itaque Sede Antiochena per liberam ceſſionem factam a *Joanne* Græco Patriarcha Antiocheno, *Bernardum* Legati Apoſtolici Capellanum, natione Valentinum, ſeu ex Valentia in Galliis oriundum, Patriarcham Antiochenum Latini elegerunt, ut habet ibidem *Willelmus* Tyrius. Porro, hic *Bernardus*, primus omnium Latinorum Patriarcha Antiochenus, ſtrenue Eccleſiæ ſuæ jura defendit contra Latinum Patriarcham Hieroſolymitanum, qui ſuæ juriſdictionis fines latius protendere atque propagare nitebatur. Narrat ſiquidem *Willelmus* Archiepiſcopus Tyrius libri undecimi capite vigeſimo ſeptimo, *Balduinum* Hieroſolymorum Regem per Nuncios a *Paſchali II.* petiiſſe, ut quaſcumque urbes *ſibi poſſet vendicare*, *omnes ditioni & regemini Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſubjaceren*t, quod Regi dato Reſcripto indulſit *Paſchalis* II. Ad petitionem quoque *Balduini* Regis idem Summus Pontifex ad *Gibelinum* Patriarcham Hieroſolymorum ſcripſit, eique conceſſit urbes & Provincias, *quæ glorioſi Regis Balduini*, *ac exercituum eum ſequentium ſanguine*, *per Dei gratiam acquiſitæ ſunt*. Quod cum accepiſſet *Bernardus* Antiochenus Patriarcha, de illata Eccleſiæ ſuæ manifeſta injuria plurimum conqueſtus eſt apud *Paſchalem* II. Pontificem Maximum, qui litteris a *Willelmo Tyrio* ibidem recitatis reſpondit, actum id eſſe propter ignorantiam, & locorum prolixam longitudinem, ſeque jus & honorem quibuſque Eccleſiis conſervaturum. Dedit etiam hanc in rem idem *Paſchali II.* Pontifex Maximus litteras ad *Balduinum* Hieroſolymitanum Regem, eique mandat, ut Hieroſolymitana Eccleſia ſit ſuo jure contenta, nec injuſte, aut procaciter uſurpare ea contendat, quæ certo ſciuntur ad jus Antiochenæ Eccleſiæ pertinere. Has Summi Pontificis litteras datas XV. Kalend. Aprilis refert *Baronius* ad annum MCXIII. num. 11. Sedit *Bernardus*, Latinorum primus Patriarcha Antiochenus annos triginta ſex, ut aſſerit *Willelmus Tyrius* lib. 14. cap. 19. & obiit anno MCXXXVI. Poſt mortem *Bernardi* in Sedem Antiochenam intruſus eſt *Rodulphus*, ſeu *Radulphus* cognomine *Mamiſtranus*, natione Gallus Diœceſeos Cenomanenſis, qui ab *Alberico* Epiſcopo Oſtienſi, quem *Innocentius II.* Papa in Orientem Legatum miſerat, damnatus ac depoſitus eſt in Synodo Antiochiæ celebrata, & in carcerem detruſus

ex

Digitized by Google

ex quo tamen elapſus *Rodulphus* Romam perrexit, & gratiam Sedis Apoſtolicæ aſſecutus, dum ad Sedem ſuam redire maturaret, ex hac vita veneno ſublatus eſt anno MCXL. (*a*) & in ejus locum ſubrogatus eſt *Haimericus* Decanus ejuſdem Eccleſiæ Antiochenæ, ut ſcribit idem *Willelmus Tyrius*, qui etiam c. 8. l. 22. aſſerit, ad hunc *Haimericum* Latinum Patriarcham Antiochenum anno 1182. Maronitas acceſſiſſe, & abjurato errore, quo unam tantum in Chriſto agnoſcebant voluntatem & operationem, aliiſque repudiatis erroribus, quos, poſt ſuam ab Eccleſia Catholica ſeparationem, adjecerant; fidem orthodoxam una cum Patriarcha ſuo, & nonnullis Epiſcopis ſuſcepiſſe, atque ad omnes Eccleſiæ Romanæ traditiones amplectendas & obſervandas ſeſe paratos exhibuiſſe. In qua fide Catholica Maronitæ poſtea ſemper immobiles perſtiterunt, variis licet infidelium preſſuris agitati, ut litteræ eorum ad *Leonem* X. Pontificem Maximum aperte demonſtrant. Patriarchatum Antiochenum tenuit *Haimericus*, ſeu *Aimericus* annos XLVIII. hoc eſt, uſque ad annum MCLXXXVII. quo in vivis eſſe deſiit, ejuſque loco ſubſtitutus eſt *Rodulphus* hujus nominis II. qui Antiochenam Eccleſiam rexit annis triginta tres, ſeu uſque ad an. MCCXX. Poſt *Rodulphum* II. Sedem Antiochenam per viginti annos occupavit *Rainerius* Tudertinus, Prior S. *Fridiani* Lucenſis, & obiit anno MCCXL. eique ſucceſſit *Elias Robertus* Regienſis, antea Epiſcopus Brixianus, qui ſedit annos octo, & obiit anno MCCXLVII. qui vero poſt *Eliam* ex Latinis Patriarcha Antiochenus fuerit, plane incompertum eſt, ut videre eſt apud *Panvinum Onuphrium*, & *Genebrardum* in Chronico.

„ (*a*) Radulphum hunc obiiſſe an. 1142. ſtatuunt Bollandiſtæ in Hiſt. chronol. Patriarch. „ Antiochenorum tomo IV. Julii præfixa, eumque „ depoſitum conſtat, vinctumque raptatum fuiſſe „ ad publicam ignominiam, atque detruſum in „ Monaſterio S. Simeonis, unde evadens Romam „ convolavit, at in reditu veneno extinctus eſt, „ quo tempore (*per idem tempus* ait Tyrius lib. „ XV. cap. XIX.) quo Joannes imperator Con„ſtantinopolitanus Antiochiam perrexit, nempe „ anno Chriſti 1142. ut Pagius demonſtrat. In „ ejus locum ſuffectus eſt Aymericus clericus An„tiochenus, quem ſediſſe, ſed profuſum & e„jectum, uſque ad an. 1187. ſuſpicantur potius „ quam aſſerunt Bollandiſtæ. Huic ſucceſſit Ra„dulphus II. cujus ſedes ultra annum 1201. ne„quaquam progreditur. Profecto quo tempore „ Innocentius III. ſcribebat anno ſcilicet 1208. „ ſedem Jeroſolymitanam Petrus I. tenebat, ad „ quam literæ ejus Pontificis directæ ſunt.

D. Eccleſia itaque tam Hieroſolymitana, quam Antiochena nullos alios duodecimo ſæculo Patriarchas habuit præter Latinos?

M. Cum Latini ſumma rerum Hieroſolymis, & in urbe Antiochia duodecimo ſæculo potirentur, non alios, quam Latinos, tam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quam Antiochenæ Patriarchas præfecerunt. Non deſierunt tamen Græci ſuos & Hieroſolymis, & in Antiochia inſtituere, & continuare Patriarchas Græcos, qui tamen erant dumtaxat Patriarchæ nomine tenus, ut patet exemplo *Theodori Balſamonis* patria Conſtantinopolitani, qui a Græcorum Imperatore ad Patriarchatum Antiochenum deſignatus, nunquam tamen illum occupare potuit, quia tum temporis Sedem Antiochenam tenebat *Haimericus*, ſive *Aimericus* Patriarcha Latinus. Hinc *Theodorus Balſamon*, vir alioqui doctiſſimus, ægre ac iniquo animo ferens, quod Latinorum auctoritate a Sede Antiochena, cujus ſe Patriarcham dictitabat, excluderetur, Convicia in Latinos pleno ore effudit, & Eccleſiam Romanam in ſuis libris execrabilibus mendaciis a Capite ad Calcem ſcatentibus infamare ſtuduit, ut oſtendemus in Colloquio quinto, ubi ſermonem inſtituemus de Viris Illuſtribus, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo tam in Oriente, quam in Occidente floruerunt.

COLLOQUIUM III.

De Hæreſibus, quæ duodecimo ſæculo Eccleſiam infeſtarunt.

D. PLura in ſuperiori Colloquio percenſuiſti ſchiſmata, quæ ab Occidentis Imperatoribus excitata pacem Eccleſiæ diu multumque perturbarunt; nec dubito quin eodem ſæculo ad labefactandam avitam Eccleſiæ doctrinam complures errores in perniciem animarum diſſeminaverint hæretici, quos in præſenti Colloquio referre juvat, ut omnes, quos de illis Eccleſia reportavit triumphos, in apertam lucem proferamus.

M. Duodecimum Eccleſiæ ſæculum multos protulit Hæreticos, qui vel antiquos, & extinctos errores recoxerunt, vel novos proprio marte cuderunt, quibus nihil abſurdius fingi aut exiſtimari poſſe ex ſimplici eorum narratione facili negotio judicabis. Agmen Hæreticorum duodecimi Eccleſiæ ſæculi ducunt *Petrus de Bruis*, a quo *Petrobuſiani* dicti ſunt ejus Sectarii; & *Henricus* a quo *Henriciani* diſcipuli ejus fuerunt appellati. Ambo illi hæretici circa annum MCXVI. ſuos in Provincia cœperunt ſpargere errores. Sed *Henricus* diſcipulus *Petri de Bruis*, relicto in Provincia Magiſtro, Lauſanam primum ſe contulit. Dein Cenomanos, Pictavos, & Burdegalam in Galliis fœdavit ſuis ſpurcitiis, ſicut teſtatur S. *Bernardus* Epiſtola CCXL. quam recitat *Baronius* ad annum MCXLVII. n. 16. Hujus *Henrici* Hæretici mores, ingenium, ac ſupinam ignorantiam Auctor *de Geſtis Epiſcoporum Cenomanenſium* Tomo 3. Analect. a doctiſſimo *Mabillonio* publicatos deſcribit his verbis: *Per idem fere tempus in adjacentium finibus regionum ſurrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perverſi, dogma deteſtabile ſcorpionibus & parricidialibus proteſtantur ſuppliciis. Is enim ovium ſpoliis lupi rapacis rabiem occultans, vultum, & oculorum incitatione mari conformis naufragoſo, coma ſuccinctus, intonſus barba, corpore procerus, pernix*

nix inceſſu, nudis humo, bruma debacchante, ſerpens veſtigiis, expeditus affatu, terribilis ſono, juvenis ætate. Nullus ei nitor in veſtitu, victus a publico in promptu diſſimilis, hoſpitium in ædibus burgenſium, manſio in porticu, cœna, cubile in Cœnaculo---- Matronæ etiam atque impuberes pueri (nam utriuſque ſexus utebatur lenocinio) pro varia vice huic accedentes, exceſſus ſuos profitentur, ſed augmentant, plantas ejus, clunes, unguina tenera manu demulcendo. Iſti plane tanti viri laſcivia exhilarati, & adulterii enormitate, publice teſtabantur, numquam ſe virum attrectaſſe tantæ rigiditatis, humanitatis & fortitudinis, cujus affatu cor etiam lapideum facile ad compunctionem poſſet provocari. Hujus itaque religionem & cælibem vitam Monachi & Anachoretæ, & univerſi Regulares deberent imitari. Aſſerebant quoque, ſibi a Domino Deo antiquam & authenticam Prophetarum collatam fuiſſe benedictionem, & ſpiritum quo mortalium exceſſus cæteris incognitos, viſa tantum eorum facie, cognoſceret ac proderet. Narrat præterea idem Auctor, quo pacto *Henricus* hæreticus (Cenomanenſibus ejus præſentiam expetentibus) in duos ex Diſcipulis ſuis Cenomanum miſerit, quos habitu & exteriori converſatione pœnitentium ſpeciem præferentes, non ſolum plebs quaſi Angelos Domini ſuſcepit, ſed etiam *Hildebertus* tum temporis Civitatis Cenomanenſis Epiſcopus, qui propediem Romam profecturus erat, juſſit Archidiaconis ſuis ut venientem *Henricum* benigne exciperent, eique Conciones ad populum habere permitterent. Abſente itaque *Hidelberto* Cenomanenſi Antiſtite, Romamque iter aggreſſo, venit *Henricus* hæreticus, & in ovile irruit lupus agni habitu larvatus. Seductorem plebs novitatis amans e veſtigio ſecuta eſt, & Hæreſeos veneno afflata cæco ac præcipiti furore in Clerum graſſata eſt. His permotus Clerus Cenomanenſis, ne peſtis illa latius ſerperet, ſilentium Hæreſiarchæ indixit, ipſum, ejuſque diſcipulos ac fautores diris omnibus ſacro ritu devovit, ſi contumaces eſſent. At *Henricus* hæreſiarcha ſententiam excommunicationis in ipſum a Clero Cenomanenſi latam nihil plane moratus, ab incœpto non deſtitit, ſed apud S. *Germanum*, & S. *Vincentium* ſacrilegos conventus agebat, in quibus novi dogmatis virus effundebat, aſſerens videlicet, fœminas, quæ minus caſte vixerant, coram omnibus veſtes ſuas cum crinibus nudas comburere debere, quod cum factitarent quædam fœminæ, quid ſingulæ haberent venuſtatis, quæ cæteris candore excelleret, vel nitore corporis ſplendidior haberetur, perſpiciebat flagirioſus ille hæreticus. Multi etiam juvenes pravis illius hæretici conſiliis deluſi venales ducebant mulieres, quas, poſt breve dilapſum temporis ſpatium, omni egentes auxilio relinquebant, ſicque illi aliis fœminis in adulterio adhærebant, & fœminæ, quas deſeruerant, adhuc maritis ſuis ſuperſtitibus, aliorum connubia illicite expectabant. Rediit interim ex Romano itinere *Hidelbertus*, cujus cognito adventu, *Henricus* ſibi male conſcius in Caſtrum S. *Karileſi*. Gallice *ſainct Calais*, actutum ſeceſſit, ubi nec timore divino, nec pudore hominum ab effræni explenda libidine ullo pacto ſibi temperare potuit. Secreto ſiquidem noctis ſilentio militis cujuſdam ædes ingreſſus, uxorem ipſius in die ſacro Pentecoſtes conſtupravit. Ægre vidit *Hildebertus* Epiſcopus Cenomanenſis plebem ab *Henrico* hæretico fuiſſe depravatam, quippe quæ ejus benedictionem reſpueret, Hæreſiarcham laudibus in Cælum extolleret, & in univerſum Clerum verbis petulantibus & conviciis baccharetur. Quam ob rem, ut dementatam plebem ad ſaniorem mentem reduceret Sanctiſſimus ille Antiſtes, adiit *Henricum* Hæreſiarcham, qui ab ipſo ignorantiæ, impieratis, & hæreſeos convictus ac rubore ſuffuſus, vitam ſuam, genus dogmatizandi, & præſumptionem profeſſus, clam aufugit, *& cæteras regiones, niſi ocyor eſſet fama, ſimili modo perturbaret, & viperino hiatu ſuo inficeret*, inquit Auctor jam citatus *de Geſtis Epiſcoporum Cenomanenſium*.

D. Quinam erant præcipui errores, quos *Petrus de Bruis* diſſeminavit in Provincia, ubi, ſicut jam obſervaſti, *Henricus* ejus diſcipulus eum reliquit?

M. Ad ſex potiſſimum Capita, errores, quos in Provincia ſparſit *Petrus de Bruis*, revocat *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacenſis tum in Epiſtola, quam ad Archiepiſcopos Arelatenſem & Ebredunenſem, & Epiſcopos Dienſem & Vapincenſem ſcripſit, tum etiam in alia Epiſtola, ſeu potius Tractatu iiſdem Præſulibus nuncupato, in quo *Petrus de Bruis* errores confutavit. In primis, negabat *Petrus de Bruis* parvulos eſſe baptizandos, quia, ut inquiebat, aliena fides non poteſt eis prodeſſe, nec propriam fidem habere poſſunt, quæ tamen ad baptiſmatis ſuſceptionem prorſus neceſſaria eſt, Domino dicente: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Secundo, aſſerebat Templorum, vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere, factas inſuper ſubrui oportere, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad orandum, quoniam æque in taberna, & in Eccleſia, in foro, & in templo, ante altare, vel ante ſtabulum, invocatus Deus audit, & eos, qui meretur, exaudit. Tertio docebat, ſacras Cruces confringi, omni dedecore dehoneſtari, & igne ſuccendi debere, quia ſpecies illa, vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam dire tortus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliqua ſupplicatione dignum eſt. Quarto, non ſolum veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & continue per Sacramentum in Eccleſia oblatum negabat, ſed omnino illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere pertendebat. Quinto, ſacrificia, orationes, eleemoſynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus facta deridebat, nec his mortuos juvari poſſe effutiebat. Poſtremo, Traditiones, ſeu Sanctorum Patrum auctoritatem explodebat *Petrus de Bruis*, teſte *Petro Venerabili* Abbate Cluniacenſi, qui tamen fatetur, famam, quæ vulgaverat Petrobuſianos eſſe Manichæos, & novum perinde ac vetus ab ipſis rejici Teſtamentum, incertam eſſe & populari duntaxat rumore jactatam. Hæc *Petrobuſianorum* Hæreſeos,

ſeos capita a *Petro Venerabili* notata refert *Baronius* ad annum Chriſti MCXXVI. & ab eodem anno hujus hæreſis originem arceſſendam eſſe affirmat. Verum, cum Concilium Toloſanum, quod anno MCXIX. Præſide *Calliſto II.* Pontifice Maximo habitum fuit, damnaverit eoſdem errores, quos memorat, & *Petrobuſianis* tribuit Petrus Venerabilis, longe veroſimilius eſt, *Petrum de Bruis* ante annum milleſimum centeſimum decimum nonum ſuos cœpiſſe diſſeminare errores, qui poſtea in Concilio Lateranenſi II. Œcumenico celebrato an. MCXXXIX. fuerunt iterum proſcripti, ſicut data opera in ſequenti Colloquio oſtendemus. Breviter hic dumtaxat obſervabo, *Petri de Bruis* nefandam hæreſim, dum in Provincia ſerpit, gliſcit ac late graſſatur, multas clades ac graviſſima damna Eccleſiæ, Galliarumqoe Regno intuliſſe. Cernebantur quippe id temporis in Provincia Altaria everſa, Cruces igne ſuccenſæ, violaræ ac palam conculcatæ Leges ac cæremoniæ Eccleſiæ, extinctus cœlibatus, Chriſtiani rebaptizati, Sacerdotes contempti, exagitati, trucidari, ac denique auguſtiſſima templa prophanata, diruta & ſolo penitus æquata. Tam malignis improbiſſimorum hæreticorum conatibus acriter reſtiterunt, ſeque horum furoribus ac ſtragibus oppoſuerunt ſanctiſſimi Proviociæ Epiſcopi, hiſque debet Provincia, quod quæ monſtra vidit in ſacra, religioneſque ſuas furioſe conjurantia, fracta eadem incredibili vigilantiſſimorum Antiſtitum virtute ac debellata viderit. E Provincia itaque fugatus *Petrus de Bruis*, in Occitaniam ſe recepit, locum, ſed non animum mutans. At ibi ſuos diſſeminans errores captus, extremo affectus eſt ſupplicio, ſeu, ut *teſtatur Petrus* Venerabilis, in Villa *Sancti Ægidii* in Diœceſi Nemauſenſi damnatus & combuſtus eſt.

D. Obtigitne *Henrico* hæretico eadem ſors, quam nactus eſt *Petrus de Bruis* ipſius Magiſter?

M. *Henricus* diſcipulus *Petri de Bruis* e civitate Cenomanenſi, ut jam diximus, pulſus, in Occitaniam venit, ubi, ſicut & per totum Comitatum Toloſanum tam late Magiſtri ſui propagavit errores, ut teſte S. *Bernardo* in Epiſtola CCXLI. ad *Ildephonſum*, ſeu *Alphonſum* hujus nominis primum Comitem Sancti Ægidii ac Toloſarum, Baſilicæ eſſent ſine plebibus, plebes ſine Sacerdotibus, Sacerdotes ſine debita reverentia, & ſine Chriſto deinde Chriſtiani. Eccleſiæ reputabantur Synagogæ, Sanctuarium Dei ſanctum eſſe negabatur, Sacramenta non ſacra cenſebantur, dies feſti feſtivis fruſtrabantur ſolemniis. Moriebantur homines in peccatis ſuis, rapiebantur paſſim animæ ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentia reconciliati, nec ſacra Communione muniti. Parvulis Chriſtianorum Chriſti intercludebatur via, dum Baptiſmi negabatur gratia, nec ſaluti propinquare ſinebantur; Salvatore licet pie clamante pro eis: *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me*. Rogat deinde S. *Bernardus* in eadem Epiſtola hunc Comitem *Ildephonſum*, ut hunc peſtiferum hæreticum abjecta omni cunctatione e tota ſua ditione expellat, & ne ab illo callido hypocrita aliquam pietatis præferente ſpeciem decipiatur, ſic ejus mores deſcribit: *Nec mirum tamen ſi ſerpens ille callidus decepit te, quippe ſpeciem pietatis habens, cujus virtutem penitus abnegavit. Sed nunc audi quis ille ſit. Homo apoſtata eſt, qui relicto Religionis habitu* (*nam Monachus extitit*) *ad ſpurcitias carnis & ſæculi, tanquam canis ad ſuum vomitum eſt reverſus. Præ confuſione habitare inter cognatos & notos non ſuſtinens, vel potius non permiſſus ob magnitudinem criminis, ſuccinxit lumbos ſuos, & iter, qua neſciebat, arripuit, factus gyrovagus, & profugus ſuper terram .... Inquire, ſi places, vir Nobilis, quomodo de Lauſana civitate exierit, quomodo de Cenomanis, quomodo de Pictavis, quomodo de Burdegalis, nec patet ei uſpiam aditus utpote qui fœda poſt ſe ubique reliquit veſtigia.* Innumeros hæreticos *Henricianos* concionibus, collationibus & miraculis ad Catholicam fidem adduxit *S. Bernardus*, quem Cardinalis *Albericus* Epiſcopus Oſtienſis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus in Gallias ad exterminandam hæreſim Henricianam miſſus ſibi comitem adſcivit anno MCXLVII. Teſtatur *Goffridus* Monachus lib. 3. de vita S. *Bernardi* cap. 5. *Henricum* hæreticum fugiſſe ac delituiſſe, ſed tandem captum & catenis vinctum, Legato Apoſtolico traditum fuiſſe, & carcere perpetuo damnatum, ne pluribus aliis ſuæ hæreſeos virus afflaret. Hæc fuit miſera ſors, quam juſto Dei judicio experti ſunt duo illi obſtinati hæreſiarchæ *Petrus de Bruis*, & ejus diſcipulus *Henricus*, quos tamen tanquam Patriarchas ſuos Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, aliique hujus furfuris hæretici noſtri temporis agnoſcunt ac venerantur.

D. Habueruntne multos ſectatores duo iſti Hæreſiarchæ *Petrus de Bruis*, & *Henricus* ejus diſcipulus?

M. Præter illos, qui tam in Provincia, quam in Occitania duobus iſtis Hæreſiarchis adhæſerunt, veroſimile etiam eſt, Hæreticos Petragoricenſes, quorum errores refert *Heribertus* Monachus in Epiſtola, quam ad omnes Chriſtianos direxit, fuiſſe *Petri de Bruis*, & *Henrici* Diſcipulos. Hanc *Heriberti* Monachi Epiſtolam inſeruit *Mabillonius* Tom. III. Veterum Analectorum pag. 467. eamque ipſe integram hic exhibebo, ut errorum, quos ſpargebant hæretici Petragoricenſes, notitiam habere poſſis.

Omnibus Chriſtianis notum eſſe cupio ego Heribertus Monachus, ut ſe caute agant a pſeudo Prophetis, qui Chriſtianitatem pervertere nituntur. Surrexerunt enim in Petragoricenſi regione quam plurimi hæretici, qui ſe dicunt Apoſtolicam vitam ducere, carnes non comedunt, vinum non bibunt, niſi permodicum tertia die, centies in die genua flectunt, pecunias non recipiunt, illorum autem ſecta valde perverſa eſt & occulta. Gloria Patri *non dicunt, ſed pro gloria Patri*: Quoniam Regnum tuum, & tu dominaris univerſis creaturis in ſæcula ſæculorum Amen: *Eleemoſynam nihil eſſe, quia unde fieri poſſit, nihil deberet poſſideri. Miſſam pro nihilo ducunt, nec communionem percipi debere dicunt, ſed fragmentum panis. Miſſam ſi quis cantaverit ſeductionis cauſa, nec Canonem dicit, nec Communionem percipit, ſed hoſtiam juxta*

aut

Digitized by Google

aut retro altare, aut in Miſſalem projicit. Crucem ſeu vultum Domini non adorant, ſed adorantes prohibent, ita ut ante vultum Domini dicant: Simulacra gentium &c. *in hac ſeductione quam plures jam, non ſolum Nobiles propria relinquentes, ſed & Clerici, Presbyteri, Monachi & Monachæ pervenerunt. Nullus enim tam ruſticus eſt, qui ſi ſe eis conjunxerit, quin infra octo dies tam ſapiens ſit litteris, ut nec verbis, nec exemplis amplius ſuperari poſſit. Nullo modo detineri poſſunt, quia, ſi capiuntur, nulla vinctione poſſunt ſervari, Diabolo eos liberante, & ita inverſi, ut ſperent & velint invenire eos, qui ſe cruciant & morti tradunt. Faciunt quoque multa ſigna. Nam ſicubi ferreis catenis vel compedibus vincti miſſi fuerunt in tonnam vinariam, ita ut fundus ſurſum vertatur, & cuſtodes fortiſſimi adhibeantur, in craſtino non inveniuntur, quoadusque iterum ſe voluntarie repræſentaverint. Vas vini vacuum ex ſuo vino parumper immiſſo, in craſtino plenum invenitur. Alia quoque permulta & mira faciunt. Princeps eorum Pontius vocatur.* Cujus loci Monachus fuerit iſte *Heribertus*, vel quo anno hanc Epiſtolam dederit? In obſcuro eſt. Obſervat dumtaxat *Mabillonius*, hunc *Pontium*, cujus, tanquam Petragoricenſium hæreticorum Principis, meminit in ſua Epiſtola *Heribertus*, fuiſſe hæreſiarchæ *Petri de Bruis* diſcipulum.

D. Cum *Petrus de Bruis*, & *Henricus* ejus diſcipulus ſuos in Galliis duodecimo Eccleſiæ ſæculo diſſeminarint errores, his continenti ordine alios, ſi qui fuerunt, debes adjungere Novatores, qui eodem ſæculo Gallias ſuis erroribus infeſtarunt.

M. Gallia duodecimo Eccleſiæ ſæculo ortum dedit duobus viris doctiſſimis quidem, ſed Novatoribus, *Petro* videlicet *Abaelardo*, & *Gilberto Porretano* Epiſcopo Pictavienſi, qui tamen ſuos errores poſtea ejurarunt, fuitque ab Hæreticis Waldenſibus, & Albigenſibus diu multumque exagitata. Incipiam a Petro *Abaelardo*, cujus ingenium, mores, doctrinam, errores, variamque fortunam paucis hic deſcribam, de ejus Operibus commodius deinde in quinto Colloquio dicturus, ubi de viris illuſtribus, qui duodecimum ſæculum eruditione nobilitarunt, ſermonem inſtituam. *Petrus Abaelardus* natione Gallus, patria Nannetenſis, in gremio Minervæ a puero educatus, optimas quaſque didicit Diſciplinas, ſed præſertim Dialecticam, cujus addiſcendæ percupidus, diverſas diſputando, Peripateticorum more, peragravit Provincias, iiſque perluſtratis, Pariſios tandem venit, ad *Guillelmum Campellenſem* Eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconum, & Peripateticæ Philoſophiæ profeſſorem celeberrimum, cui primo gratus fuit, ſed poſtmodum ejus invidiam ſubiit, quod eum in ſcholis acrius ſuis conſtringeret argumentis, nonnullas illius ſententias refelleret, & de ſuo ingenio nimis præſumens, Meloduni paucis leucis Pariſiis diſſiti, ac deinde Corbolii ſcholas aperuiſſet, ubi Dialecticæ artis Magiſterio adeo inclaruit & celebris evaſit, ut Pariſios accitus, ſacram ſcripturam publice legerit, ejuſque opera uſus ſit *Petrus Lombardus* poſtea Epiſcopus Pariſienſis in compoſitione Sententiarum, ſicut prodit *Joannes* Cernubienſis ipſius *Petri Lombardi* diſcipulus. *Abaelardum* magno omnium applauſu, & diſcipulorum concurſu Pariſiis docentem *Fulbertus* rogavit, ut *Heloiſſam* nobilem virginem neptem ſuam, forma præſtantem, doctrina præſtantiorem, & tota Gallia ob ſingularem, quam ſibi comparaverat, eruditionem, ob eximias animi dotes, & peritiam Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ Linguæ poſtea celebrem, tam Linguis, quam Philoſophicis, aliiſque liberalibus diſciplinis imbueret. Promptiſſimum ſeſe ad id muneris obeundum exhibuit *Petrus Abaelardus*, cui juventus, formæ gratia, cantus & carminum Ars ſuaviſſima, quam apprime callebat, fœminarum amorem facile conciliabat. Idque re ita contigit. *Abaelardus* quippe juvenem *Heloiſſam* ſuæ curæ concreditam ſuis amoribus illaqueavit, viciſſim ipſe *Heloiſſæ* amoribus captus eſt, ut videre eſt in Epiſtola, quam *Abaelardus* ad *Amicum* ſcripſit, in qua calamitatum ſuarum Hiſtoriam, & amores ſuos cum *Heloiſſa* deſcribit. Furtivi quidem & ſolis amantibus noti fuerunt aliquamdiu prophani iſti amores, ſed in apertam lucem eruperunt, cum *Heloiſſa* concepit & peperit filium nomine *Aſtrolabium*. Tunc ira excandeſcens *Fulbertus* avunculus *Heloiſſæ*, ad nuptias cum *Heloiſſa* ineundas ad ſcelus illud utcumque obtegendum coegit *Abaelardum*, qui *Heloiſſam* in uxorem quidem duxit, ſed ut ſcholis vacaret, eam cum Argentolienſibus Monialibus recluſit, monitam tamen ne velum indueret. Id *Fulbertus*, & *Heloiſſæ* conſanguinei ægre admodum tulerunt, & rati *Abaelardum* ſibi illuſiſſe, eumque abhorrere a Matrimonio *Heloiſſæ* quam in Monaſterium ablegaverat, fictitiam hanc injuriam ulciſci volentes, *Abaelardum* nihil minus cogitantem, inflicto pudendo vulnere, qua parte peccaverat, crudeliter mutilarunt, & eunuchum effecerunt. Quo factum eſt, ut *Abaelardus* ob inflicti illius vulneris infamiam pudore ſuffuſus, mundo nuncium remiſerit, & vitam Monaſticam in Cœnobio *S. Dionyſii* prope Pariſios amplexus fuerit, *Heloiſſa* vero ab Epiſcopo velum acceperit in Monaſterio Argenteolenſi Lutetiæ vicino, in quo poſtmodum Prioriſſa & Abbatiſſa fuit. Sed inde pulſis Monialibus a Monachis S. Dionyſii illum ſibi locum vendicantibus, *Heloiſſa* ſeſe recepit ad Monaſterium *Paracleti* in Diœceſi Trecenſi ſitum, & ab ipſo *Abaelardo* conſtructum, quod ut prima Abbatiſſa rexit. Extant etiamnum *Abaelardi* ad *Heloiſſam*, & *Heloiſſæ* ad *Abaelardum* Epiſtolæ, de quibus pauca dicemus in quinto Colloquio. Factus Monachus *Abaelardus*, iterum ſcholas aperire coactus eſt, ob infinitum pene numerum diſcipulorum, qui ad ipſum certatim accedentes obtinuerunt ab *Adamo* Abbate Monaſterii *S. Dionyſii*, ut eos publicis ſuis lectionibus edoceret. Sed, dum *Abaelardus* nimis inter docendum ingenio ſuo indulget, alioſque elato ſupercilio deſpicit, magnorum & parvorum odia in ſe concitavit, & ſicut manus ejus contra omnes, ita manus omnium contra eum atmantur. Graviſſimas etiam a ſuis fratribus & æmulis *Alberico*, & *Latulfo* perſecutiones paſſus eſt. Iſti ſiquidem, quos haud parum urebat fama, quam liber de

Tri-

Digitized by Google

Trinitate *Abaelardo* pepererat, eum ubique velut hæreticum, & trium Deorum aſſertorem infamarunt. Augebat fratrum, ſeu Monachorum Cœnobii S. *Dionyſii*, in *Abaleardum* conceptum odium ea libertas, qua ſæcularem illorum vitam, moreſque irreligioſos interdum arguebat, & in privatis colloquiis aſſerebat, *Dionyſium Areopagitam* Corinthiorum potius quam Athenienſium fuiſſe Epiſcopum. Inde enim ſequi videbatur, *Dionyſium*, Galliarum Apoſtolum, non eſſe *Areopagitam*, cum ejus Acta eum Athenienſium Antiſtitem faciant. Id certe concoquere haud poterant Monachi Dionyſiani, cum inde Monaſterium ſuum graviter læſum autumarent: Quapropter ad reparationem injuriæ Monaſterio S. *Dionyſii* illatæ, juſſerunt ei Monachi ut palinodiam cantaret, & S. *Dionyſii* Areopagitæ Hiſtoriam ab *Hilduino* hujuſce cœnobii quondam Abbate editam calculo ſuo comprobaret. Quod, volens nolens, præſtitit *Abaelardus*, ut videre eſt in epiſtola, quam direxit ad *Adamum*, Monaſterii Sancti Dionyſii Abbatem, in qua retractat ſuam de *Dionyſio Areopagita* ſententiam. Conſulto hic prætermitto alias perſecutiones, quibus exagitatus eſt *Abaelardus* factus Abbas Sancti *Gildaſii* Rujenſis in Diœceſi Venetenſi in Britannia minore. Quanta enim mala ibi perpeſſus fuerit *Abaelardus* tum ob indiſciplinatam illorum Monachorum vitam, tum ob vexationem ſibi factam a Principe, ſeu potius illius regionis tyranno, qui ex diſſolutione Monachorum occaſionem nactus, Abbatiam in uſus proprios redegerat, teſtatur ipſemet *Abaelardus* in priori ad Amicum epiſtola, ubi poſt multa, hæc ſcribit: *Quotidie quaſi cervici meæ gladium imminentem ſuſpicio, ut inter epulas vix reſpirem.* Multorum errorum *Abaelardum* inſimularunt Sanctus *Bernardus* in epiſtola cxc. ad *Innocentium* II. *Guillelmus* Abbas S. *Theodorici* in Diſputatione adverſus ipſum *Abaelardum*, Anonymus in Diſputatione adverſus eumdem *Abaelardum* tribus libris comprehenſa quæ extat tomo 3. Bibliothecæ Ciſtercienſis, *Otto Frinſingenſis* lib. 1. *De Geſtis Friderici Imperatoris* cap. 47. Hi porro *Abaelardi* errores ad novemdecim potiſſimum Capita vulgo revocari ſolent. Primo, ponebat *Abaelardus* in Trinitate gradus, in majeſtate modos, numeros in æternitate. Conſtituebat Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum Sanctum nullam potentiam. Secundo, aſſerebat, Spiritum Sanctum procedere quidem ex Patre & Filio, ſed minime de Patris eſſe Filiive ſubſtantia. Tertio, negabat, diabolum unquam jus aliquod in homines habuiſſe, & Filium Dei carnem aſſumpſiſſe ut hominem liberaret. Quarto, affirmabat, Spiritum Sanctum eſſe animam mundi. Quinto, dicebat, Chriſtum Deum & hominem non eſſe ſecundam in Trinitate perſonam, ſed Deum proprie hominem dicendum non eſſe. Sexto, cenſebat, homines per liberum arbitrium, ſine adjuvante Dei gratia, bene poſſe & velle & agere. Septimo, docebat, in Sacramento Altaris remanere in aere formam prioris ſubſtantiæ. Octavo, pertendebat, ab Adamo non trahi originalis peccati culpam, ſed pœnam. Nono, omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia exiſtimabat Decimo, adſtruebat, nullum concupiſcentia, delectatione, & ignorantia committi peccatum. Undecimo, volebat, ſuggeſtiones diabolicas per phyſicam actionem fieri in nobis. Duodecimo fidem definiebat *æſtimationem rerum, quæ non videntur*. Quem errorem refellens S. *Bernardus* eleganter ait: *Abſit ut putemus in fide vel ſpe noſtra aliquid, ut is putat, dubia æſtimatione pendulum, & non magis totum quod in ea eſt, certa ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis, & miraculis divinitus perſuaſum, ſtabilitum & conſecratum partu Virginis, Sanguine Redemptoris, gloria Reſurgentis &c.* Decimotertio, *Abaelardus* limites præſcribebat Omnipotentiæ Divinæ, aſſerendo Deum plura facere haud poſſe, quam fecerit, aut aliquando facturus ſit. Decimoquarto, animæ Chriſti deſcenſum ad inferos inficiabatur. Decimoquinto adventum in fine ſæculi ad judicandos homines poſſe etiam attribui Patri dictitabat. Decimoſexto, poteſtatem ligandi atque ſolvendi Apoſtolis a Chriſto conceſſam diffitebatur. Decimoſeptimo, docebat, Deum mala nuſquam impedire, voluntates hominum impediendo. Decimo octavo Crucifixores Chriſti a peccato excuſabat. Denique aſſeverabat, ſpiritum timoris Domini in Chriſto non fuiſſe, & timorem Domini caſtum in futuro ſæculo non permanſurum. Hos errores a Petro Abaelardo fuiſſe propugnatos S. *Bernardus* aliique Scriptores teſtantur. Sed *Abaelardus* in Apologia, ſeu Confeſſione fidei ſcribit, hujuſmodi errores ſibi malitia vel ignorantia eſſe affictos. *Berengarius* etiam Pictavienſis Epiſcopus Apologiam adornavit, in qua *Petrum Abaelardum* Magiſtrum ſuum ab omnibus illis erroribus vindicat. Sed hac in re nec *Abaelardo*, nec *Berengario* pro Magiſtro ſuo peroranti credere par eſt; tum quia incredibile eſt, S. *Bernardum*, alioſque probatiſſimæ fidei teſtes, voluiſſe illos errores affingere Petro Abaelardo; tum quia etiam iidem Abaelardi errores proſcripti fuerunt ab *Innocentio* II. Pontifice Maximo, & a Synodis Sueſſionenſi anno MCXX. & Senonenſi anno MCXL. celebratis: tum quia denique Apologia, quam in gratiam *Petri Abaelardi* edidit *Berengarius*, plena eſt acrimoniæ adverſus S. Bernardum; cumque a multis fuiſſet reprehenſus, quod tam gravem, ſanctumque virum laſcivientis ſtyli acumine pupugiſſet, excuſavit ſe, idque joco potius, quam ſerio factum reſpondit. Cæterum quamvis negari haud poſſit, *Petrum Abaelardum* mox memoratos docuiſſe errores, inde tamen hæreticus dici non debet, quia *Abaelardus* ſtatim ac vidit, ſe ab omnibus tanquam hæreticum deſeri, Cluniacum ſe contulit, ubi *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacenſis eum peramanter ſuſcepit, & epiſtolam, quam recitat *Baronius*, ſcripſit ad *Innocentium* II. Summum Pontificem, in qua declarat, ſe Cluniaci retinuiſſe *Abaelardum*, ignarum, quo ſeſe verteret, & de pace inter *Bernardum* & eumdem *Abaelardum* conciliandа egiſſe, atque eo rem adduxiſſe, ut ambo tandem convenerint, diſſidiaque ſua pacifice compoſuerint. Teſtatur etiam *Petrus Venerabilis* in eadem epiſtola, *Abaelardum* ſuos emendaſſe errores, idemque etiam diſerte aſſerit

Otto

Otto Friſingenſis lib. 1. *de geſtis Friderici* cap. 49. Quin & ipſemet *Abaelardus* in ſuo Apologetico, ſeu Confeſſione fidei, ſe tandem ab erroribus reſipuiſſe indicat his verbis: *Quod ſi uſpiam per multiloquium exceſſi, ut ſcriptum eſt, in multiloquio non effugies peccatum, nunquam importuna defenſio me effecit hæreticum, paratus ſemper ſatisfactionem de malis meis corrigendis, ſive delendis, in quo certe propoſito uſque in finem perſeverabo &c.* Deinde, ſingillatim Catholica Dogmata erroribus a ſe aſſertis, vel ſibi objectis contraria ultro amplectitur, & conſtanter profitetur. Quocirca, *Abaelardus* poſt fidei ſuæ expoſitionem, & errorum emendationem hæreticus dici non debet, ut oſtendit *Natalis Alexander* part. 3. ſæc. XI. & XII. Diſſert. 7. art. 11. Legendus etiam eſt ſuper hac re *Bulæus* tomo II. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, ad annum MCXL. Poſt ſinceram errorum ſuorum emendationem lento morbo correptus *Abaelardus*, miſſus eſt ad recuperandam ſalutem a *Petro Venerabili* Abbate ſuo Cabillonem, ubi ex hac vita pie anno Domini MCXLII. exceſſit, ſicut teſtatur *Petrus Venerabilis* in epiſtola, quam ſcripſit ad *Heloyſſam* ejus quondam uxorem, tunc vero Abbatiſſam Monaſterii Paracletenſis, ut eam de pio *Abaelardi* obitu ſolaretur, juſſitque, ut ejus corpus ad illud Cœnobium transferretur, ut optaverat *Abaelardus*, miſſo Epitaphio a ſe in honorem ipſius compoſito, in quo dicitur *Abaelardum* XI. Kalend. Maii animam Deo rediddiſſe.

D. Gaudeo ſane vehementer, quod *Petrus Abaelardus*, cujus Hiſtoriam breviter deſcripſiſti, ad ſaniorem mentem redierit, ſuiſque ſincero animo repudiatis erroribus, pie in gremio Eccleſiæ Catholicæ obierit. Tranſeamus modo ad cauſam *Gilberti Porretani* Epiſcopi Pictavienſis, quem ſæculo Eccleſiæ duodecimo in aliquot errores impegiſſe ſuperius obſervaſti.

M. In omni Artium ac Diſciplinarum genere, præſertim vero in Philoſophia & Theologia excelluit *Gilbertus Porretanus* ad Pictavienſem Epiſcopatum anno MCXLI. promotus. Is patria Pictavienſis non ſolum Pariſiis, ſed & in aliis Galliæ locis Philoſophiam maxima cum nominis celebritate docuit, & quidem Carnuti, ubi Canonicus & Cancellarius illius Eccleſiæ fuiſſe perhibetur, deinde Canonicus S. *Hilarii majoris*, poſtremo ex Canonico, & Theologiæ profeſſore clariſſimo Epiſcopus inauguratus. *Ab adoleſcentia ſua*, inquit *Otto Friſingenſis* lib. 1. *de geſtis Friderici* cap. 50. *Magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubjiciens, magiſque illorum ponderi, quam ſuo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictavienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad ultimum Anſelmus, & Radulfus Laudunenſes germani fratres, non levem ab eis ſed gravem doctrinam hauſerat, manus non ſubito ferulæ ſubducta ſcientiæ haud cenſura morum, vitæque gravitate diſcordante, non jocis, non ludicris, ſed ſeriis rebus mentem applicabat. Hinc erat, ut tam geſtu, quam voce pondus ſervans ſicut in factis, ſic in dictis ſe oſtenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis*, Verum, *Gilbertus Porretanus* in Theologia Scholaſtica, cujus ſtudium duodecimo Eccleſiæ ſæculo vigere cœpit; maxime exercitatur, ingenii ſui ſubtilitate & rationum acumine Myſteria Fidei perſcrutari volens, in aliquot prorupit errores, quos *Otto Friſingenſis* loco mox a me laudato revocat ad iſta ſex Capita. Primo *quod aſſereret, Divinam eſſentiam non eſſe Deum*. Secundo, *quod proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ*. Tertio quod Divinæ *Perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione*. Quarto, *quod divina natura non ſit incarnata*. Quinto *quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum*. Sexto, quod Eccleſiæ *Sacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari niſi ſalvandum*. Ejuſmodi errores *Gilbertus Porretanus* inſeruit in ſuis Commentariis in Pſalmos, in epiſtolas Pauli, & in librum *Boetii de Trinitate*, eoſdemque errores retinuit factus Epiſcopus Pictavienſis, quos cum potuiſſet in ſermone quodam habito coram Clericis ſuis, apud *Eugenium* III. Pontificem Maximum, qui tum ſenis degebat, a duobus ex ſuis Archidiaconis, *Arnaldo*, & *Calone* tanquam de fide Trinitatis male ſentiens accuſatus eſt. Verum Pontifex conſultius eſſe judicavit, hujus cauſæ diſcuſſionem in Gallias, quo tunc temporis accedebat, remittere. Dilato itaque iſtius cauſę examine, iidem Archidiaconi, qui *Gilbertum Porretanum* apud ſummum Pontificem accuſaverant, S. *Bernardum* Abbatem Clarębvallenſem convenerunt, eumque in ſuas partes pertraxerunt. Teſtatur *Otto Friſingenſis*, Summum Pontificem *Eugenium* III. Cauſæ *Gilberti Porretani* examen cœpiſſe in Concilio Antiſiodorenſi. Sed nullus Scriptor præter *Ottonem* meminit hujuſce Concilii Antiſiodorenſis ab *Eugenio* III. in cauſa *Gilberti Porretani* in Galliis celebrati. In hoc omnes conſentiunt Hiſtorici, quod Summus Pontifex *Eugenius* III. anno MCXLVII. Synodum Pariſienſem convocaverit, in qua tamen, cum propter partium ſtudia, & æmulorum contentiones cauſæ *Gilberti Porretani* finem imponere haud potuiſſet, illius judicium in aliud tempus diſtulit, ſeu ad Concilium Remenſe quod anno ſequenti, ſeu MCXLVIII. celebratum eſt, & in quo poſt maturum ac deliberatum examen, promovente maxime Sancto *Bernardo*, damnatus eſt *Gilbertus Porretanus*. De utraque Synodo Pariſienſi nimirum & Remenſi ad dirimendam *Gilberti Porretani* cauſam convocata inſequenti Colloquio diſſeram, quapropter duo hic dumtaxat obiter obſervaſſe ſufficiat. Primum eſt, *Gilbertum Porretanum* ſumma animi demiſſione excepta Summi Pontificis ſententia, errores ſuos ejuraſſe, Archidiaconos, qui eum accuſaverant, in gratiam recepiſſe, & *cum honoris plenitudine* ad ſuam Diœceſim reverſum fuiſſe, ſicut refert *Otto Friſingenſis*. Præterea obſervare debes, in eadem Synodo Remenſi damnatum itidem fuiſſe quemdam Hæreticum dictum *Eonem* ſeu *Eudonem* ruſticanum, illiteratum & idiotam hominem, qui non tam hæretici, quam ſatui nomine dignus videtur, & de cujus incantationibus & phantaſiis melius

Digitized by Google

eſt ſilere, quam loqui, ut inquit *Matthæus Pariſius*.

D. Cujus erat iſte *Eon*, & qua in re potiſſimum deſipuit?

M. Ex Armorica, ſeu ex Britannia minori in Galliis oriundus erat *Eon* dictus de *Stella*, Gallice *Eon de Etoile*, vir nobilis genere, ſed ita ludificatione Dæmonum dementatus, ut cum ſermone Gallico *Eon* diceretur, ad ſuam perſonam pertinere crederet quod in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur: *per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem*. Ita plane fatuus, ut inter *Eon & Eum* neſciret diſtinguere. Hinc inſulſe aſſerebat, ſe filium Dei eſſe unigenitum, venturumque ad judicandum vivos & mortuos. Diu, multumque debacchatus iſte *Eon*, tandem a Remenſi Archiepiſcopo captus eſt, & interrogatus ab *Eugenio* III. Summo Pontifice, qui Concilio Remenſi a ſe convocato præerat, *quiſnam eſſet?* reſpondit: *Ego ſum ille, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem*. Habebat autem ille hæreticus in manu ſua baculum inuſitatæ formæ in ſuperiori ſcilicet parte bifurcum. Interrogatus quid ſibi vellet baculus ille? *Res*, inquit, *grandis myſterii eſt. Quamdiu enim, ſicut videtis, duobus Cælum Capitibus ſuſpicit, duas Orbis partes Deus poſſidet, tertiam mihi partem cedens. Porro, ſi eadem duo ſuperiora Capita baculi ſubmittam uſque ad terram, & inferiorem ejus partem, quæ ſimplex eſt, erigam, ut Cælum ſuſpiciat, duabus mihi partibus retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam*. Ad hæc riſit univerſa Synodus hominem tam profunde datum in reprobum ſenſum. Juſſus ex Decreto Concilii, ne peſtis iterum ſerperet, diligenter cuſtoditi, tempore exiguo ſupervixit. Diſcipuli vero ejus, quos magnis inſignierat nominibus, alium ſcilicet vocans *Sapientiam*, alium *Scientiam*, alium *Judicium*, & in hunc modum cæteros, cum ſanam doctrinam nulla ratione reciperent, ardere potius, quam ad vitam corrigi maluerunt. Hæc & alia id genus de *Eone*, ſeu *Eudone* fuſe narrat *Guillelmus Neubergenſis* lib. 1. Hiſt. Angl. capit. 19. ubi etiam teſtatur, *ſe audiviſſe a quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum Eonis diſcipulum, qui Judicium dicebatur, cum ad ſupplicium duceretur, crebrius dicentem*: Terra, findere: *tanquam ad oris ejus Imperium terra aperienda eſſet, & devoratura, ſicut Dathan, & Abiron, ejus hoſtes. Tanta vis ſemel infixi cordibus erroris fuit*.

D. Quandonam erupit in Galliis Waldenſium Hæreſis, ecquis ejus Auctor fuit?

M. Waldenſium Hæreſis anno circiter milleſimo centeſimo quinquageſimo nono in Galliis orta eſt hoc modo. In Oppidu Waldenſi Marchiæ Lugdunenſis quidam civis dives, nomine *Petrus*, cognomine *Waldus*, ſeu *Walenſis* ſic ab iſto Oppido dictus, cum vel audiiſſet, vel legiſſet in Evangelio Sancti *Matthæi* Cap. 19. ex præcepto Domini vendenda eſſe omnia bona & eroganda pauperibus, ſibi perſuaſit, hanc Vitam Apoſtolicam omnino deſiiſſe in Eccleſia a temporibus *Silveſtri* Papæ, cum ſcilicet proprias habere cœpit poſſeſſiones. Hanc itaque Vitam Apoſtolicam quaſi poſtliminio revocare ſuum in animum induxit, & confeſtim propriis bonis venditis, atque ad ſuſtentationem pauperum diſtributis vitam ipſe pauperrimam ducere aggreſſus eſt. Complures ad ſui imitationem pertraxit *Petrus Waldenſis*, quos inter præcipuus fuit *Joannes de Lugduno* civis Lugdunenſis, qui cujuſdam doctiſſimi concivis ſui ſubitaneæ mortis imagine perterritus, venditis omnibus, quæ poſſidebat, bonis, ſeſe *Petro Waldenſi* adjunxit, ac bene multi ejus exemplo provocati in eamdem voluntariorum Pauperum ſectam admitti atque cooptari voluerunt. Creſcente igitur in dies nova ſecta, varias Provincias & Regna peragrarunt iſti, ſi ſuperis placet, Apoſtolicæ vitæ reſtauratores, & pauperi vitæ prædicationem Verbi divini addiderunt, quamquam eſſent magna ex parte prorſus illiterati, dictitantes ſe ab officio prædicandi arceri haud debere, cum certiſſime conſtet, etiam Apoſtolos rudes licet, & literarum omnino expertes, Verbum Dei per univerſum Orbem prædicaſſe. Non auſi ſunt tamen iſti Sectarii id muneris obire, antequam a Romano Pontifice prędicandi licentiam petiiſſent. Eam ob rem Romam profecti, mentem, conſiliumque ſuum Pontifici aperuerunt, ſed repulſam paſſi ſunt, quia nec tutum, nec legibus Eccleſiæ conſonum viſum eſt, ut verbum divinum fidelibus prædicandi provincia illiteratis & laicis viris committeretur. Roma reverſi, nihiloque prudentiores, aut humiliores facti excuſſo omni religionis jugo, & contempta Summi Pontificis, Clericique authoritate, prædicationis officium impune invadunt, ſibique invitis ac reclamantibus licet Epiſcopis arrogant: Clericos, moreſque Sacerdotum innumeris onerant opprobriis, in luxum vero eorum, in divitias & nimias eorum poſſeſſiones acrius invehuntur, Populum a perſolvendis decimis eximunt, atque ita ſibi apud plebeculam conciliata probitatis fama, confeſſiones excipiunt, pœnitentias injungunt, a peccatis abſolvunt, tantoque licentius, quod Laici eos exteriori pietatis ſpecimine præfulgere videntes, ſe melius & efficacius per eos abſolvi, quam per proprios Sacerdotes autumarent. Quo factum eſt, ut hæc ſecta brevi tempore adeo invaluerit, ut in una ſola Diœceſi Pictavienſi quadraginta & unam ſcholas habuerit, variaſque in ſectas fuerit propagata, quas accuratiſſime recenſet noſter *Reinerus*, qui inter Waldenſes per ſeptemdecim annos commoratus eſt, ſed Dei tandem adſpirante miſericordia, agnita eorum impietate, & fatuitate, hæreſim publice ejuravit, & ad fidem Catholicam converſus Ordini Prædicatorum nomen dedit. Floruit autem *Reinerus* circa annum MCCLIV. fuitque noſtro *Antonio Senenſi*, vir philoſophiæ, Theologiæ, & Juris Canonici peritiſſimus, qui Opuſculum edidit *de hæreticis*, quod pene totum eſt de Waldenſium Secta, ſeu de eorum erroribus, Diſciplina & moribus, necnon de variis ſurculis, qui ex hac Secta diverſis in locis pro-

ma-

manarunt, & extat Tomo 25. Biblioth. Patrum. Ob varias Sectas, in quas diviſa fuit hæc Waldenſium Hæreſis, variis nominibus progreſſu temporis ejus Sectarii donati ſunt, dictique *Waldenſes*, *Pauperes de Lugduno*, *Cathari*, *Cataphrygi*, *Publicani*, *Popelicani*, *Paterini*, *Piphres*, *Tiſſerani*, *Bulgares*, *Picardi*, *Lombardi*, *Bohemi*, *Turlupini*, *Ribaldi*, *Inſabbathati*, *& boni homines*, ob apparentem ac ementitam morum integritatem.

D. Quinam fuerunt præcipui Waldenſium Hæreticorum errores?

M. Waldenſium Hæreticorum errores omnium accuratiſſime in libro mox laudato exhibet noſter *Reinerus*, qui in luto illius Hæreſeos ſeptemdecim annos hæſerat. Longior profecto eſſem, ſi ſingulos errores, quos hæretici Waldenſes contra Eccleſiam, ipſius Statuta & Clerum, contra Sacramenta, & Sanctos, contra cætera Dogmata, & Conſuetudines Eccleſiæ temere ſparſerunt hic notare vellem. Præcipuos itaque Waldenſium errores breviter hic indicabo, ex quibus innumeros alios deducebant. In primis, aſſerebant, veram & Catholicam Eccleſiam apud ſe ſolos conſiſtere, Eccleſiam vero Romanam errorum omnium Magiſtram, vitiorum ſentinam appellabant, ejuſque ſequaces, præcipue Eccleſiaſtici Ordinis, Hæreticos atque Infideles eſſe dicebant. Hinc Statuta Eccleſiæ contemnebant, Eccleſias, Altaria, eorumque conſecrationes, ornatum, & ſacram Supellectilem, Sacerdotalia indumenta, luminaria, thurificationes, Aquam Benedictam, Proceſſiones, Indulgentias, alioſque ſacros ritus & Cæremonias a Miniſtris Eccleſiæ fieri ſolitas rejiciebant ac deridebant. Romanum Pontificem, Epiſcopos, alioſque Eccleſiæ Prælatos infenſo odio proſequebantur, iiſque parendum non eſſe docebant. Clericos Præbendas non habere, nec Epiſcopos, vel Abbates Jura Regalia obtinere poſſe, ſed manibus, Apoſtolorum inſtar, operari debere affirmabant. Officia Eccleſiaſtica inania eſſe docebant, dignitates, Privilegia & immunitates Eccleſiæ, perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum aſpernabantur, Concilia, Synodos, & Conventus Eccleſiæ Catholicæ reprobabant. Decimas non eſſe ſolvendas, nec condenda Teſtamenta, ad fundandas, vel dotandas Eccleſias, & Clauſtra prædicabant. Omnia Jura Parochialia velut humanas adinventiones explodebant. Obſervantias Regulares Ordinum Religioſorum Phariſaicis Traditionibus accenſebant. Excommunicationem, aliaſque Cenſuras a Prælatis Eccleſiæ Catholicæ latas ſugillabant. Exorciſmos, & curam omnem Eccleſiæ circa Energumenos repudiabant. Eccleſiaſtica jejunia, quaſi Idololatriam, & ſuperſtitionem redolentia averſabantur. Hi ſunt in ſumma errores, quos Hæretici Waldenſes contra Eccleſiam, ejus Statuta & Clerum diſſeminarunt. At præter iſtos errores, alios contra Sacramenta Waldenſes protulerunt, qui ad iſta Capita vulgo revocari ſolent. Primo, duo tantum Sacramenta ſe credere profitebantur, Baptiſmum & Euchariſtiam; ſed omnes Exorciſmos, Benedictiones, cæteraſque Baptiſmi Cæremonias rejiciebant, & parvulos abſque Baptiſmo æternam ſalutem conſequi poſſe opinabantur. Realem etiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam inficiabantur, & Miſſam inanem ritum eſſe, Apoſtolis ignotum, & quæſtus dumtaxat gratia adinventum obganniebant. Omnem poteſtatem ſive Eccleſiaſticam, ſive Laicam, ſolo peccato mortali deperdi effutiebant: unde Sacerdotem, per peccatum mortale, Sacerdotem eſſe deſinere, ac ſubinde Euchariſtiam nec amplius conficere, nec abſolvere, nec baptizare, aut alia ſimilia præſtare poſſe, & quemlibet e contra probum ac juſtum, licet laicum, hæc omnia poſſe tenebant; Quin & mulierculis verbum Dei prædicandi, & Scripturas ſacras in linguam vulgarem translatas legendi atque interpretandi facultatem tribuebant, ſed uni dumtaxat Scripturæ Sacræ textui adhærentes, Traditiones, Expoſitiones Sanctorum Patrum, Decreta, & Decretales rejiciebant, habentes pro fabulis quidquid præter Bibliorum Textum a Concionatoribus diceretur. Cantum Eccleſiæ, Horas Canonicas, cæteraſque precum formulas, excepta Oratione Dominica, penitus reſpuebant, ac nullam Confeſſionis Sacramentalis neceſſitatem agnoſcebant. Denique, cætera pene alia fidei Catholicæ dogmata ſuis erroribus infeſtarunt Waldenſes. Sanctorum quippe invocationem & Cultum impugnabant, Reliquias, Translationes, Canonizationes, Vigilias, Feſtivitates Sanctorum ſpernebant. Miraculis ad ipſorum monumenta, & ob eorum merita e Deo patratis nullam adhibebant fidem. Crucem Chriſti, ejuſque ſignum & Sanctorum Imagines execrabantur. Purgatorium negabant, ac proinde Fidelium viventium orationes defunctis prodeſſe non poſſe pertendebant. Nulla peccata venialia eſſe, ſed omnia mortalia exiſtimabant, & juramentum, nuſquam, etiam in judicio, licitum eſſe credebant. Alios ejuſmodi errores, qui apud noſtrum *Reinerum* legi poſſunt, obtrudebant Waldenſes, qui poſtea varias in Sectas diviſi, erroribus, quos mox recenſuimus, Manichæorum, & Arianorum peſtiferos errores addiderunt. Verum hic velim ſedulo obſerves, inter illos Waldenſium errores, quos hactenus recenſui, quoſdam eſſe, qui antiquis Waldenſibus falſo fuerunt affecti. At enim, antiquos Waldenſes non tantum duo novæ legis Sacramenta, Baptiſmum videlicet & Euchariſtiam, ſe credere confeſſos fuiſſe, ſed etiam Septenarium novæ Legis Sacramentorum numerum admiſiſſe, manifeſto evincitur ex fidei Confeſſione, quam ipſimet Waldenſes ad *Uladiſlaum* Ungarorum Regem miſerunt, in qua hunc articulum profeſſi ſunt; *Sacramenta ſeptenario incluſa numero Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus*. Et poſtquam ſuam de Baptiſmate fidem expoſuerunt, hæc habent de Confirmationis Sacramento: *Fide ex divinis Scripturis ſumpta profitemur temporibus Apoſtolorum iſtud obſervatum fuiſſe*. Non ergo negabant antiqui Waldenſes, Confirmationem eſſe verum novæ legis Sacramentum, in hoc tamen errabant, quod

Digitized by Google

quod aliis, præter Epiſcopos, hoc Sacramentum adminiſtrandi poteſtatem adjudicarent. Secundo, Waldenſes non negarunt realem Chriſti Domini in Euchariſtia præſentiam; tum quia noſter *Reinerus*, qui contra illos ſcripſit, hoc unum de iis habet, *Item de Sacramento Euchariſtiæ dicunt, quod Sacerdotes in mortali non poſſint conficere. Item dicunt, quod tranſubſtantiatio non fiat in manu indigne conficientis, ſed in ore digne ſumentis, & quod confici poſſit in menſa communi*. Hanc de præſentia reali Corporis Chriſti in Euchariſtia doctrinam Waldenſes, qui degunt in Sabaudiæ montibus adhuc profitebantur anno Mccccxv. Teſtatur quippe eruditus *Gaſpar Juveninus* In ſuo Commentario Hiſtorico-Dogmatico de Sacramentis, Diſſertatione 4. de Euchariſtia cap. 1. Artic. 1. in Manuſcriptis Codicibus Domini *de Thou*, qui Pariſiis aſſervantur in Bibliotheca Marchionis *de Seignelay*, quemdam hæreticum Waldenſem interrogatum an *a Barbatis* ſeu a Waldenſium Paſtoribus, qui hoc nomine donabantur, *doctus fuiſſes Corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia?* his verbis reſpondiſſe: *Se a Barbatis ductum fuiſſe, quod cum Sacerdos profert verba Conſecrationis, conſecrat Chriſti Corpus, fiatque vera mutatio panis in verum Chriſti Corpus*. Tertio, antiqui Waldenſes non negarunt, Euchariſtiam eſſe verum novæ legis Sacrificium. Nullus ſiquidem ex Hiſtoricis, qui Sæculi XII. & XIII. texuerunt Catalogum errorum, quos Waldenſes profitebantur, hunc eis affingit, quod negarent Euchariſtiam eſſe verum novæ legis Sacrificium. Nec enim *Reinerus* noſter, qui ſcripſit circa annum MCCL. cuique accurate perſpecta fuerunt omnia Waldenſium dogmata, nec *Phlicdorfius*, qui centum poſt annis eorumdem Waldenſium reliquiis bellum indixit, nec noſter *Eymericus* in Directorio Inquiſitorum, nec *Claudius Seyſſellius* Archiepiſcopus Taurinenſis, qui anno MDXVII. in dogmata Vvaldenſium in quibuſdam Taurinenſis Diœceſeos angulis latitantium diligenter inquiſivit, aſſerunt, Vvaldenſes Euchariſticum Sacrificium unquam negaſſe; immo *Reinerus Phlicdorfius* & *Seyſſellius* ſcribunt, Vvaldenſes Euchariſticum Sacrificium admiſiſſe, ſed confectum a piis ſuæ Sectæ hominibus, ſed non ab Eccleſiæ Romanæ Presbyteris, quos, cum Valdenſes illos impios eſſe conclamarent, nullam conſecrandi Euchariſtiam poteſtatem habere affirmabant, ſecuti hac in parte Donatiſtarum errorem. Quarto, antiqui Vvaldenſes Pœnitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis non expunxerunt, ſed ſolum docuerunt, nullum poſſe abſolvi a malo Sacerdote, & bonum Laicum poteſtatem habere abſolvi. Nec negabant antiqui Vvaldenſes Confeſſionis Auricularis uſum, ſicut oſtendit jam laudatus *Gaſpar Juveninus* Congregationis Oratorii Presbyter Diſſertatione 6. De Sacramento Pœnitentiæ, Quæſtione 5. de Confeſſione cap. 1. Nec denique Sacramentum Extremæ Unctionis repudiarunt Vvaldenſes, ſed dumtaxat ritum, quo in Eccleſia Catholica adminiſtratur, ſeu Olei conſecrationem reprobarunt, ut luculenter commonſtrat idem Auctor Diſſertatione ſeptima de Extrema Unctione, Quæſt. 2. cap. 2. At licet hanc doctrinam circa ſeptenarium novæ legis Sacramentorum numerum antiqui Vvaldenſes propugnarint, fatendum tamen eſt, a Majorum ſuorum doctrina anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto receſſiſſe Vvaldenſes, qui in Sabaudiæ, & Delphinatus montes ducentis ante annis ſeſe receperant. Tunc enim, agente *Farello*, apud Genevenſes Pſeudo-Evangelii Miniſtro, graſſantem Calvinianam ſuperſtitionem in omnibus amplexi ſunt. Quapropter, ex fide, quam poſt annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum ſextum profeſſi ſunt ſuperſtites Vvaldenſes, nihil prorſus Lutherani, & Calviniſtæ pro Antiquorum Vvaldenſium doctrina, quæ eorum erroribus in multis Capitibus e diametro oppoſita eſt, concludere poſſunt, nec peſtiferæ ſuæ doctrinæ antiquitatem aliquam a Vvaldenſibus duodecimi ſæculi hæreticis arceſſere debent (*a*). Si plura de antiquorum Vvaldenſium erroribus ſcire aveas, legeſis fragmentum libri *de ſeptem Donis Spiritus Sancti* editi a noſtro *Stephano de Borbone*, alter *de Bellavilla*, quod ex manuſcripto Codice Sorbonico nuper publicavit eruditus noſter *Jacobus Echard* in libro, cui titulus eſt: *Sancti Thomæ Summa ſuo Auctori reſtituta*, pag. 537. & ſeq. In eo ſiquidem Opere *de ſeptem Donis Spiritus Sancti*, parte 4. de dono fortitudinis, titulo 7. de ſuperbia cap. xxx. de errore vel hæreſi, laudatus *Stephanus de Borbone* accuratiſſime recenſet omnes antiquorum Vvaldenſium errores. Floruit autem ille Scriptor in Ordine noſtro ab anno MCCXXIII. ad annum uſque MCCLXI. quo eum obiiſſe, vel circiter, refert noſter *Bernardus Guidonis*, & in his, quæ ſpectant Vvaldenſium hæreſim, dignus eſt, cui integra fides adhibeatur, utpote qui Inquiſitoris munus per plures Galliæ Provincias exercuit, & ipſius Vvaldenſis hæreſeos initia ex iis accepit, qui ei inſervierant. Conſule denique librum 11. Tom. 2. *Hiſt. Variationum Eccleſiarum Proteſtantium* editæ ab Illuſtriſs. *Benigno Boſſuet* Meldenſi Epiſcopo, ubi dogmata antiquorum Vvaldenſium accuratiſſime exponit, multiſque momentis evincit, eorum circa fidem & Sacramenta Eccleſiæ doctrinam multum ab his diſcrepare erroribus, quos hæretici Calviniſtæ poſtremis hiſce temporibus invexerunt, & etiamnum obſtinatis animis defendunt.

(*a*) „ Fatendum eſt tamen Catharos, qui ſequenti ſæculo Eccleſiaſtica dogmata corrumpebant, quoſque e Valdenſibus ſua acepiſſe, Graveſonius hic fatetur, veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia impie negaſſe, cum id legerim in codice meo MS. & quidem Sæculi XIII. ut ſcriptura ipſa codicis demonſtrat: *Sequitur de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, de quo dicunt hæretici* (Cathari „ quos

Digitized by Google

„ quos auctor refutat) *quod nihil eſt quod fa-*
„ *ciunt Sacerdotes, quia nec corpus Domini con-*
„ *ficiunt , nec conſecrant , nec ipſum mandu-*
„ *cant , nec aſſumunt* ; ac proſequitur afferens
„ Hæreticorum argumenta , quibus aſtruebant in
„ Euchariſtia Chriſti corpus nequaquam mandu-
„ cari. Opuſculo huic præfixum eſt nomen Bo-
„ nacurſi de Mediolano; & quidem huic titulo
„ ſubjungitur Bonacurſi opuſculum quale in Da-
„ cherio legitur; ſed poſt titulum capitis illius
„ *quod Chriſtus a Patre ſit genitus, & quod idem*
„ *cum Patre ſit Creator & Deus*, ſtatim opuſcu-
„ lum iſtud abrumpitur, & poſt relictum ſpatium
„ vacuum, incipit veluti novus tractatus ab his
„ verbis: *Hæretici qui habent ordinem ſuum de*
„ *Druguntia*. Hunc tractatum, in quo hæreſes
„ Catharorum egregie impugnantur, ego hoc ipſo
„ anno typis evulgavi in Tom. 2. Miſcell. Balu-
„ zii in append. quod opus Lucenſibus typis hic
„ Lucæ produci cœpit.

D. Fuitne ultra Galliarum fines propagata hæc Waldenſium Hæreſis?

M. Nonnullæ Waldenſium Sectæ Italiam, Germaniam, & Hiſpaniam duodecimo Eccleſiæ ſæculo penetrarunt, illaſque regiones pravis erroribus infecerunt. Waldenſes, qui erant in Italia, ſe ſe *Catharos* ideſt puros, ſicut Calviniſtæ in Anglia ſe *Puritanos* , appellabant, erantque in duplici differentia. Hi ſiquidem *Cathari*, qui in Lombardia potiſſimum graſſabantur, præter communes Waldenſium ſectæ errores, admittebant cum Manichæis duo Principia, videlicet boni & mali, Patremque æternum majorem filio & Spiritu Sancto eſſe blaſphemabant. Cathari vero, qui Mediolanum infeſtabant, Manichæorum, Arianorum, & Waldenſium erroribus plures alios perabſurdos adjungebant, quos *Bonacurſus* illorum quondam in hac Civitate Magiſter, & poſtea ad Fidem Catholicam converſus refert, & egregie confutat in libro, quem contra illos edidit inſcripto, *Vita Hæreticorum*. Hunc *Bonacurſi* librum edidit *Lucas Dacherius* Tomo 13. Spicilegii. Non ſolum in Italia, ſed etiam in Belgio & in Germania extendebantur iſti *Cathari*, ut manifeſtiſſimum fit teſtimonio *Ekberti Schonavienſis* Abbatis hoc tempore viventis, in tredecim ſermonibus, quos adverſus illos habuit, & qui extant Tom. 23. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunenſis. In Epiſtola nuncupatoria ad *Raginoldum*, ſeu *Rainoldum* Archiepiſcopum Colonienſem, his verbis eum admonet *Ekbertus*; *In veſtra Diœceſi frequenter contigit deprehendi quoſdam hæreticos ... Hi ſunt , quos vulgo Catharos vocant* &c. & in Sermone primo ait: *Secta eorum, de quibus agimus, originem accepit a Manichæo hæreſiarcha.* At teſtatur *Nangius* in ſuo Chronico ad annum MCLXXXIII. multos ex iſtis Hæreticis Catharis in Belgio detectos incendio traditos fuiſſe: *Eodem*, inquit, *tempore multi hæretici combuſti ſunt in Flandria a Guillelmo Remenſium Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, & a Philippo Flandrenſium Comite.* Circa idem tempus Heretici *Barbanſones*, ſeu *Cotarelli* dicti, qui *Catharorum* errores ſectabantur, fuerunt in Galliis flammis addicti, teſte *Rigordo* de Geſtis *Philippi Auguſti* Galliarum Regis. Waldenſes in Angliam veniſſe teſtatur *Guillelmus Neubrigenſis* lib. 2. Hiſtor. Angl. cap. 13. ubi hæc habet: *iiſdem diebus*, ideſt anno MCLX. *Erronei quidam venerunt in Angliam, ex eorum (ut creditur) genere, quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum ex Gaſconia incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus ſuæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latiſſimis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæque Provinciis tam multi peſte infecti eſſe dicuntur, ut ſecundum Prophetam multiplicati eſſe ſuper numerum arenæ videantur.* Verum iſti hæretici juſſu *Henrici* II. Angliæ Regis deprehenſi & in cuſtodia poſiti, ab Epiſcopis in Concilio Oxonienſi anno MCLX. congregatis fuerunt damnati, & moniti ut pœnitentiam agerent. Sed cum omnem conſilii ſalubritatem ſpernerent, minas quoque intentatas deriderent, verbo illo Dominico abutentes: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam* &c. Tunc Epiſcopi, ne virus hæreticum latius ſerperet præcaventes, eoſdem publice pronunciatos hæreticos corporali diſciplinæ ſubdendos Regi tradiderunt, qui præcepit, hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, & , ſpectante populo , virgis coercitos ab urbe expelli, diſtricte prohibens, ne quis eos vel hoſpitio recipere, vel aliquo ſolatio confovere præſumeret. Sic Waldenſes expulſi ſunt ex Anglia, ubi unam tantum mulierculam deceperunt, quæ etiam, ut referunt Scriptores Angli, ab illis diſcedens, factique pœnitens errorem confeſſa eſt, & reconciliationem meruit. Denique, Hæretici *Waldenſes* ex Hiſpania, in quam irrepſerant, & ubi *Sabbatati*, & *Inſabbatati* vulgo appellabantur, expulſi fuerunt anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo a *Petro* Aragoniæ Rege, ut videre eſt in ejus Conſtitutione adverſus illos hoc anno edita, quam ex Archivio Eccleſiæ Gerundenſis eruit *Baluzius*, & in Appendice *Marcæ Hiſpanicæ* publicavit in hac forma; *Præcedentium Patrum noſtrorum in fide imitatores Sacro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Canonibus obtemperantes, qui hæreticos a conſortio Dei, & S. Eccleſiæ, & Catholicorum omnium excluſos, ubique damnandos ac perſequendos cenſuerunt, Waldenſes videlicet, qui vulgariter dicuntur Sabbatati, qui & alio nomine ſe vocant Pauperes de Lugduno, & omnes alios hæreticos, quorum non eſt numerus, nec nomina ſunt nota, a S. Eccleſia anathematizatos, ab omni Regno & poteſtativo noſtro tanquam inimicos Crucis Chriſti, Chriſtianæque fidei violatores, & noſtros etiam regnique noſtri publicos hoſtes exire ac fugere diſtricte & irremeabiliter præcipimus, &c.* In eoſdem etiam Hæreticos *Waldenſes* Imperator *Fridericus* II. Conſtitutionem emiſit, quam refert *Goldaſtus* Tomo I. *Conſtitutionum Imperialium* pagin. 295. in qua illos a ſuis ditionibus exulare juſſit, & eorum fautores bonorum proſcriptione multavit, ac velut reos Majeſtatis puniendos declaravit. De Conciliis Generalibus Lateranenſi III. ſub *Alexandro* III. & Lateranenſi IV. ſub

Innocentio III. nec non de pluribus Conciliis Provincialibus, in quibus hæretici Waldenſes proſcripti ſunt, opportunius differemus in ſequenti Colloquio.

D. Albigenſium Hæreſis, quam duodecimo Eccleſiæ ſæculo in Galliis exortam fuiſſe nuper aſſerebas, fuitne diverſa a Waldenſium Hæreſi, cujus originem, infeſta dogmata, variaſque ſectas mox in medium protuliſti?

M. Albigenſium Hæreſis, quæ circa annum MCLXXVI. infauſtum caput attollere cœpit, peſſima fuit Waldenſium hæreſis ſoboles, in quam tamen velut in ſentinam quamdam omnium Hæreſum colluvies confluxiſſe videtur. Ab *Albia*, Albigenſium Civitate Metropoli, Toloſæque vicina, ſuum traxere nomen iſti Albigenſes hæretici, de quorum origine, erroribus, diſciplina & moribus pauca hic attingemus, plura de illis dicturi in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſæculi decimi tertii, in quo inſolentius graſſata eſt illorum Hæreſis. *In Toloſani Comitis territorio*, inquit *Gervaſius* in Chronico ad annum MCLXXVII. *pullulavit hæreſis maligna, quæ fidem & Orthodoxorum Patrum Eccleſiaſtica Inſtituta evacuans non ſolum vulgus ſimplex, ſed & Eccleſiæ Dei Sacerdotes & Epiſcopos cum Principibus Laicis tabe confecit nefanda*. Quanta vero eſſet deteſtandæ hujuſce Albigenſium hæreſeos perverſitas, facili negotio dignoſcitur ex litteris, quas anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo *Raymundus V.* Comes Toloſanus ſcripſit ad Monachos Ciſtercienſes, in quibus inter alia ait: *Qui Sacerdotio funguntur hæreſis fœditate depravantur, & antiqua olimque veneranda Eccleſiarum loca inculta jacent, diruta remanent, baptiſmus negatur, Eucbariſtia abominatur, pœnitentia parui penditur, hominis plaſmatio, carnis reſurrectio abnegando reſpuitur, & omnia Eccleſiaſtica Sacramenta annullantur, & quod dici nefas eſt, duo etiam principia introducuntur*, & paulo poſt: *Scitote, quia in tantum hæreſis virulenta inviſcerata manet, quod niſi manu Dei valida, ejuſque brachio extento extirpari non poteſt*. Verum, ut flagitioſiſſimæ illius Albigenſium ſectæ errores magis perſpectos habere poſſis, illos eodem ordine hic deſcribam, quo e *Spondano* in Epitome *Baronii* ad annum MCLXXXI. ex *Rogerio Hovedeno* in Annalibus Anglicanis referuntur. In primis, Hæretici Albigenſes recipiebant tantummodo ſcripturas Novi Teſtamenti, rejicientes penitus Vetus, niſi in iis teſtimoniis, quæ a Chriſto Domino & Apoſtolis inducta ſunt, & non aliis. Reſpuebant pariter cæteros omnes Doctores Legis Chriſtianæ. Interrogati de fide ſua, dicebant, ſe non teneri ad reſpondendum. Aſſerebant duos Deos exiſtere, bonum alterum, alterum malum; ajebant, bonum Deum eſſe Auctorem Novi Teſtamenti, & creatorem rerum inviſibilium tantum, quæ mutari aut corrumpi haud poſſunt; at malum Deum vetus condidiſſe Teſtamentum, cælum, terram, hominem & alia viſibilia creaſſe aſſeverabant. Baptiſmum parvulis ad ſalutem prodeſſe, corpuſque Domini per miniſterium Sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti confici pervicaciter negabant. Matrimonium meretricium eſſe, nec aliquem in ipſo ſalvari poſſe prædicabant, filios & filias generando. Dicebant, Miniſtros Eccleſiæ, qui non eſſent moribus & converſatione tales, quales *Pauli* ordinandos docuerat, non eſſe Epiſcopos, aut Presbyteros &c. ſed lupos & ſeductores, ideoque nulla eos pollere poteſtate in rebus divinis & Eccleſiaſticis, aut in Sacramentis adminiſtrandis, nec parendum eis eſſe, aut primitias & decimas ſolvendas. Docebant, Eccleſias, ſeu Templa in honorem Dei & Sanctorum erigi non debere, nec a fidelibus ad Orationem adiri, nec eleemoſynas iiſdem Eccleſiis, aut pauperibus erogari oportere. Statuebant ſatis ſuperque ſufficere ad ſalutem peccata cuilibet homini confiteri, & poſt Confeſſionem non eſſe neceſſariam pœnitentiam. A juramento ita abhorrebant, ut aſſererent, nunquam omnino debere jurari per aliquod juramentum. Hos Albigenſium errores ex *Rogerio Hovedeno* hujus temporis Scriptore refert *Spondanus* loco ſuperius a me laudato.

D. Recenſuiſtine omnes Hæreticorum Albigenſium errores?

M. Præter iſtos Albigenſium errores, longam aliorum ſeriem texunt *Lucas Tudenſis* in Hiſpania Epiſcopus in libris, quos edidit adverſus Albigenſes, & *Petrus de Valle Cernaii* Monachus Ciſtercienſis in ſua, quam *Innocentio* III. Pontifici Maximo nuncupavit, *Albigenſium Hiſtoria* cap. 11. Inter illos errores, quos recenſent ambo citati Scriptores, hi præcipui habentur. Primo, affirmabant hæretici Albigenſes, damnatos eſſe omnes veteris Teſtamenti Patres, & *Joannem Baptiſtam* unum eſſe de majoribus Dæmonibus aſſerebant. Secundo, Chriſtum illum, qui natus eſt in Bethleem terreſtri & viſibili, & in Hieruſalem crucifixus, malum fuiſſe, & *Mariam Magdalenam* ejus concubinam extitiſſe impudorato ore blaſphemabant. Tertio, Romanam Eccleſiam ſpeluncam latronum, & meretricem Apocalypſis appellabant. Quarto, Sacramentum Euchariſtiæ ſpernebant, & Sacro Sancti Corporis Chriſti Hoſtiam a pane communi non diſcrepare, publice docebant. Quinto, Confirmationem, Confeſſionem, Ordinationem Miniſtrorum in Eccleſia Catholica, & Miſſam, tanquam ritus ſuperſtitioſos & inanes omnino reputabant, cantilenis, ſacrilegiſque jocis ſacros ritus irridebant, & varias ac putidas fabulas in Catholicæ Eccleſiæ dedecus & ſacrorum Miniſtrorum opprobrium procudebant. Sexto, Reſurrectionem carnis negabant. Septimo, ſtulte fingebant, Animas noſtras eſſe ſpiritus illos Apoſtatas, qui ſuperbia e Cælo præcipites ceciderunt, & Animarum de corpore in corpora tranſmigrationem cum Pythagora tenebant. Octavo, Purgatorium, & orationes pro defunctis non admittebant. Nono, quidam inter illos effutiebant, ab umbilico & inferius peccare poſſe neminem, nec peccari gravius dormiendo cum matre vel ſorore, quam cum qualibet alia. Decimo, ſacrarum Imaginum uſum ac venerationem idololatriam eſſe aſſerebant, & Campanas *tubas Dæmonum* appellabant. Undecimo, Beatam Mariam Dei Genitricem, proh ſcelus! meretricem inclamabant. Hos, &

alios

Digitized by Google

alios hujuſmodi impios Albigenſium Hæreticorum errores, quibus referendis conſultius ſuperſedere duco, damnavit Eccleſia in pluribus Conciliis, ſicut late oſtendemus in Colloquiis in Hiſtoriam ſæculi XIII. in quo fuerunt celebrata. De Bello ſacro, quod, Duce *Simone* Comite *Monfortio*, ad exterminandos Albigenſes hæreticos, qui ſuis impietatibus & incurſionibus bellicis Eccleſiam conturbabant, ſuſceptum eſt; de inſigni victoria, quam de illis fidei hoſtibus Catholici, Cælo pro illis pugnante, reportarunt; demum de zelo Apoſtolico, & de miraculis ac prædicationibus Beatiſſimi Patris *Dominici* ſacri Prædicatorum Ordinis conditoris, qui in Albigenſis hæreſeos impugnatione, & in hæreticorum confutatione atque converſione plus omnibus laboravit, commodius ſuo loco, ideſt, in Colloquiis in Hiſtoriam ſæculi decimi tertii, differemus.

D. In tot craſſis & deteſtandis Albigenſium hæreticorum referendis, vel confutandis erroribus non eſt quod diutius immoremur, maxime cum eos retuliſſe, abunde refutaſſe ſit. Quapropter relicto iſto tam male olenti cœno, cætera, quæ ad eorumdem hæreticorum Diſciplinam, moreſve ſpectant, breviter expediamus neceſſe eſt.

M. Quam turpis & execranda fuerit Albigenſis hæreticorum diſciplina, facile admodum intelliges ex Ritu, quem, teſte *Petro de Valle Cernaii* in ſua Hiſtoria Albigenſium, obſervabant illi hæretici erga eos, qui ſectæ nomen dabant. *Cerimoniæ ſacrilegæ præſes dicebat: Amice, ſi vis eſſe de noſtris, oportet ut renuncies toti fidei, quam tenet Romana Eccleſia. Reſpondebat, Abrenuntio. Ergo, inquiebat, accipe Spiritum Sanctum a bonis hominibus, & tunc aſpirabant ei ſepties in ore. Item dicebat illi: Abrenuncias Cruci, quam tibi fecit Sacerdos in baptiſmo, in pectore, & in ſcapulis, & in capite, de Oleo & Chriſmate? Reſpondebat: Abrenuncio. Credis quod aqua illa operetur tibi ſalutem? Reſpondebat: Non credo. Abrenuntias vero illi, quod tibi baptizato Sacerdos poſuit in capite? Reſpondebat: Abrenuntio. Tunc omnes ipſi manus imponebant, oſculabantur eum, & induebant veſte nigra, & ex illa hora unus ex ipſis cenſebatur.* Ita refert *Petrus de Valle Cernaii* Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Pariſienſi Monachus, qui cum *Guidone* Abbate ejuſdem Cœnobii, avunculo ſuo, Carcaſſonenſi poſtea Epiſcopo, ad prædicandum contra Albigenſes in partes Toloſanas venit, & bellis Albigenſium plerumque interfuit, atque illorum hæreticorum Hiſtoriam deſcripſit. Jam vero, quam diſſoluti ac flagitioſi eſſent Albigenſium mores, aperte declarat *Lucas* Tudenſis lib. 3. adverſus Albigenſes cap. 5. ubi hæc de illis refert: *Se fraudibus, homicidiis, latrociniis & uſuris committunt. Efferuntur effrænes per varia deſideria carnis, nulla nociva eſt delectatio, quam non pertranſeat eorum luxuria. Abutitur filius matre, frater fratre, & pater in filia turpitudinem operatur. Retorquent ſui erroris mercedem in ſemetipſos, quorum ſunt blaſphemi & ſine miſericordia ſenes, ad omne nefas promptiſſimi juvenes, luxurioſi & protervi adoleſcentes, impuri pueri ſine certo patre, infantes cum lacte matris virus erroris ſugentes, mulieres effrontes & ſine verecundia, loquacitate garrulæ, ut alios decipiant, per domos diſcurrentes.* Ad fœdos Albigenſium mores ſpectant nefanda illa, diriſque omnibus execranda flagitia, quæ ab illis hæreticis in odium Chriſti & confuſionem Fidei Catholicæ patrata fuiſſe teſtatur *Cæſarius* natione Germanus, Cœnobii Heiſterbacenſis Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Colonienſi Monachus, & coævus Scriptor, *Dialogi Miraculorum* diſtinct. 5. cap. 21. quæque adeo ſunt execranda, ut ea hic deſcribere calamus horreat.

D. Miror ſane, quod in Gallia tot fœculentæ hæreſes duodecimo Eccleſiæ ſæculo emerſerint, tamque late propagari potuerint. Sed age, percurramus nunc alias hæreſes, quæ eodem ſæculo in aliis Orbis partibus proruperunt.

M. Circa annum MCXVI. Laicus quidam nomine *Tamquelmus*, vel, ut alii ſcribunt, *Tanquelinus*, vir licet indoctus, multos tamen eruditos viros, ſed maxime plebeculam in Belgio dementare cœpit falſis quibuſdam propoſitionibus, dogmatis & aſſertionibus, dictitans nimirum, ſe Dei filium eſſe; Sacri Ordinis Miniſtros, & Epiſcopalem, Sacerdotalemque gradus nihili eſſe faciendos, nihil etiam ad ſalutem prodeſſe Corporis & Sanguinis Chriſti perceptionem, fruſtraque Miſſam a Sacerdotibus celebrari. Hic autem flagitioſiſſimus hæreticus ter mille diſcipulis, ſeu totidem ſtipatoribus vallatus magno apparatu incedebat, inauratis veſtibus, & triplici funiculo crinibus intortis lautiſſima & magnifica inſtruebat convivia ut auram popularem aucuparetur, ſibique ganeonum gratiam conciliaret. Filias, matribus præſentibus, & ſponſas, cernentibus maritis, corrumpi jubebat, conjugiaque promiſcua eſſe volebat. Præſertim vero Sacerdotes odio pluſquam vatiniano proſequebatur, & in eos paſſim acerbiſſime invehebatur, donec tandem ita permittente Deo, in tot ſcelerum vindictam, a quodam Presbytero occiſus eſt. Sed nec illo mortuo conſepulta omnino jacuit ejus hæreſis, ad quam radicitus extirpandam totus incubuit S. *Norbertus* Præmonſtratenſis Ordinis Clariſſimus Inſtitutor, qui ſacris ſuis concionibus adeo profecit, ut omnes fere, quos illa peſtis infecerat, ad fidem Catholicam reduxerit, eoſque corde vehementer compunctos ad ſinceram compulerit pœnitentiam.

Aliam hæreſim circa an. MCXXXVIII. in Italia ſpargere cœpit *Arnaldus Brixienſis*, diſcipulus quondam *Petri Abaelardi*, egregius divini verbi concionator, ſed nimis audax ac temerarius. Dum enim Romæ in luxum & divitias Sacerdotum & Cardinalium nimium aſpere & intempeſtive invehitur, eorum mores palam & audacius carpit, vivendique rationem perſtringit ac inſectatur, hæreſeos nomine apud Pontificem Maximum accuſatur. Mores & errores iſtius hæretici *Arnaldi Brixienſis* accurate deſcribit *Otto Friſingenſis* Scriptor coævus lib. 2. *De Geſtis Friderici* I. cap. 20. his verbis: *Arnaldus iſte ex Italia Civitate Brixia oriundus, ejuſdem Eccleſiæ Clericus ac tantum Lector ordinarius Petrum Abaelardum olim præceptorem habuerat, vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio*

quam ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, novitatis cupidus, cujuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes, ſchiſmatumque perturbationes ſunt prona. Is a ſtudio e Galliis in Italiam revertens, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit; omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum ac Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, Laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione poſſe ſalvari, cunctaque hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum Laicorum cedere oportere. Præter hæc, de Sacramento Altaris, de Baptiſmo parvulorum non ſane dicitur ſenſiſſe. His, aliiſque modis, quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem Eccleſiam conturbaret, Laiciſque illius terræ prurientes erga Clerum aures habentibus Eccleſiaſticas exponeret paginas, in magno Concilio Romæ ſub Innocentio Papa habito, ab Epiſcopo illius Civitatis, viriſque religioſis accuſatur. Romanus ergo Pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit, ſicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens ad Tranſalpina ſe contulit, ibique in Oppido Alemanniæ Turego officium Doctoris aſſumens pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminavit. Damnatus itaque *Arnaldus Brixienſis* Romam, Italiamque deſerens, in Galliam primum, dein in Germaniam ſeſe recepit, & aliquandiu apud *Hermannum de Arbona* Epiſcopum Conſtantienſem commoratus eſt. Quod ubi reſciviſſet *S. Bernardus*, ſtatim ad illum Epiſcopum litteras dedit, rogavitque ut hunc hæreticum jam ex Gallia & Italia pulſum fugatumque, apud ſe, aut in Diœceſi ſua deliteſcere non pateretur. Scripſit idem *S. Bernardus ad Guidonem* Cardinalem & Legatum Apoſtolicum, eumque monuit, ut ſibi caveret ab *Arnaldo de Brixia*, ejuſque conſortium vitaret. *Arnaldus de Brixia* (inquit *S. Bernardus* ea in epiſtola, quæ eſt ordine CXCVI.) *cujus converſatio mel & doctrina venenum, cui caput columba, cauda Scorpionis eſt, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur eſſe vobiſcum; videte quæſo, ne veſtra authoritate plus noceat. Nam cum & artem habeat, & voluntatem nocendi, ſi acceſſerit favor veſter, erit funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ſupra modum, ut vereor, nociturus &c.* Non ſolum errores contra fidem docuit *Arnaldus de Brixia*, ſed etiam, ut in ſuperiori Colloquio obſervavimus, facem ſeditionis Romæ accendit ſub *Lucio II.* & *Eugenio III.* fuitque Caput factionis *Arnaldiſtarum*, qui reſtaurandum Capitolium, revocandam dignitatem Senatoriam, reformandum Equeſtrem Ordinem, nihil in diſpoſitione Urbis Romæ ad Summum Pontificem ſpectare, ſed ipſi Eccleſiaſticum judicium ſatis ſuperque ſufficere debere, palam, ac perfrictæ frontis audacia aſſerebant. Tot tumultus Romæ excitavit hæc *Arnaldiſtarum* factio, & in tantum invaluit, ut non ſolum nobilium Romanorum, & Cardinalium diruerentur domus, & ſplendida Palatia ſolo æquarentur, verum etiam Cardinales aliqui a furente plebecula ab iſto *Arnaldo Brixienſi* deluſa inhoneſte tractarentur, in & ſeditione vulnerarentur, ſicut refert *Otto Friſingenſis* lib. 2. de Geſtis *Friderici* Imperatoris capit. 20. Tot ſcelera non diu impune tulit *Arnaldus Brixienſis* peſtiferæ illius ſeditionis ſignifer. Nam cum novas anno MCLV. turbas Romæ cieret juſſu *Friderici* Imperatoris captus, a *Petro* Urbis Romæ Præfecto ad rogum damnatus eſt, ejuſque cineres in Tyberim projecti, cujus rei meminit *Guntherus* Ligurinus ejuſdem temporis Poeta clariſſimus ita canens:

Appenſuſque Cruci flammaque cremante ſolutus
In cineres, Tyberine, tuas eſt ſparſus in undas,
Ne ſtolida plebis, quem fecerat improbus error,
Martyris oſſa novo Cinereſque foveret honore.

D. De Abbate *Joachimo*, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo magnum ſibi in Italia peperit nomen, nuperrime viri eruditi haud parum inter ſe altercabantur, & in varias de illo abibant ſententias. Quidam hunc Abbatem, Sanctum, Doctorem apprime Catholicum, ac Prophetam eſſe dicebant. Alii eum illuſorem, hypocritam, Pſeudo Prophetam, & hæreticum fuiſſe palam contendebant. Te igitur impenſe rogo, ut hæc tria dubia breviter in præſentia diſcutere non graveris. Primo, an revera Abbas *Joachimus* fuerit hæreticus, necne? Secundo, an verus fuerit Propheta, vel illuſor? Denique, an pie, & in gremio Eccleſiæ Catholicæ obierit?

M. Priuſquam tribus a te propoſitis dubiis ſaciam ſatis, obſervare in primis debes, *Joachimum* Ordinis Ciſtercienſis, Abbatem Cœnobii Florenſis in Calabria, libellum evulgaſſe contra *Petrum Lombardum* Magiſtrum ſententiarum, eumque hæreſeos eo potiſſimum nomine inſimulaſſe, quod inter cætera ſua dogmata, de unitate, ſive eſſentia Trinitatis verba faciens dixiſſet, *quod quædam ſumma res eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens.* Contra vero Abbas *Joachimus* opponebat, quod *Petrus Lombardus* non *Trinitatem* in Deo, ſed *Quaternitatem* adſtrueret, tres videlicet Perſonas, & illam communem Eſſentiam quaſi quartam, manifeſte proteſtans, *quod nulla res eſt, quæ ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, nec ſubſtantia, nec eſſentia nec natura*, quamvis tamen concederet Abbas *Joachimus*, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint una eſſentia, una ſubſtantia, una natura. Hanc autem aſſertionem ſuam, teſte *Matthæo Pariſio* in Hiſtoria Anglicana ad annum MCLXXIX. his rationibus, & authoritatibus confirmabat *Joachimus* Abbas: *Tres ſunt*, inquiebat, *qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus aqua* & *ſanguis: Et hi tres unum ſunt.* Item, *volo Pater, ut ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus.* Ex quibus

Digitized by Google

bus Scripturæ Sacræ teſtimoniis, inquit *Matthæus Pariſius* in Hiſt. Anglic. colligere, ac palam innuere videbatur Abbas *Joachimus*, ſe in Deo admittere unitatem non veram & propriam, ſed quaſi collectivam & ſimilitudinariam, non ſecus ac multi homines dicuntur unus Populus, & multi fideles una Eccleſia. Hæc altercatio inter diſcipulos *Petri Lombardi*, & Abbatis *Joachimi* gliſcens, indeciſa remanſit a temporibus *Alexandri III.* Summi Pontificis, uſque ad *Innocentium III.* qui in Concilio Lateranenſi IV. celebrato an. MCCXV. Libellum Abbatis *Joachimi* contra *Petrum Lombardum* damnavit. Ex hac porro damnatione facta in Concilio generali nonnulli occaſionem ſumunt notam hæreſeos inurendi Abbati *Joachimo*, ſed injuſte & perperam. Nam primo, quamvis in IV. Concilio Generali Lateranenſi libellus, quem edidit Abbas *Joachimus* contra Magiſtrum *Petrum Lombardum* de unitate ſeu eſſentia Trinitatis, proſcriptus fuerit, inde tamen colligi non debet, eum fuiſſe hæreticum, quia certiſſime conſtat, eum duobus annis ante mortem omnia ſcripta ſua Apoſtolicæ Sedis Judicio approbanda vel corrigenda ſubjeciſſe, ut liquido patet ex ejus proteſtatione, quam ante obitum edidit, & quam refert *Franciſcus Pegna* Comment. 1. in primam partem *Directorii Inquiſitorum Nicolai Eymerici*, idque etiam fatetur *S. Thomas* Opuſcul. 14. ubi Abbatem *Joachimum* erraſſe quidem aſſerit, eum tamen errori pertinaciter adhæſiſſe negat, *quia*, inquit Angelicus Doctor, *Abbas Joachimus Apoſtolicæ Sedis judicio ſcripta ſua ſubjecit*. Præterea, *Honorius III.* Summus Pontifex duabus Epiſtolis, quæ a *Jacobo Græco* Florenſi Monacho, & Abbatis *Joachimi* Vitæ Scriptore cap. 5. referuntur, diſtricte vetuit, ne quis Abbati *Joachimo*, & Florenſi Ordini, quem fundaverat ille Abbas, detraheret propter libellum Abbatis *Joachimi* in Concilio Lateranenſi IV. damnatum. Prior *Honorii III.* Epiſtola directa eſt ad Lucanenſium Epiſcopum, eique præcipit Summus Pontifex ut tam Abbatem, quam Monachos Ordinis Florenſis de crimine hæreticæ pravitatis infamare non præſumat, nec a ſuis infamari permittat: *Fraternitati tuæ*, inquit Honorius III. *per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus fratres ſupradicti Ordinis ſuper hæreſeos crimine, nec ipſe infamare præſumas; nec a ſubditis tuis permittas, vel aliquatenus diſſimules infamari*. In altera vero Epiſtola, quam idem Summus Pontifex Cuſentino Archiepiſcopo, & Epiſcopo Biſiniacenſi dedit, aſſerit, eum, *qui ſaluti hominum invidet*, occaſione ejuſdem libelli a Synodo Generali Lateranenſi damnati, nonnullos tam *Clericos*, *quam Laicos*, *Prælatos*, *& ſubditos* concitare adverſus Ordinem Florenſem, qui ab Abbate Joachimo fuit fundatus, *exprobrando quod idem Abbas, qui Pater & inſtitutor fuit Ordinis eorumdem, hæreticus ab Eccleſia Dei habetur. Propter quod non ſolum ſimplices lactis participes a conſortio ejuſdem Ordinis avertunt, ſed etiam fortes, qui uti cibo ſolido didicerunt, & ad diſcretionem boni & mali exercitatos pro conſuetudine habent ſenſus, circa Inſtituta Ordinis ejuſdem incipiunt fluctuare &c. Fraternitati veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice enuntiari quia fuiſſe virum Catholicum reputamus, Sanctæ fidei Orthodoxæ Sectatorem &c.* Ad hæc accedit teſtimonium *Innocentii III.* Pontificis Maximi, qui in Epiſtola 99. lib. 14. data anno MCCXI. Abbatis *Joachimi* demortui honorabilem mentionem facit. Teſtatur etiam *Albericus* Monachus trium Fontium in Chronico ad annum MCCI. quod *Innocentius III. vitam religioſam Abbatis Joachimi, morum inſtitutionem, & eruditionem non improbavit, ſed approbando commendavit*. Plura ad vindicandum ab hæreſi Abbatem *Joachimum* legi poſſunt apud *Papebrochium* ad diem XXIX. menſis Maji in Commentario prævio ad Vitam Abbatis *Joachimi*, ubi etiam omnia, quæ Cardinalis *Baronius* contra prædictum Abbatem ſcripſit, non aliter ſolvit, quam optando, ut ad Annales Eccleſiaſticos proſequendos ulterius vita & otium *Baronio* ſuffeciſſent: *vix etiam*, inquit, *dubitamus, quin pro ſua ingenuitate emolliiſſet ſententiæ præcipitatæ rigorem; ut enim tum ex ipſo Concilii decreto, tum ex Pontificum conſequentium Bullis cognoviſſet, unicum dumtaxat, qui ſub nomine Joachimi ferebatur, libellum fuiſſe damnatum, idque citra prætitulati Auctoris notam; ita fortaſſis etiam ad ipſam Apocalypſeos Expoſitionem legendam aliquando applicuiſſet animum, agnoviſſetque, quam falſis præjudiciis plerique ejus accuſatores nituntur*.

Circa alterum dubium, an videlicet Abbas *Joachimus* verus fuerit Propheta, an illuſor? non convenit etiam inter Hiſtoricos. *Rogerius Hovedenus* in Annal. Anglorum parte poſteriori ad an. MCXC. quo deſcribit Colloquium Abbatis *Joachimi* cum *Richardo* Anglorum Rege in Sicilia habitum, ipſum, ut Pſeudo-Prophetam, inſectatur. Idemque de Abbate *Joachimo* fert judicium *Baronius*. At Abbatem *Joachimum* varia ſpiritu prophetico prænunciaſſe, quæ poſtea evenere, certis exemplis demonſtrant *Manricus*, & *Papebrochius*, ejuſque vaticinia vindicavit *Gregorius de Laude*, ſeu *de Lauro* Ordinis Ciſtercienſis, Abbas Sagittarienſis in libro, cui titulus eſt: *Beati Joannis Joachimi Abbatis Apologetica, ſive Mirabilium veritas defenſa*, edita Neapoli anno MDLX. Oſtendunt tamen *Manricus* & *Papebrochius*, nonnullos eidem Abbati *Joachimo* aliquas fictitias prorſus & inanes prædictiones adſcripſiſſe, quarum nugacitas in cauſa fuit cur ſuſpenſi hæſerint viri etiam ſapientiſſimi, quo loco ſcilicet haberent *Joachimum*, vel quid de ſpiritu illius ſtatuerent? Plura de Prophetiæ Dono Abbati *Joachimo* conceſſo legeſis apud *Manricum* in Annalibus Ciſter. Tomo 1. & 2. & apud *Papebrochium* in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX. menſis Maji, quo Vitam Abbatis *Joachimi* Notis illuſtravit.

Poſtremo, Abbatem *Joachimum* pie & ſancte obiiſſe, atque poſt mortem miraculis claruiſſe teſtantur Scriptores probatiſſimæ fidei. *Lucas* Archiepiſcopus *Cuſentinus* in Calabria citeriori, qui Abbatis *Joachimi* Scriba familiaris fuit, refert, ut videre eſt apud *Papebrochium* loco mox a me

lau-

Digitized by Google

laudato, ſe miniſtraſſe Abbati *Joachimo* celebranti Miſſam, & ejus pietatem eſſe miratum, cum nonnunquam illum lachrymantem viderit tam in celebratione Miſſæ, quam dum in ea *Paſſio Dominica* legeretur. Varia etiam habet idem Scriptor de Abbatis *Joachimi* vigiliis, ſobrietate, caſtitate, conſtantia in oratione, & jejunii rigore; teſtaturque ejus meritis ſolutam ſibi fuiſſe linguam, depulſam febrim & repreſſam intempeſtivi potus appetentiam. Quanto vero honore Abbas *Joachimus* poſt mortem cultus fuerit, ex eo maxime liquet, quod in loco, ubi mortuus, & primum humatus fuit, arſerunt alias lampades, & Cœnobii Florenſis Monachi ſingulari veneratione proſecuti fuerint novum ejus ſepulcrum, ad quod, auxilii obtinendi cauſa, tum energumenos, tum alio quocumque morbo laborantes accedere ſolitos eſſe, & curari, pluribus exemplis demonſtrant mox citati Auctores. Abbates etiam & Monachi Ordinis Florenſis ab Abbate *Joachimo* inſtituti unum ex ſuis anno MCCCXLVI. Romam miſerunt, qui a Summo Pontifice peteret, Epiſcopos delegari, qui inquirerent de miraculis in vita & poſt mortem a *Joachimo* patratis. *Jacobus Græcus* Monachus Florenſis, Patria Calaber, Vitam Abbatis *Joachimi* ex variis monumentis collegit, & *Gregorius de Laudo*, ſeu *de Lauro* Ordinis Ciſtercienſis ejus Apologiam edidit, atque eum anno milleſimo ducenteſimo ſecundo ad Cæleſtem Patriam migraſſe, ac multa a ſe conſcripta reliquiſſe Opera, quæ nos in Colloquio quinto in Hiſtoriam hujus ſæculi duodecimi commodius recenſebimus.

D. Texuiſtine Catalogum omnium Hæreſum, quæ duodecimo ſæculo Eccleſiam exagitarunt?

M. Abſolvi quidem Hiſtoriam omnium Hæreſum, quæ duodecimo ſæculo pullularunt, ei tamen non abs re erit in præſentia addere tres celebres Controverſias, quæ eodem ſæculo in Galliis inter Theologos fuerunt agitatæ. Prima Controverſia circa annum MCLXXV. moveri & ventilari cœpit de validitate Baptiſmi, qui a Laicis conferebatur. Invaluerat enim in Galliis hæc conſuetudo, ut Laici, abſente Sacerdote, baptizantes, hæc tantum verba pronunciarent: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, omiſſis illis, quæ præmitti ſolent: *Ego te baptizo*. Quæſitum igitur eſt, an Pueri ita baptizati, rebaptizandi eſſent, necne? *Pontius* Claromontanus Epiſcopus conſuluit ſuper hac re *Mauricium* Epiſcopum Pariſienſem, & *Stephanum*, qui fuit poſtea Tornacenſis Epiſcopus. Reſpondit *Mauricius*, Baptiſmum non valere, niſi a baptizante proferantur hæc verba: *Ego te baptizo*. Contra vero *Stephanus* prædicta verba: *Ego te baptizo*, ſummo quidem honore, & ſingulari reverentia, utpote ab Eccleſia inſtituta, eſſe ſuſpicienda non negavit, at illa ad Sacramenti Baptiſmi ſubſtantiam non requiri, nec eſſe neceſſariam reſcripſit. Epiſtolas *Pontii* Claromontani Epiſcopi, *Mauricii* Pariſienſis Antiſtitis, & *Stephani* Tornacenſis integras exhibet *Egaſſius Bulæus* Tomo 2. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 412. Cæterum, hanc Controverſiam eodem ſæculo duodecimo definivit Summus Pontifex Alexander III. *Extra de baptiſmo, & ejus effectu* cap. *ſi quis* ubi ſic loquitur: *Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen, & non dixerit: Ego te baptizo, puer non eſt baptizatus*. Eamdem definitiooem publicavit anno MDCXC. *Alexander* Papa VIII. quippe qui hanc propoſitionem inter alias damnavit. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti Amen, prætermiſſis illis, Ego te baptizo*. Quamvis ergo duodecimo Eccleſiæ ſæculo nonnulli celebres Theologi Pariſienſes ſalva & inculpata fide propugnaverint, valere Baptiſma collatum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*, prætermiſſis his verbis: *Ego te Baptizo*, ut videre eſt apud *Gaſparem Jueninum* in Commentario Hiſtorico-Dogmatico de Sacramentis, Tractatu de Baptiſmo, attamen poſt definitionem *Alexandri III.* hæc opinio ab omnibus Theologis exploſa eſt.

Altera Controverſia duodecimo ſæculo, hoc eſt, circa annum MCLXXV. in Scholis Pariſienſibus agitata eſt, an videlicet Beata Virgo in corpore aſſumpta eſſet in cælum? affirmabant eam cum corpore in Cœlum aſſumptam duo inter cæteros egregii, illuſtreſque Scholares, quibus vulgo ab aliis dicteriis, & ſubſannationis loco objiciebatur, quod Beata Virgo non fuiſſet in corpore in Cœlum aſſumpta. Quod dicterium illis adeo diſplicuit, ut, ſeorſim factis ad Sanctos *Joannem Baptiſtam* & *Joannem Evangeliſtam* precibus, poſtularint, id certo ſibi revelari, ne deinceps cavillis exponerentur. Eorum vero opinio confirmata eſt miraculo. Nam eorum alter, qui imberbis erat, ſubito barbatus evaſit, alter vero, qui calvus, crinitus apparuit. Hoc Factum hiſtoricum narrat noſter *Thomas Cantipratenſis* lib. 2. *de Apibus* cap. 29. & ex eo *Cæſar Egaſſius Bulæus* Tomo 2. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 416. Sed utut ſit de hoc inſigni prodigio, certe negari non poteſt, ſententiam illorum, qui XII. ſæculo docebant, Mariæ Virginis corpus, quod in terris nullibi reperitur, in Cœlum, una cum ejus anima fuiſſe aſſumptum, perantiquam eſſe, & in Eccleſia Catholica magis receptam, quandoquidem Patres Concilii Moguntini celebrati anno DCCCXIII. & *Carolus Magnus* Imperator in ſuis Capitularibus Aſſumptionem Beatæ Mariæ Virginis in Feſtorum Catalogum retulerint. *Petrus* etiam Bleſenſis, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo florebat, Sermone 28. hæc habet: *hodie veriſimile eſt, quod Beata Virgo & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta eſt, quod necui prorſus veniat in dubium, auctoritatibus aſtruimus, opinando tamen, non aſſerendo* (a). Quapropter, ſi quis Beatam Mariam Virginem in corpore & anima fuiſſe in Cœlum aſſumptam jam negare, aut in dubium revocare auderet, ad minus ſummæ temeritatis nota eſſet afficiendus, quippe qui a communi, & jampridem in Eccleſia Catholica opinione recepta deſciſceret. Sed Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſicut & de aliis in ejus honorem ab Eccleſia inſtitutis, plura legeſis

apud

Digitized by Google

apud *Baronium* in Notis ad Martirologium Romanum, *Thomaſſinum* in Tractatibus hiſtoricis *de Feſtis*, & *Tillemontium* in Commentariis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, tom. 1. pag. 495. & pluribus aliis proxime ſequentibus.

(*a*) „ Libet aliud de Aſſumptione B. Mariæ „ Virginis in Cælum corpore & anima teſtimo„ nium afferre, & quidem vetuſtius quam ſit „ Bleſenſis, & minus dubium quam ſint Capitu„ laria, in quibus feſtum Aſſumptionis B. Ma„ riæ Virginis commemoratur, ſed non exponi„ tur an in corpore ſimul & in anima. Hoc ve„ ro deſumptum eſt ex ſermone Attonis Epiſco„ pi Vercellenſis in feſtum Aſſumptionis, quem „ ſermonem ego primus ex MS. Cod. Vaticano „ evulgavi in ſecundo volumine Miſcellan. Balu„ zii noviſſimæ editionis Lucenſ. In eo ſermone „ de Aſſumptione B. M. V. in corpore & in „ anima agere ſe apertiſſime author demonſtrat, „ cujus indicium trahit, quod ſepulchrum ejuſ„ dem Virginis vacuum appareat. Vivebat Atto „ ſeculo X. „

Denique ſæculo Eccleſiæ duodecimo ſeu anno MCLXXXVIII. cœpta eſt in Galliis diſputari quæſtio de converſione aquæ, quæ calici ante conſecrationem infunditur, an ſcilicet aqua non ſecus ac vinum, immediate per verba conſecrationis convertatur in ſanguinem Chriſti? vel potius an aqua immediate convertatur in vinum? vel an maneat mixta ſpeciebus vini aquæ ſubſtantia poſt prolata conſecrationis verba? Delata eſt hæc controverſia ad *Gaufridum* Monachum Claræuallenſem, & olim S. Bernardi Secretarium, qui *Henricum* Cardinalem Albanenſem hoc anno in Gallia Sedis Apoſtolicæ Legatum conſuluit per litteras, quas in ſuis Annalibus ad an. 1188. recitat *Baronius*, & quibus hæc verba ipſe ſubjungit: *Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non invenimus; ſed aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quam quod credidit, & cuſtodivit ſemper Sancta Romana Eccleſia, nimirum aquam ſimul & vinum transſubſtantiari in ſanguinem Chriſti.* Quibus verbis eruditiſſimus ille Cardinalis aperte innuit, ſententiam eorum qui aſſerunt, aquam calici infuſam immediate non in vinum, ſed in ſanguinem Chriſti converti, eſſe omnino conſentaneam perpetuo totius Eccleſiæ ſenſui, contra quem opinari, vel muſſitare nemini licet. Verum, ut obiter dicam, Cardinali *Baronio*, hac in re non aſſentitur ſchola Thomiſta, quæ poſt S. *Thomam* 3. p. quæſt. 73. Art. 8. conſtanter docet, aquam calici infuſam immediate converti in vinum, & mediante vino, quod ſola eſt a Chriſto præſcripta conſecrandi calicis materia, tranſire in ſanguinem Chriſti. Hanc ſententiam probat Doctor Angelicus auctoritate *Innocentii* III. Pontificis Maximi, qui conſultus a *Joanne* Archiepiſcopo Lugdunenſi, an aqua cum vino tranſubſtantierur in ſanguinem Chriſti? celebrem illam edidit Decretalem de celebratione Miſſarum, ubi cap. VI. *Cum Marthæ*, tres ſuper hac quæſtione refert ſententias, quarum ſecundam, quæ illorum eſt, qui tenent *quod aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cum in vinum tranſeat mixta vino*, probabiliorem eſſe judicat. Scio, aliquos eſſe modernos Scriptores, præſertim *Ægidium de Coninck* Soc. Jeſu Tom. 1. de Sacramentis quæſt. 74. Art. 8. & *Manricum* in Annalibus Ciſtercienſibus, qui *Baronii* opinioni adſtipulantes reſpondent, bimembrem fuiſſe illam ſecundam ſententiam, quam probabiliorem eſſe dicit *Innocentius* III. Primum illius ſententiæ membrum eſt *quod aqua cum vino tranſubſtantietur in ſanguinem Chriſti*, illudque ab *Innocentio* III. fuiſſe approbatum ultro fatentur. Alterum iſtius ſententiæ membrum eſt, *quod aqua in vinum tranſeat mixta vino*, & iſtud ab *Innocentio* III. non fuiſſe approbatum pertendunt. Sed hoc merum effugium eſt, quod ipſemet *Innocentius* III. lib. 4. *Myſteriorum Miſſæ* cap. 30. occupavit. Ibi enim eamdem verſans quæſtionem, hæc habet: *Quibuſdam vero non abſurdum videtur, quod aqua cum vino tranſit in ſanguinem ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in ſanguinem. Quis enim ambigat, aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* Hinc eſt, quod Concilium Florentinum *modiciſſimam* vino imponi aquam imperat, non alia certe ratione, niſi quia eam prius in vinum tranſmutari oportet, ſicut liquido exponit Pontificale Romanum 1. Part. Tractat. 10. cap. 3. his verbis: *Aqua, quæ in calice vino admiſcetur, debet eſſe in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet.* Non video igitur, qua ratione Cardinalis *Baronius* potuerit aſſerere, Sanctam Romanam Eccleſiam ſemper crediſſe, aquam ſimul & vinum, tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti, cum ſententiæ S. Thomæ de immediata converſione aquæ in vinum Scriptores Eccleſiaſtici aperte ſuffragentur, ſicut diſerte teſtatur Catechiſmus Concilii Tridentini Titulo de Euchariſtia his verbis: *Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia, & judicio, aqua illa in vinum convertitur.* Baronius ad annum MCXCII. refert inſigne miraculum. quod in Slavorum Hiſtoria legitur. Cum enim puella in partibus Thuringiæ ægrotante, Sacerdos poſt datum ei ex more viaticum, ablutionem digitorum faciens in calice vitreo, ut illam aquam puellæ bibendam traderet, inſcienter particulam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in eam excuſſiſſet, confeſtim tota aqua mutata eſt in ſanguinem, & particula formam accipiens digituli verſa eſt in cruentam carnem. Hoc facto narrato concludit *Baronius*: *Hæc de tranſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti, per commixtionem Chriſti Corporis divinitus facta, quod ſemper fieri in vino, cum commixtio intercederet, Antiquitas exiſtimavit.* Vult itaque *Baronius*, vinum abſque verbis conſecrationis ſed ſolo tactu hoſtiæ conſecratæ, poſſe conſecrari, hancque ait petantiquam eſſe Eccleſiæ doctrinam. Verum, hanc *Baronii* ſententiam nec antiquitate, nec veritate niti, manifeſte demonſtrat *Mabillonius* Tom. 2. Muſæi Italici Comment. in Ordinem Romanum pag. 89. & ſeqq. At enim præterquamquod in primis octo ſæculis nulla hujuſce opinationis ap-

parent

parent veſtigia, ſed potius concors ſit & unanimis ſanctorum Patrum ſententia, veram utriuſque ſpeciei conſecrationem non niſi verbis Chriſti Domini a Sacerdote prolatis perfici poſſe; in ſubſequentibus ſæculis, quo tempore apud nonnullos hæc opinio, quam tuetur *Baronius*, invaleſcere cœpit, multi Auctores, iique graviſſimi, in contrariam abierunt ſententiam, quorum teſtimonia ibidem laudat *Mabillonius*. Præterea, ſi vinum abſque verbis conſecrationis, ſed ſolo tactu hoſtiæ conſecratæ poſſet conſecrari, ut cenſet *Baronius*, ſequeretur primo, quod in die Paraſceves mutaretur vinum in ſanguinem Chriſti per ſolum contactum hoſtiæ conſecratæ, quod tamen aperte negant *Guillelmus Durandus* in libro ſexto Rationalis c. 75. & *Jacobus a Vitriaco* in Hiſtoria Occident. c. 38. ubi hæc habet: *mentiuntur ergo qui dicunt, quod in die paraſceves corpus Chriſti ex contactu mutat vinum in ſanguinem. Illo enim die corpus, ſed non ſanguis ſumitur*. Sequeretur ſecundo, non ſolum Diaconos, ſed & Laicos, quibus antiquitus, ſæviente perſecutione, ad Communionem domeſticam hoſtias conſecratas domum aſportare licebat, verum Chriſti ſanguinem conſecrare potuiſſe, emittendo videlicet in vinum Hoſtiam conſecratam. Quod ſi ſemel admittatur, ruit profecto potiſſimum argumentum, quo olim S. *Hieronymus* refellebat Diaconos, qui ſe efferebant ſupra Presbyteros, *ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur*. Hæc & alia id genus gravia momenta ad confutandam Cardinalis *Baronii* ſententiam de Conſecratione vini per ſolum hoſtiæ conſecratæ contactum adducit *Mabillonius* loco mox a me citato, ex quibus tandem concludit doctiſſimus ille Scriptor, valide hinc refelli argumentationem hæreticorum, qui ex commixtione particulæ conſecratæ cum vino haud conſecrato communionem ſub altera ſpecie ſuppleri contendunt. Sed ſatis hactenus diximus de Hæreſibus, quæ ſæculo Eccleſiæ duodecimo eruperunt, nec non de tribus Controverſiis, quæ eodem ſæculo inter Theologos magno animorum æſtu fuerunt in Galliis agitatæ.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis cum Generalibus, tum Nationalibus, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo ſive ad damnandas exortas hæreſes, ſive ad componendas enatas controverſias, & collapſam reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam variis in locis fuerunt celebrata.

D. UT omnia tam Œcumenica, quam Nationalia Concilia, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo diverſis in locis fuerunt convocata, diſcrete ac diſtincte percurramus, ea ſic in ordinem redigere debes, ut primo loco reponas Concilia Œcumenica, ſi quæ eo ſæculo congregata fuerunt; dein, percenſeas Concilia Nationalia, quæ in Italia, Gallia, Germania, Anglia, & Hiſpania habita ſunt, atque omnia, quæ in his Conciliis tum ad proſcribendas Hæreſes, tum ad ſopiendas obortas id temporis controverſias, & ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam ſanctiſſimis Legibus ſtatuta ſunt, ſummatim perſtringas. In primis igitur ſcire velim, an duodecimo Eccleſiæ ſæculo fuerint celebrata Concilia Œcumenica, & quæ in his geſta ac definita ſint?

M. Tria Concilia Generalia duodecimo Eccleſiæ ſæculo habita ſunt, videlicet Lateranenſe primum, quod inter Concilia Œcumenica eſt ordine nonum; Lateranenſe ſecundum, quod eſt ordine decimum; & Lateranenſe tertium, quod in ſerie Conciliorum Generalium undecimum numeratur. Dicta ſunt autem tria iſta Concilia *Lateranenſia* a loco, in quo fuerunt celebrata, nimirum a Baſilica Lateranenſi. *Calliſtus* II. Pontifex Maximus Concilium Lateranenſe Generale primum convocavit anno MCXXIII. non vero, ut aſſerit Baronius, anno MCXXII. *Falco* enim Auctor coævus in Chronico, *Simeon Dunelmenſis* in Hiſtoria, *Anſelmus Gemblacenſis* aliique paſſim Scriptores, qui hoc ſæculo vixerunt, diſerte teſtantur, Concilium Lateranenſe Generale primum a *Calliſto* II. fuiſſe convocatum anno MCXXIII. Hinc *Gabriel Coſſartius* Soc. Jeſu Tomo X. Conciliorum hunc *Baronii*, & *Binii* errorem circa annum celebrationis hujuſce Concilii correxit, illudque, ſecundum peritiorum calculum, anno MCXXIII. indictum eſſe demonſtrat. Trecentos, aut amplius Epiſcopos Concilio Lateranenſi Generali primo adfuiſſe aſſerunt *Nangius* in Chronico, & diu ante eum *Sugerius* Abbas Sandionyſianus, qui huic Concilio interfuit, in vita *Ludovici VI.* Francorum Regis his verbis: *A Domino Papa Calliſto, & tota Curia honorifice recepti per ſex menſes, cum apud eum demorando magno Concilio trecentorum aut amplius Epiſcoporum Lateranis compoſitioni pacis de querela Inveſtiturarum aſtitiſſemus*. Scribit quidem *Pandulphus* in vita *Calliſti II.* nongentos & nonaginta ſeptem partim Epiſcopos, partim Abbates ad hanc Œcumenicam Synodum conveniſſe, ſed numeros ibi corruptos eſſe affirmant viri eruditi.

D. Quanam potiſſimum de cauſa convocatum fuit iſtud Concilium Generale Lateranenſe primum?

M. Triplex fuit cauſa celebrandi hocce Concilium. Prima, ut Inveſtiturarum abrogatio, ſecundum pacta inter *Calliſtum* II. Summum Pontificem, & *Henricum* Imperatorem inita, confirmaretur. Altera cauſa fuit, ut Palæſtina & Hiſpania ab infidelium tyrannide liberarentur, ſicut colligitur ex Canone undecimo illius Concilii. Tertia denique cauſa fuit, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ per Clericorum ſimoniam & luxuriam fœdatæ, conſuleretur; uti in pluribus Canonibus in hoc Concilio conditis liquido apparet.

D. Fuitne tandem compoſita ac finita in Concilio Lateranenſi Generali primo hæc diuturna de Inveſtituris Controverſia?

M. Litem Inveſtiturarum, contra quas, ſicut in ſuperioribus Colloquiis obſervavimus, acriter decertarunt Summi Pontifices, *Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Paſchalis II. Gelaſius II.* feli-

feliciter tandem in Concilio Generali Lateranenſi primo *Calliſtus* II. compoſuit iſtis ſub conditionibus, ut Imperator Inveſtituras, ſeu liberas Epiſcoporum & Abbatum electiones relinqueret Eccleſiæ; Summus vero Pontifex jus ac poteſtatem Imperatori permitteret electis Epiſcopis, & Abbatibus Regalia per Sceptrum dandi, Sacras electiones inſpiciendi, & ſaniori parti aſſenſum, auxiliumque præbendi. Hæ initæ pacis conditiones utrimque receptæ, atque mutua ſubſcriptione firmatæ fuerunt juxta verborum tenorem qui ſequitur:

Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo & Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem Inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus fieri electionem & liberam conſecrationem, poſſeſſiones & Regalia Beati Petri, quæ a principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernum diem, ſive tempore Patris mei, ſive etiam quæ meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo; quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter juvabo, &c. Similiter *Calliſtus* II. Pontifex Maximus fidem ſuam *Henrico IV.* Imperatori obſtrinxit his verbis:

Ego Calliſtus Servus Servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque Simonia & aliqua violentia; ut, ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per Sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Eccleſiam Romanam pertinere noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat: Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus, infra ſex menſes Regalia per ſceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, ſecundum officii mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in partem tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ, &c. Hæc Pacta *Calliſtum II.* Pontificem inter & *Henricum* Imperatorem totius Synodi judicio confirmata ſunt & executioni mandata, ſicque pax optatiſſima Regnum inter & Sacerdotium coaluit, de qua *Otto Friſingenſis* Chronicorum lib. 7. cap. 16. ita ſcribit; *Igitur Romano Imperio multis modis in ſe attrito, Imperator propter Anathema deficere a ſe Regnum videns, patriſque metuens exemplum, congregato juxta Wormatiam maximo Principum Conventu, Inveſtituram Epiſcoporum Legato Sedis Apoſtolicæ Lamberto, qui poſtmodum Summus Pontifex factus, Honorius eſt dictus, reſignavit, per eumque ab Anathematis vinculo abſolutus eſt . . . . Abhinc Eccleſia, libertate ad plenum reſtituta, paceque ad integrum reformata, in magnum montem creviſſe ſub Calliſto Papa invenitur.*

D. Clarius, ſi placet, expone alteram Cauſam, ob quam, ut inſinuaſti, coactum eſt iſtud Concilium Generale Lateranenſe primum eam ſiquidem, ut candide fatear, necdum ſatis capio.

M. Cum Infideles, ſeu Saraceni Chriſtianos in Palæſtina duodecimo Eccleſiæ ſæculo multis cladibus afficerent, & ſuam in Hiſpania tyrannidem exercerent, *Calliſtus* II. Pontifex Maximus ad promovendas contra illos Chriſtiani nominis hoſtes Sacras Expeditiones, Concilium Lateranenſe Generale primum indixit, & Canone undecimo indulgentias, & remiſſionem omnium peccatorum his Chriſtianis conceſſit, qui *Hjeroſolymitanum vel Hiſpanicum iter ſuſcipiunt* ad Chriſtianam gentem defendendam, & tyrannidem Infidelium debellandam. Cardinalis *Joſephus de Aguirre* tomo 3. *Collectionis maximæ omnium Conciliorum Hiſpaniæ* pag. 33. refert ex *Diago* lib. 2. Hiſtoriæ *De Comitibus Barcinonenſibus* c. 103. literas *Calliſti* II. Papæ omnibus Epiſcopis, Regibus, & Principibus Hiſpaniarum datas ſtatim poſt Concilium Lateranenſe, in quibus eis ſignificat, ſe omnibus Chriſtianis adverſus Paganos Hiſpaniæ Eccleſias opprimentes militantibus eamdem peccatorum remiſſionem, quam Orientalis Eccleſiæ defenſoribus concedere, ſubditque: *Verum, quia exercitum veſtrum per nos, ut deſideramus, viſitare nequimus, chariſſimum fratrem noſtrum Oldegarium Tarraconenſem Archiepiſcopum, ad ipſum ex latere noſtro delegare curavimus, noſtras ei vices in hoc ſpecialiter committentes, ut ipſius conſilio & diſpoſitione corrigantur, & confirmanda, cooperante Domino, confirmentur. Si quæ vero dubia in exercitu eodem emerſerint, ipſius experientia terminentur.* Has litteras eruit *Diagus* ex Archivis Eccleſiæ Barcinonenſis, illaſque *Bollandus* ad diem VI. menſis Martii recitat in Vita Beati *Oldegarii*. Clariſſimus *Stephanus Baluzius* ad calcem XXI. capitis libri VIII. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis *Petri de Marca* Canones conditos in Concilio Generali primo Lateranenſi publicavit, & hac Nota Canonem undecimum illuſtravit: Hiſpanicum illud iter, inquit, cujus meminit hic Canon, non erat ſimplex peregrinatio religionis ergo, ſed ad exemplum *Urbani* II. qui belli ſacri in Oriente gerendi auctor fuit, ſucceſſores ejus bellum quoque ſacrum in Hiſpania fieri adverſus Saracenos decreverunt; eamdemque peccatorum indulgentiam euntibus ea de Cauſa in Hiſpaniam conceſſerunt, quæ Orientalis Eccleſiæ defenſoribus conceſſa fuerat in Concilio Claromontano. Nam in Archivo Barcinonenſi habetur Epiſtola *Calliſti* II. ad univerſos Chriſti fideles (data fortaſſis ex iſto Lateranenſi Concilio, cum ſit data Laterani IV. Nonas Aprilis) qua pugnantibus in Hiſpania adverſum Saracenos eamdem peccatorum remiſſionem concedit, quæ Orientalis Eccleſiæ defenſoribus concedi ſolet. At in Concilio Claromontano ſub *Innocentio* II. Papa celebrato, quod nondum editum eſt, mandatur incendiariis, quæ peſtis tunc in Occidente graſſabatur, ut Hieroſolymam, vel in Hiſpaniam pergant illic anno integro belligeraturi. Præterea extat in Archivo Regio Barcinonenſi

E.

Epiſtola *Hadriani IV.* qua *Raymundum* Comitem Barcinonenſem, totamque terram ejus, ſub Beati Petri, ac ſua protectione ſuſcipit, quamdiu pugnaverit contra Saracenos. At in Concilio habito apud Montem Peſſulanum in prima Narbonenſi anno MCXCV. cui præfuit Magiſter *Michael* Sedis Apoſtolicæ Legatus, ab uſurarum ſolutione ita liberantur illi, qui in Hiſpaniam pergunt, ut etiam fidejuſſores eorum cogi non poſſint ad earum ſolutionem. Hæc ad dilucidandum Concilii Generalis Lateranenſis primi Canonem undecimum, in quo altera hujus Concilii celebrationis cauſa exprimitur, obſervat eruditus *Baluzius*.

D. Quot Canones ad ſanciendam Diſciplinam Eccleſiaſticam edidit Concilium iſtud Generale Lateranenſe Primum?

M. Duos ſupra viginti Canones in Concilio Generali primo Lateranenſi conditos vulgatæ Conciliorum Editiones exhibent, ſed, ut obſervat *Baronius*, ſeptemdecim dumtaxat habentur in Codice Vaticano, qui continet Collectionem *Anſelmi*, & in veteri Codice MS. Monaſterii Anianenſis, in Diœceſi Monſpelienſi, ex quo illos eruit, ac Notis illuſtratos publica luce donavit *Baluzius*. Ipſe tamen ſecutus vulgatam Conciliorum Editionem, quæ duos ſupra viginti Canones recenſet, eorum ſynopſim, ac brevem præcipuorum expoſitionem hic ſubjiciam. Canon I. probibet, ne quiſquam per pecuniam in Eccleſia ordinetur & promoveatur, jubet, ut ſic ordinatus vel promotus acquiſita privetur dignitate. Ad compeſcendam Simoniam, quæ iis temporibus latiſſime graſſabatur, conditus eſt iſte Canon, qui tamen eorum, qui ſimoniace ordinati, aut promoti fuerant, irritam non declarat ordinationem ſumptam quantum ad ſubſtantiam, ſed tantum ſecundum illius executionem & exercitium. Canon ſecundus decernit, nullum in Præpoſitum, vel Archipresbyterum aſſumi poſſe, niſi Presbyterum: ſicut nec in Archidiaconum, niſi Diaconum. Hic Canon non eſt amplius in uſu, nam juxta hodiernam diſciplinam ſatis eſt, ut intra annum ſit Presbyter, qui eligitur ad dignitates quæ non niſi a Presbyteris haberi poſſunt (*a*). Canon tertius Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis concubinarum & uxorum contubernia penitus interdicit, aliarumque mulierum cohabitationem, præter matrem, ſororem, amitam, & materteram, aut alias hujuſmodi, de quibus juſte nulla poſſit ſuboriri ſuſpicio, ſicut jam ſtatutum fuit in Concilio Nicæno celebrato anno CCCXXV. Canon IV. vetat ſub pœna ſacrilegii Principibus, aliiſque laicis, ne rerum Eccleſiaſticarum, ſive poſſeſſionum diſpenſationem, ſive donationem ſibi arrogent. Canon quintus edicit, ne fiant conjunctiones conſanguineorum, quas divinis humaniſque legibus prohibitas ac infames eſſe declarat. Canon ſextus Ordinationes a *Burdino* Antipapa, aliaſque ab aliis Epiſcopis per ipſum conſecratis, mittit in irritum. Quod tamen, ut mox obſervavimus, intelligendum eſt de Ordinationibus, non quantum ad ſubſtantiam ſpectatis, ſed quantum ad earum executionem & exercitium. Canon VII. prohibet ſub pœna excommunicationis Archidiaconis, Archipresbyteris, Præpoſitis, & Diaconis, ne curam animarum, aut Præbendas ſine judicio vel conſenſu Epiſcopi conſerant. Canon Octavus Beneventanæ Civitatis, quæ tempore Schiſmatis multis incurſibus & invaſionibus patuerat, ſecuritati conſulit, & in eos, qui deinceps Beneventanam Beati Petri Civitatem invadere auſi fuerint, anathema vibrat. Canon nonus illos, qui a ſuis Epiſcopis excommunicati ſunt, ab aliis Epiſcopis, vel Abbatibus in Communionem non eſſe recipiendos ſtatuit. Canon decimus vetat, ne Epiſcopus, qui non eſt canonice electus, conſecretur ſub pœna depoſitionis tam conſecrantis, quam conſecrati. Canon undecimus Chriſtianis ad pugnandum contra Infideles Hieroſolymam, vel in Hiſpaniam pergentibus indulgentias concedit, eorumque familias & bona ſub Beati Petri & Eccleſiæ Romanæ protectione ſuſcipit, lato in invaſores & prædones anathemate. Hujus Canonis undecimi expoſitionem habes ex his, quæ ſuperius a nobis dicta ſunt. Canon duodecimus ſancit, ut *Porticanorum* ſine hæredibus morientium bona non pervadantur. Quid autem *Porticanorum* nomine, de quibus agit Canon ille duodecimus, intelligendum ſit? non convenit inter Scriptores. Alii quippe putant, Porticanos illos fuiſſe *Portuenſes*, ſive Romani portus incolas, quorum bona, ſi abſque liberis morerentur, Urbis Præfectus ſibi vindicabat. Sed hæc non mihi probatur ſententia, quia nunquam Oſtienſis portus incolæ in ullis Pontificum Conſtitutionibus aut Diplomatibus, fuerunt *Porticani* appellati, ſed ſemper *Portuenſes* ubique dicti. Quapropter ad illos libentius accedo, qui aſſerunt, per *Porticanos* intelligi peregrinos & advenas, qui in Romanæ urbis porticibus recipiebantur, & hoſpitabantur, ſicque *Porticani* a Porticibus vocabantur. Erant enim Romæ, ante Barbarorum vaſtationes & incendia, ingentes Porticus, in quibus peregrini recipiebantur & advenæ, teſte *Sigonio* in Hiſtoria Italiæ ad annum MCXLV. & illorum Peregrinorum his in Porticibus degentium, & ſine hæredibus morientium bona ſibi Urbis Præfectus adjudicabat. Quam pravam inolitam conſuetudinem hoc Canone XI. ſuſtulit & abolevit *Calliſtus II.* Hanc eſſe veram Porticanorum notionem, ſeu Etymologiam, conjecit *Dominicus Galeſius* Epiſcopus Rubenſis, ejuſque hac de re Obſervationem *Hierolexico* ſuo, ſeu ſacro Dictionario Romæ edito anno MDCLXXVII. inſeruerunt *Dominicus* & *Carolus Macri* fratres, verbo *Porticani* pag. 483. nec non *Odoricus Raynaldus* in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis ad annum MCXCVIII. Canon decimus tertius decernit, ut ſi quis Treugam, ſive inducias a privatis bellis auctoritate Eccleſiæ indictas fregerit, & ter monitus ſatisfacere contempſerit; Epiſcopus vel cum Metropolitani conſilio, aut cum duobus, aut cum uno vicinorum Epiſcopo, rebellem anathematis ſententia percellat, eumque per Scripturam Epiſcopis circumquaque denunciet. Porro, quid *Treugæ* nomine intelligendum ſit? jam ſatis ſuperque expoſuimus in Colloquio IV. in

Hi-

Digitized by Google

Hiſtoriam ſæculorum X. & XI. Canon decimus quartus inhibet ſub pœna anathematis, ne Oblationes Eccleſiis factæ a Laicis auferantur, & ne Eccleſiæ tanquam ſibi propriæ uſurpentur, aut in ſervitutem redigantur. Canon decimus quintus falſæ monetæ cuſores tanquam maledictos, & pauperum oppreſſores ac Reipublicæ perturbatores a Fidelium Communione removet. Decimus ſextus eadem pœna animadvertit in eos, qui peregrinis Romam, aut alia ſacra loca, devotionis ergo, adeuntibus moleſtiam intulerint, aut eos teloneorum, vel pedagiorum exactionibus vexaverint. Canon decimus ſeptimus interdicit Abbatibus, & Monachis, publicas imponere pœnitentias, infirmoſque viſitare, eis Sacramenta adminiſtrare, unctiones facere, & Miſſas publicas cantare, jubetque, ut Chriſma, & Oleum Infirmorum, Conſecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum ab Epiſcopis accipiant, in quorum Diœceſibus ſunt conſtituti. Canon decimus octavus in Parochialibus Eccleſiis Presbyteros ab Epiſcopis præfici mandat, ipſis de animarum cura reſponſuros; eos vero, qui decimas & Eccleſias a Laicis abſque Epiſcoporum conſenſu ſuſceperint, canonicæ ſubjicit ultioni. Canon decimus nonus ſervitia, ſeu contributiones, quas Monaſteria, aut eorum Eccleſiæ a tempore Gregorii VII. Epiſcopis præſtare conſueverant, confirmat; poſſeſſiones Eccleſiarum triceunales, Abbates, & Monachos habere prohibet. Canon vigeſimus anathemate ferit illos, qui Eccleſiis, earumque bonis ac perſonis, ſcilicet Clericis, Monachis, Converſis, Oratoribuſque negotium faceſſunt. Canon vigeſimus primus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicit, contracta dirimit, & contrahentes, juxta Canones, puniendos eſſe decernit. Poſtremus Canon alienationes Poſſeſſionum Ravennatis Exarchatus, & generaliter omnes alias bonorum Eccleſiaſticorum quocumque modo, & a quocumque factas damnat & irritas reddit, Ordinationeſque ab Epiſcopis ſeu intruſis, ſeu Canonice electis, abſque communi Clericorum Eccleſiæ conſenſu, ſive per ſimoniam factas, pariter irritas declarat, non quidam quantum ad Ordinis characterem, ſed quoad executionem, locum, exercitium & Ordinis Privilegia, quibus carere furtim, aut ſimoniace ordinatos decernit Sancta Synodus. Extant iſti Canones viginti duo cum Notis *Baluzii*, & Acta Concilii a *Binio* undique congeſta Tomo X. Conciliorum pag. 891.

(*a*) „ In ſecundo canone, Codex MS. Piſto- „ rienſis, a me in ſupplemento ad Labbeana „ Concilia tom. 2. pag. 355. productus, habet; „ *nullus in Decanum niſi presbyter vel Diaconus* ... „ *ordinetur*; cum in editis deſit; *vel Diaconus*. „ In canone XVI. ubi ſecuritati peregrinantium „ ad Sacra Romanæ Urbis loca providetur; ca- „ vetur etiam ne indebitis teloneis graventur; „ in eodem codice additur *mercatores* graventur. „ Canon XIII. qui a P. Martene vet. Monum. tom. „ VII. vulgatur, & in editis deeſt, in hæc ver- „ ba proponitur: *Quidquid vero de pace, & treuia Dei, de incendio, ſeu de publicis ſtratis ab anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus conſtitutum eſt, nos Sancti Spiritus auctoritate confirmamus*. Additur ibi canon alius, latus, ut arbitror, occaſione contentionis in eo Concilio ſuſcitatæ inter Epiſcopos, & Monachos; de qua Gattola Hiſt. Caſ. to. 1. pag. 343. Queſti enim fuerunt in publica Synodo Epiſcopi de Monachis, quod auctoritati Epiſcoporum plurium ſuis privilegiis detraxerint. Sed Calliſtus, ut ibidem dicitur, Caſinenſe Cœnobium illud, *cum omnibus attinentiis ſuis immune ab omnium mortalium jugo* declaravit. Ut tamen aliquid Epiſcopis daret, declaravit, atque edixit, in can. a Martene vulgato, ut Monachi *propriis Epiſcopis ſubjecti exiſtant, & eis, uti magiſtris & Eccleſiæ Dei Paſtoribus debitam obedientiam & ſubjectionem omnibus exhibeant*. „

D. Quandonam? & quibus de cauſis celebratum fuit Concilium Lateranenſe Generale ſecundum?

M. Concilium Lateranenſe ſecundum, quod inter Œcumenica decimum numeratur, habitum fuit anno MCXXXIX. eique mille circiter Patres interfuerunt, ut Abbas Uſpergenſis in Chronico, *Otto Friſingenſis* aliique Scriptores ſæculi XII. teſtantur. Ob tres præſertim cauſas fuit convocatum illud Concilium. Primo, ut omnino aboleretur ſchiſma *Petri Leonis* Antipapæ, qui dictus eſt *Anacletus* II. Secundo, ut errores *Petri de Bruis*, & *Arnaldi de Brixia* ejus diſcipuli proſcriberentur; denique, ut ad priſtinum vigorem reſtitueretur Diſciplina Eccleſiaſtica, quæ occaſione diuturni ſchiſmatis erat collapſa. Quod primum caput ſpectat, Concilium Lateranenſe ſecundum, ſublato jam e vivis *Petro Leonis*, ſeu *Anacleto* II. Antipapa, Paceque, per *Victoris* alterius Antipapæ ceſſionem, Eccleſiæ reddita, Acta *Petri Leonis* pſeudo-Pontificis reſcidit, & Ordinationes ab ipſo factas miſit in irritum Canone XXX. cujus hæc ſunt verba: *Ad hæc Ordinationes factas a Petro Leonis, & aliis ſchiſmaticis & hæreticis evacuamus, & irritas cenſemus*. Qui Canon quomodo intelligendus ſit, docet Chronographus Mauriniacenſis in Chronico pag. 382. & ſeq. ubi *Innocentium II.* in hac Synodo Œcumenica ſic loquentem inducit: *Et quicumque per Girardum Engoliſmenſem*, qui ſtabat a partibus *Petri Leonis* Antipapæ, *ad altaris Officium acceſſerunt, Apoſtolica auctoritate interdicimus, ne ipſum impleant, & in illo ordinis gradu perenniter demorantes ad ſuperiorem non aſcendant*. Quibus verbis haud obſcure innuit *Innocentius II.* Pontifex Maximus, ſe Ordinationes a *Petro Leonis* Antipapa, & ab aliis Schiſmaticis factas non irritas declaraſſe quantum ad ſubſtantiam, ſicut Theologi de ſchola loquuntur, ſeu quantum ad characterem; ſed ſolum, ut ſuperius obſervavi, quoad executionem, locum, exercitium & ordinis privilegia. Quapropter, falſo *Gratianus*, & *Petrus Lombardus* Magiſter ſententiarum hunc Canonem XXX. Concilii Lateranenſis ſecundi expo-

Digitized by Google

exponunt de Ordinationibus quantum ad ſubſtantiam & characterem. Docent quippe communiter Theologi, Ordinationes factas non ſolum ab Epiſcopis Catholicis, ſed etiam ab hæreticis, excommunicatis, ſuſpenſis & degradatis imprimere characterem, ac ſubinde iterari haud poſſe, & ea de cauſa explodunt ſententiam Patris *Joannis Morini* Congregationis Oratorii doctiſſimi Presbyteri, qui in ſuo libro *de Ordinatione* multa exempla & Monumenta Eccleſiaſtica adducit, ex quibus evinci putat, Ordinationes ab Epiſcopis hæreticis, vel ſchiſmaticis factas, in his, qui ejurata hæreſi, vel relicto ſchiſmate ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redibant, fuiſſe iteratas, ſicut jam obſervavimus in Colloquio II. in hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi agendo de Ordinationibus *Formoſi* Papæ. Quod attinet ad errores *Petri de Bruis & Arnaldi de Brixia*, quos in ſuperiori Colloquio recenſuimus, Concilium Lateranenſe ſecundum illos confixit Canone XXIII. his verbis: *Eos, qui religioſitatis ſpeciem ſimulantes, Domini Corporis & Sanguinis Sacramentum, Baptiſmum puerorum, Sacerdotium, & cæteros Eccleſiaſticos Ordines, & legitima damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Eccleſia Dei pellimus, & damnamus, & per poteſtates exteras coerceri præcipimus. Defenſores quoque ipſorum ejuſdem damnationis vinculo innodamus.* Præter duos iſtos Canones, in quibus Ordinationes a *Petro Leonis* Antipapa, & ab aliis ſchiſmaticis factæ, irritæ, iu ſenſu mox a me expoſito, declarantur, & graſſantes id temporis Petrobuſianorum, atque *Arnaldi de Brixia* errores proſcribuntur, alios viginti octo Canones pro reſtauratione Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Sancta Synodus Œcumenica Lateranenſis ſecunda condidit, quibus diſſolutos hominum mores emendare graveſque abuſus, quos diuturnum ſchiſma in Eccleſiam invexerat, radicitus extirpare voluit. Tunc enim, ut obiter dicam, nec conditi olim Canones executiòni mandabantur, ſimonia, Clericorum incontinentia, bellorum privatorum, ludorumque gladiatoriorum furor, conſanguineorum connubia, Beneficiorum abſque canonica inſtitutione poſſeſſio, Monachorum, & Sanctimonialium laxara regularis diſciplina, inſatiabilis fœneratorum rapacitas, extincti Pœnitentiæ ritus, aliaque id genus teterrima mala faciem Eccleſiæ miſerum in modum deturpabant. Ut igitur tot exundantibus malis præſentiſſimum adhiberetur remedium, Synodus Generalis Lateranenſis ſecunda viginti octo edidit Canones qui una cum duobus aliis modo a me relatis, qui ſchiſmaticorum, & hæreticorum damnationem continent, extant. Tomo X. Conciliorum p. *999*. Inter illos XXVIII. Canones, qui morum reformationem, & Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, quatuor præcipuæ notabiles ſunt, quos hic breviter exponam. Canon duodecimus eſt *de treuga & pace*, ſeu de induciis a bellis privatis, injuriis, & deprædationibus quæ tum temporis, ut jam obſervavimus, impune fieri ſolebant. Cum enim Eccleſia horumce privatorum bellorum furorem nullo pacto ſiſtere poſſet, quædam veluti repagula & obices ad ea ſuſpendenda appoſuit. Hinc quamvis Concilium Oecumenicum Lateranenſe ſecundum præcipiat Canone undecimo, ut Presbyteri, Clerici, Monachi, peregrini, mercatores, & ruſtici omnes euntes & redeuntes in agris cum bobus, equis aratoribus, ac, ovibus omni tempore ſecuri ſint, nulliſque bellis privatis impetantur, injuriſque afficiantur; attamen idem Concilium Lateranenſe Canone duodecimo erga alios *treugam* tantum, ideſt, inducias aliquot dierum imperat, ſcilicet a die mercurii uſque ad diluculum diei lunæ ſubſequentis, & ab Adventu Domini uſque ad octavam Epiphaniæ, & a quinquageſima uſque ad octavam Paſchæ, ita ut excommunicatione mulctarentur pacis & treugæ violatores, & ad reſarciendum damnum, quod læſis intulerant, cogerentur. Quo tempore hæc treuga, ſeu a bellis privatis ſuſpenſio, primum in uſum vocata fuerit, jam oſtendimus in Colloquio quarto, in Hiſtoriam ſæculorum X. & XI. nunquam tamen Eccleſia hanc treugam, ſeu pacem ad certum dumtaxat tempus præfixam ſua auctoritate approbavit, ſed ea ſolum prudentis œconomiæ cauſa toleravit, cum privata bella omnino tollere haud poſſet, ſicut teſtatur *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus in Epiſtola XC. ad *Daimbertum* Senonenſem Archiepiſcopum his verbis: *Trevia Dei non eſt communi lege ſancita, pro communi tamen utilitate hominum, ex placito & pacto civitatis ac patriæ Epiſcoporum & Eccleſiarum, ut noſtis, eſt auctoritate firmata. Unde judicia violatæ pacis modificati oportet ſecundum pacta & definitiones, quas unaquæque Eccleſia conſenſu Parochianorum inſtituit, & per ſcripturam, vel bonorum hominum teſtimonium memoriæ commendavit.* Bella iſta privata a Sancto *Ludovico* Galliarum Rege vetita fuerunt, ſed cum revixiſſent, *Philippus* IV. Galliarum itidem Rex Conſtitutione ſua Toloſæ edita in perpetuum ea prohibuit, anno milleſimo trecenteſimo tertio.

Canou decimus tertius Concilii Oecumenici Lateranenſis II. prohibet uſuram tanquam Veteri & novo Teſtamento damnatam, & fœneratores *ab omni Eccleſiaſtica conſolatione* ſequeſtrat, præcipitque, ut *niſi cum ſumma cautela*, hoc eſt, niſi poſt factam reſtitutionem, non abſolvantur, & ad communionem recipiantur, ſed *in tota vita infames habeantur, & niſi reſipuerint, Chriſtiana ſepultura priventur*. Ex quo Canone, qui nullam in uſuræ prohibitione exceptionem appoſuit facile colligere potes, tam a paupere, quam a divite aliquid ultra ſortem accipere peccatum eſſe, quamvis tamen uſuram a pauperibus exigere gravius peccatum ſit & immanius, quam a divitibus, non ſecus ac furari pauperibus gravius ac crudelius eſt, quam divitibus; licet utrumque, nemine refragante, peccatum ſit. Nec audiri debet *Molinæus*, Auctor damnatus, qui abnormes & immenſas uſuras jure quidem divino prohibitas eſſe fateretur, ſed non mediocres, ſeu vulgares illas uſuras, quas fœneratores, pecunia minime abalienata, certum ex ea redditum

tum

Digitized by Google

tum capiunt. Hanc quippe *Molinæi* ſententiam ſcripturæ ſacræ, canonibus Conciliorum & conſtanti SS. Patrum doctrinæ e fronte oppoſitam eſſe aperte demonſtrant Theologi purioris Chriſtianæ Moralis doctrinæ cultores, qui etiam tejiciunt frivolas quaſdam argutias, & nefarias exceptiones, quibus ad purgandam uſuram nonnulli molliores olim Caſuiſtæ ſacris Eccleſiæ legibus ludificari tentarunt.

Canon XXII. definit, falſis pœnitentiis animas decipi, & in infernum pertrahi. Quæ autem falſa ſit pœnitentia, docent Patres iſtius Concilii his verbis: *Sane, quia inter cætera unum eſt, quod ſanctam maxime conturbat Eccleſiam, falſa videlicet pœnitentia; Confratres noſtros & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cum ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur; aut cum ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio . . . . Falſa etiam ſit pœnitentia, cum pœnitens ab Officio vel Curiali, vel Negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet, aut ſi odium in corde geſtetur, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfiat, aut ſi offendenti offenſus non indulgeat, aut ſi arma quit contra juſtitiam gerat.* Hunc canonem Confeſſarii, aliique, quibus incumbit cura animarum, ſemper præ oculis habere, & circa falſas Laicorum pœnitentias diligenter invigilare deberent, ne nimia abſolvendi facilitate falſam & perniciosam peccatoribus pacem largiantur, ſibique æternam damnationem accerſant.

Canon vigeſimus nonus ſub anathemate prohibet, ne Balliſtariorum, & Sagittariorum artes adverſus Chriſtianos exerceantur. Quinam autem eſſent Balliſtarii,& Sagittarii, explicat *du-Cangius* in ſuo Gloſſario, ubi ait, Balliſtarios, & Sagittarios fuiſſe homines, qui conducti ad privata illa certamina, quorum ſuperius mentionem fecimus, balliſtis, & ſagittis utebantur. Sed hæc ad expoſitionem illorum Canonum Concilii Œcumenici Lateranenſis ſecundi dicta ſufficiant. Nunc continenti ordine ea, quæ in Concilio Generali Lateranenſi tertio geſta ſunt, compendioſa narratione proſequi juvat.

D. Quis convocavit Concilium Generale Lateranenſe tertium, & quid in eo præcipue actum ac definitum eſt?

M. Cum *Fridericus I.* Imperator ſchiſma, quod in Eccleſia excitaverat, ejuraſſet, jamque pacato bello, & extincto ſchiſmate, *Alexander III.* toto orbe Chriſtiano legitimus Pontifex coleretur, celebrata eſt Romæ ab eodem Summo Pontifice anno MCLXXIX. Synodus Generalis Lateranenſis tertia, quæ eſt inter Œcumenicas undecima. Ei præfuit *Alexander III.* qui eam convocaverat, & adfuerunt trecenti Epiſcopi, teſte *Willelmo* Archiepiſcopo Tyrio lib. 21. *de Bello ſacro* cap. 25. Decem ſupra trecentos Epiſcopos huic Synodo interfuiſſe aſſerit quidem *Matthæus Pariſius* in Hiſtoria Anglorum ad annum MCLXXIX. Sed *Willelmo* Tyrio Archipræſuli, qui erat unus e Patribus, potior fides adhiberi debet.

Graveſ. Hiſt. Tom. IV.

Tria in hac Synodo Generali ſtatuta ſunt. Primo, ad futura deinceps in electione Romanorum Pontificum vitanda ſchiſmata, decretum eſt, Summi Pontificis electionem non fore poſthac Canonicam, niſi duas Cardinalium partes ad eam conſpiratent. Irritæ, quo ad uſum & exercitium, non quantum ad ſubſtantiam & characterem, declaratæ ſunt omnes Ordinationes a ſchiſmaticis pſeudo Pontificibus *Octaviano*, *Guidone*, & *Joanne* factæ, & Proviſiones ad Beneficia ab ipſis impetratæ omnino reſciſſæ ſunt. Secundo, damnatę ſunt Waldenſium, Catharorum, & Albigenſium hęreſes, quę tum temporis in Occitania & Aquitania latiſſime graſſabantur. Poſtremo, cum occaſione ſchiſmatis, quod per viginti & amplius annos duravit, ſerperet in Eccleſiis & Monaſteriis ſimoniaca labes, in Clericis faſtus & avaritia, in Laicis Uſurarum vorago, in beneficiorum collationibus injuſtitia, ideo ad reparandum luxatum Eccleſię Statum, & ad reſtaurandam labefactatam his abuſibus Eccleſię Diſciplinam viginti ſeptem conditi ſunt Canones, qui una cum Actis illius Synodi a *Binio* undique collectis extant Tomo X. Conciliorum pag. 1503. Delata eſt a quibuſdam in iſto Concilio Lateranenſi Generali tertio accuſatio adverſus *Petrum Lombardum* Epiſcopum Pariſienſem, quod ſcripſiſſet, Chriſtum, ſecundum quod eſt homo, non eſſe aliquid. Paucis annis ante celebrationem hujus Concilii, Magiſter *Gualterus* Prior Sancti *Victoris* Pariſienſis, inſignis Theologus, *Petrum Abaelardum*, *Petrum Lombardum*, *Petrum Pictavinum* ejus diſcipulum, & *Gilbertum* Porretanum hæreſeos inſimulaverat, quod nimirum Trinitatis, cęteraque divina Myſteria Ariſtotelicis regulis & præceptis explicare præſumerent, & contra eos quatuor libros compoſuerat, qui, ut obſervat *Bulæus* Tomo 2. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, extant adhuc MSS. in duobus exemplaribus aſſervatis Pariſiis in Bibliotheca Sancti *Victoris*, quorum prologus ſic incipit: *Quiſquis hoc legerit, non dubitabit quatuor labyrinthos Franciæ, ideſt, Abaelardum, & Lombardum, Petrum Pictavienſem, & Gilbertum Porretanum uno ſpiritu Ariſtotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis ſcholaſtica levitate tractarent, multas hæreſes olim vomuiſſe, & adhuc errores pullulare.* Dein, idem *Gualterus* in his libris citatam illam propoſitionem *Petri Lombardi*, aliaſque ejuſdem Auctoris pluribus refellit argumentis. Nihil tamen adverſum *Petrum Lombardum* in Concilio Generali Lateranenſi tertio decretum ac definitum eſt, ſed tantum *Alexander III.* Pontifex Maximus ad *Willelmum* ab Eccleſia Senonenſi ad Remenſem translatum ſcripſit Epiſtolam, quam laudatus *Gualterus* refert his verbis conceptam: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei Willelmo Archiepiſcopo Remenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Chriſtus perfectus Deus, perfectus ſit homo, mirum eſt, qua temeritate quiſquam audet dicere, quod Chriſtus non ſit aliquid ſecundum quod eſt homo. Ne autem tanta poſſit in Eccleſia Dei*

L di-

Digitized by Google

dici abuſio ſuboriri , vel error induci ; Fraternitati tuæ Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus convocatis Magiſtris ſcholarum Pariſienſium & Remenſium , & aliorum circumpoſitarum Civitatum auctoritate noſtra ſub anathemate interdicat , ut quis de cætero dicere audeat , Chriſtum non eſſe aliquid ſecundum quod homo eſt . Quia ſicut verus Deus , ita verus eſt homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens . Datum XII. Kal. Martii. Hic *Willelmus* , ad quem *Alexander III.* ſuam poſt celebrationem Concilii Generalis Lateranenſis tertii direxit Epiſtolam, fuit primum Epiſcopus Carnotenſis, & Archiepiſcopus Senonenſis , poſtea an. MCLXXVI. ab Eccleſia Senonenſi ad Remenſem traslatus eſt , & in Concilio Generali Lateranenſi tertio , cui interfuit , Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ creatus eſt . Hinc in Gallias reverſus , ſevere animadvertit in hæreticos dictos *Coterellos* , quos Œcumenica Synodus Lateranenſis , tertia damnavit , eoſque detectos flammis addici juſſit, ſicut refert Chronographus Aquicinctinus ad Annum MCLXXXIII. his verbis : *Tranſactis diebus Nativitatis Dominicæ Willelmus Remenſis Archiepiſcopus , Comes Flandriæ Philippus in civitate Atrebatenſi de ſecretis ſuis locuturi conveniunt . Ibi multarum hæreſum fraudes per quamdam mulierem in terra Comitis ſunt detectæ . Iſti hæretici nullius hæreſiarchæ muniuntur præſidio . Quidam dicunt illos Manichæos , alii Cataphryges , nonnulli vero Arianos , Alexander autem Papa vocat eos Paterinos . Sed quidquid ſint , oris proprii confeſſione convicti ſunt hæretici immundiſſimi . Multi ſunt in præſentia Archiepiſcopi & Comitis , accuſati , nobiles , ignobiles, Clerici , milites , ruſtici , virgines , viduæ , uxoratæ . Tunc decretalis ſententia ab Archiepiſcopo , & Comite præfixa eſt , ut deprehenſi incendio traderentur ; ſubſtantiæ vero eorum Sacerdoti & Principi reſignarentur .*

D. Quem errorem profitebantur iſti *Coterelli* , quos damnavit Synodus Generalis Lateranenſis tertia ? & quorſum eo nomine fuerunt appellati ?

M. Synodus Generalis Lateranenſis tertia poſtquam Canone vigeſimo ſeptimo, qui ultimus eſt, damnavit hæreticos Waldenſes, & Albigenſes his verbis : *Quia in Guaſconia , Algibeſio , & partibus Toloſanis , & aliis locis , ita hæreticorum , quos alii Catharos , alii Patarenos , alii Publicanos , alii aliis nominibus vocant , invaluit damnata perverſitas ...... eos , & defenſores eorum , & receptores anathemati decernimus ſubjacere &c.* Subdit poſtea . *Brabantionibus , & Aragonenſibus , Navarris , Baſcolis , Coterellis , & Triaverdinis , qui tantam in Chriſtianos immanitatem exercent , ut nec Eccleſiis , nec Monaſteriis deferant .... ſimiliter conſtituimus , ut qui eos conduxerint , vel tenuerint , foverint per regiones , in quibus taliter debacchantur , in Dominicis & ſolemnibus diebus per Eccleſias publice denuncientur , eadem omnino ſententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur adſtricti .* Obſervat *Cibenartus* in Notitia Gaſconiæ lib. 3. per *Baſcolos* , ſeu *Baſclos* deſignari *Vaſcos* . Alii tamen exiſtimant , *Baſcolos* fuiſſe eos populos , quos Galli vulgo appellant *Les Baſques* . Illuſtriſſimus dominus *De Marca* in ſua Hiſtoria Bearnenſi cenſet , *Coterellos* , quorum meminit canon vigeſimus ſeptimus Concilii Generalis Lateranenſis tertii , fuiſſe prædones ita dictos, quod majoribus cultellis eſſent armati , quos Toloſani vulgo *Coterels* vocant . Denique *Triaverdini* , ſeu potius *Trimellini* , ut legendum monet *Cangius* in ſuo Gloſſario , erant itidem prædones ita appellati , quod pugionibus , quibus triplex lamella , ſeu lamina ferrea erat , ad trucidandos homines uterentur . Hos itaque nefarios prædones Waldenſium , & Manichæorum erroribus infectos , qui ex Belgio, ſeu Brabantia , Aragonia , Navarra , & ex Occitania certatim erumpentes in omnes Chriſtianos promiſcue ſæviebant , & more Paganorum omnia perdebant atque vaſtabant , damnat canon vigeſimus ſeptimus Concilii Generalis Lateranenſis tertii , ac diſtricte vetat , *ne ad Communionem Eccleſiæ recipiantur , niſi ſocietate illa peſtifera & hæreſi abjuratis .*

D. Quid ad Diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurandam ſanxit hæc Synodus Œcumenica Lateranenſis tertia ?

M. Jam obſervavimus , viginti ſeptem Canones a Synodo Generali Lateranenſi tertia conditos fuiſſe , quorum multi ſpectant Diſciplinam Eccleſiaſticam , quæ id ætatis occaſione ſchiſmatis , quod diu afflixerat Eccleſiam , cum haud parum labefactata eſſet, ſanctiſſimis legibus munita, ac reſtaurata fuit. Vigebat antehac in Eccleſiis & Monaſteriis ſimonia , dominabantur in Eccleſiaſticis avaritia & faſtus, uſuras Laici impune exercebant , perverſus erat judiciorum Eccleſiaſticorum ordo , juvenes & indigni Beneficiis præficiebantur , ſicut conqueritur S. *Bernardus* in Epiſtola XLII. ad *Henricum* Senonenſem Archiepiſcopum his verbis : *Scholares pueri , & impuberes adoleſcentuli , ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates , & de ſub ferula transferuntur ad principandum preſbyteris &c.* Denique, apud Clericos ſpiritualis polygamia , ſeu Beneficiorum pluralitas latiſſime graſſabatur. His, aliiſque id genus in perniciem Eccleſiæ gliſcentibus malis opportunum ac præſentiſſimum cum ſacra Synodo Œcumenica *Alexander* III. Pontifex Maximus adhibuit remedium , multis canonibus eum in finem conſtitutis , quarum præcipuos hic referemus . In primis , canone tertio *Alexander* III. & Concilii Lateranenſis Patres ſanciunt , ut , juxta canones , nemo Epiſcopus ordinetur , niſi trigeſimum ætatis annum , Decanus, Archidiaconus , Curatus &c. niſi qui vigeſimum quintum attigerit, ac moribus & ſcientia ſit commendatus. Qua ſanctione ſublata eſt illa corruptela , quæ erat ſæculo duodecimo frequens, & in quam non ſolum S. *Bernardus* jure ac merito invehitur , ſed eam etiam in *Rogerio* Eboracenſi Archiepiſcopo acriter perſtringit , *Guillelmus Neubrigenſis* lib. 3. *de Rebus Anglicis* cap. v. his verbis : *Pro perſonis* , inquit , *ſpectabilibus , quibus tamquam quibuſdam monilibus Eboracenſis olim refulſit Eccleſia , titulavit imberbes , & quoſdam agentes ſub ferula , aptos magis pro ætate*

ædifi-

Digitized by Google

ædificare caſas, & ploſtello adjungere mures, ludere par impar, equitare in arundine longa, quam perſonas gerere in Eccleſia Magnatum.

Quartus Canon prohibet, ne Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi & Decani ſubditos gravent in viſitationibus, permittit tamen Archiepiſcopo in viſitatione quinquaginta equos; Cardinalibus viginti quinque; Epiſcopis viginti. Sed ne inde prælati aliquam mundano ſumptui, & fæculari pompæ auctoritatem conciliarent, ſubdit idem canon, id permitti non tanquam rem licitam, ſed dumtaxat ſecundum *tolerantiam*, & in his tantum locis in quibus ampliores ſunt redditus, & Eccleſiæ facultates.

Quinto canone edicitur, ne quis in Presbyterum, aut Diaconum ſine certo titulo ordinetur, & ut Epiſcopus ei, quem abſque titulo ad ordines promovit, ſuppeditet ad vitam neceſſaria, niſi ordinato hæreditariæ facultates vel ex patrimonio, vel ex propriis bonis ad honeſte vivendum ſuppetant.

Canon ſextus agit de Appellationibus, vetatque Monachis, cæteriſque Religioſis ne appellent a ſui Prælati correctione. Canon ſeptimus prohibet, ne quid exigatur pro Epiſcoporum, Abbatum, aliarumque perſonarum benedictione, ſicut nec pro ſepulturis, exequiiſque defunctorum, aut nubentium benedictionibus. Si quid ergo, ſecundum piam conſuetudinem, in Chriſtianorum funeribus exigit Eccleſia, eleemoſyna eſſe debet pro redemptione peccatorum imperata, non vero pretium pro loco, vel ſpatio ſepulturæ. Octavo Canone damnantur Gratiæ Expectativæ, ſeu inhibetur, ne ulla promittantur, vel conferantur Beneficia Eccleſiaſtica, antequam vacent, ne deſiderare quis mortem proximi videatur. Nonus Canon quædam privilegia Templariis, & Hoſpitalariis S. *Joannis* Hieroſolymitani, aliiſque viris Religioſis auctoritate Apoſtolica conceſſa moderatur. Canone decimo pretii exactio pro ingreſſu Religionis & peculium Monachis & Religioſis quibuſque viris prohibentur. Non vetat tamen iſte canon, quin ille, qui in Monaſterium eſt admittendus, quidpiam det in eleemoſynam, modo exacta non fuerit ejuſmodi eleemoſyna, & aliunde conſtet Monaſterium eſſe tenue, ſicut poſt Sanctos *Thomam*, *Bonaventuram*, & *Raymundum* evincit *Joannes Cabaſſutius* in Diſſertatione, quam *De ſimoniaco in Religionem ingreſſu* edidit in *Notitia Eccleſiaſtica* pag. 458. & ſeqq. Canon undecimus continentiam Clericis imperat, & ut mulierculas ex ædibus ſuis ejiciant; Officium alioqui & Beneficium Eccleſiaſticum amiſſuri. Canone duodecimo prohibetur Clericis, ne ad ſæcularia tribunalia cauſas agant, niſi proprias, vel Eccleſiæ, & ne litium procurationes ſuſcipiant, niſi pro miſerabilibus forte perſonis, & ex charitate; & ne Villarum procurationes, aut juriſdictiones ſæculares aſſumant, quia hoc eſt contra doctrinam Apoſtoli dicentis: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Canon decimus tertius & decimus quartus Beneficiorum pluralitatem prohibent, & Beneficiariis reſidentiam imperant. Canon decimus quintus Eccleſiaſtica Bona a Beneficiatis acquiſita, eorum poſt obitum, ad hæredes tranſire vetat, ſed penes Eccleſiam remanere jubet. Ex quo Canone facile colligitur, Clericos non habere dominium in Eccleſiaſticos redditus, ac ſubinde, ad reſtitutionem in foro interiori cogendos eſſe Clericorum hæredes.

Denique, cætera, quæ Canonibus 20. 21. 23. & 25. de Torneamentis, treugis, ſeu pace ſervanda, & de publicis uſurariis decernuntur, jam ſatis ſuperque explicuimus agendo de Canonibus Concilii Generalis Lateranenſis ſecundi. Hic tantum obiter advertere debes, *Torneamenta*, quæ Canone vigeſimo exerceri diſtricte prohibentur, nihil aliud fuiſſe, quam privata quædam certamina, ſeu gladiatorias pugnas, quas milites ex condicto & ad virium oſtentationem in nundinis, vel certis quibuſdam feriis temere committebant. Hæc itaque torneamenta prohibet, & eos, qui in hujuſmodi congreſſibus moriebantur, ſepultura privandos eſſe ſancit hujus Concilii Lateranenſis Canon vigeſimus, qui inſertus eſt lib. v. Decretalium Titulo XIII. capite *Felicis memoriæ*.

„ (*a*) Anonymus Zwetlenſis apud Pez anec-
„ dot. t. I. p. III. in ſua hiſtoria Pontificia, ali-
„ quot hujus Concilii canones produxit, in qui-
„ bus nonnulli deſunt in editis, ut ille, quo pri-
„ vandus ab officio & beneficio edicitur Sacerdos
„ dotem Eccleſiæ vel decimas alienans. Canon
„ XXV. anathemati addicit uſurarios; tum vetat,
„ ne in Religionem recipiantur, niſi reſtituant,
„ ſi poſſunt. Id equidem reſpondet Canoni XXV.
„ in editis, ſed nihil ibi de vetito in Religionem
„ ingreſſu. Tum alio canone injungitur ne Sa-
„ cerdos fiat, niſi filius legitimus. Tum pariter
„ in Bulla recitata in Anecdot. Martene pag.
„ 630. ex hoc Concilio laudat Clemens III. ne
„ Monachi aut etiam Canonici Regulares ſingu-
„ li in oppidis vel aliis locis popularibus habi-
„ tent. Id vero de Canonicis Regularibus in edi-
„ tis non legitur. Demum ex codice quodam
„ vulgatæ a P. Martene Vet. Mon. t. VII. pag.
„ 78. habentur ſubſcriptiones Epiſcoporum mul-
„ to correctiores quam leguntur in editis. Vide
„ Supplem. meum ad Concilia tom. II. pa-
„ gin. 686.

D. De tribus Oecumenicis Conciliis Lateranenſibus, quæ Romæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo fuerunt convocata, ſatis hactenus diximus, nunc recto tramite veniamus ad Concilia Provincialia, ſeu Nationalia, quæ eodem ſæculo tum ad dirimendas enatas controverſias, tum ad extirpandas hæreſes & ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam variis in locis fuerunt celebrata. Ut autem in his recenſendis Conciliis aliquem ordinem teneamus, ab his, ſi placet, initium ſumamus, in quibus de celebri illa *Inveſtiturarum* controverſia, actum eſt.

M. Bene multa occaſione Controverſiæ *Inveſtiturarum* ſæculo XII. habita ſunt Concilia Nationalia, quæ hic juxta Ordinem Chronologicum exhibebo. In primis, anno MCII. *Paſcha-*

Digitized by Google

lis II. Pontifex Maximus Concilium Nationale Lateranenſe primum indixit, in quo in *Henricum* Imperatorem hujus nominis III. qui non ſemel ob Inveſtituras, quas ſibi arrogabat, excommunicatus ad cauſam dicendam Romam non venerat, ſententia excommunicationis iterum lata eſt. Ad prohibendas itidem Inveſtituras idem Summus Pontifex coegit Romæ Concilium Lateranenſe ſecundum anno MCV. in quo Inveſtiturarum in Anglia fautores ſententia excommunicationis perculit, videlicet tam *Henrici I.* Angliæ Regis Conſiliarios, qui ei ad Inveſtituras retinendas auctores erant, quam illos, qui a Rege hoc modo fuerant inveſtiti. At iſtud Inveſtiturarum negotium, quod Anglicanam diu turbavit Eccleſiam, ac cauſa fuit graviſſimi diſſidii, quod *Henricum* I. Angliæ Regem inter & S. *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum exarſit, prudenter tandem compoſitum fuit a *Paſchali II.* qui permiſit *Anſelmo*, ut eos, qui a Rege Inveſtituras acceperant, aut inveſtitos conſecrarant, aut Hominia fecerant, præmiſſa ſatisfactione ſuſciperet, ac nondum conſecratos, niſi aliud intercederet impedimentum, inauguraret. Regi vero permiſit idem Summus Pontifex, ut Hominia ſecundum Regni conſuetudinem fierent, modo ſolemnem Inveſtituram per Annulum & Baculum dimitteret. Decretis *Paſchalis* II. morem geſſit *Henricus* I. Angliæ Rex, cum Sancto *Anſelmo* concordiam iniit, & Eccleſiæ Anglicanæ diu optatam pacem ac tranquillitatem inſtituit anno MCVI. Longe aliter ſe geſſit *Henricus* inter Imperatores hujus nominis tertius. Is quippe Decretis Sedis Apoſtolicæ parere, & Inveſtituras dimittere cum pertinaciter detrectaret, in frequenti tum Epiſcoporum, tum Optimatum Moguntino Conventu habito anno MCV. præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, depoſitus eſt, ejuſque filius *Henricus* omnium Germaniæ Procerum calculo ad Imperium fuit evectus, cui proinde Imperii Inſignia, Crucem videlicet, Lanceam, Sceptrum, Globum, & Coronam, volens nolens, *Henricus* ſenior tradere coactus eſt. Interim, *Paſchalis* II. Pontifex Maximus, in damnandis Inveſtituris ſibi ſemper conſtans, celebravit anno MCVI. Guaſtallæ, quæ Villa eſt in Longobardia ad ripam Padi fluminis, Synodum cum diverſarum Provinciarum Epiſcopis, præſentibus etiam *Henrici* inter Imperatores hujus nominis IV. Legatis, in qua Inveſtituras a Laicis fieri omnino prohibuit, & ſtatim poſt hujus Synodi celebrationem, in Galliam, tutiſſimum Romanorum Pontificum azylum, Rebus Germaniæ conſulturus venit, ibique Concilium Trecenſe anno MCVII. habuit, in quo, ſicut teſtatur Abbas Urſpergenſis, Deceſſorum ſuorum Decreta contra Inveſtituras confirmavit. Hinc, ut obiter dicam, facile colligitur, Galliarum Reges ante *Paſchalis Secundi* in Regnum Franciæ appulſum Decretis contra Inveſtituras paruiſſe. Nec enim veriſimile eſt, *Paſchalem II.* in Gallias confugiſſe ut *Ludovici Craſſi* Regis præſidium imploraret adverſus *Henricum* inter Imperatores hujus nominis IV. qui uſum Inveſtiturarum contra Pontificia & Synodica Decreta, & Anathema obſtinato animo retinebat, ſi Rex Galliarum ſolemnem inveſtituram per traditionem annuli & baculi Paſtoralis tam ſæpe a Sede Apoſtolica reprobatam, æque ac ipſe Imperator uſurpaſſet. E Gallia in Italiam redux *Paſchalis* II. Inveſtituras damnavit in Synodo Beneventana habita anno MCVIII. & in Concilio tertio Lateranenſi Romæ convocato anno MCX. verum, *Henricus* inter Imperatores hujus nominis IV. Romam anno MCXI. cum numeroſo exercitu veniens Inveſtiturarum conceſſionem ſicut jam in præcedentibus Colloquiis obſervavimus a *Paſchali II.* Pontifice Maximo per vim extorſit. Hoc tamen ſurreptitium Privilegium contra Eccleſiæ utilitatem ac libertatem Imperatori conceſſum revocavit ac damnavit paulo poſt *Paſchalis II.* tam in Concilio Lateranenſi quarto celebrato anno MCXII. quam in Concilio quinto Lateranenſi habito anno milleſimo centeſimo decimo ſexto, in quo ſummus ille Pontifex præ inſigni humilitate ac modeſtia ſeſe ipſum coram Patribus his verbis excuſavit: *Poſtquam* inquit *Dominus de ſervo ſuo fecit quod voluit, & me*, *Populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidie fieri rapinas, & incendia, cædes, & adulteria. Hæc & ejuſmodi mala cupiebam avertere ab Eccleſia & populo Dei; & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem ut homo, quia pulvis ſum & cinis. Fateor me male egiſſe, ſed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentoriis factum eſt, quod pro pravitate ſui Privilegium dicitur, condemno ſub perpetuo Anathemate, ut illius unquam ſit bonæ memoriæ, & rogo vos omnes ut idem faciatis. Tunc ab univerſis acclamatum eſt: fiat fiat.* Occaſione iſtius Inveſtiturarum privilegii, quod *Paſchalis* II. Imperatori *Henrico* conceſſit, duo in Galliis coacta ſunt Concilia Nationalia. Primum convocatum fuit a *Guidone* Archiepiſcopo Viennenſi, & Sedis Apoſtolicæ Legato, qui iſtud privilegium, quod *Henricus* Imperator a *Paſchali* Papa extorſerat, reſcidit, ipſumque Imperatorem feriit Anathemate, Kalendis Octobris anni milleſimi centeſimi duodecimi. Hujus Concilii Viennenſis Decreta confirmavit *Paſchalis* II. Pontifex Maximus data ad *Guidonem* Archiepiſcopum Viennenſem Epiſtola, cujus exemplum ex codice S. Petri Catalaunenſis a P. *Sirmondo* Soc. Jeſu deſcriptum, in Labbeana Conciliorum Editione Tomo X. vulgatum eſt. Sub idem tempus, occaſione iſtius privilegii *Henrico* Imperatori a *Paſchali* II. Pontifice maximo conceſſi, *Joannes* Archiepiſcopus Lugdunenſis Nationale Concilium apud *Anſam* prope Lugdunum celebrandum indixit, in quo inveſtituræ a Laicis factæ pariter damnatæ ſunt. Mitto, brevitatis ergo, alia Concilia, quæ poſt mortem *Paſchalis* II. contra *Henricum* inter Imperatores hujus nominis quartum, & ad prohibendas inveſtituras ſub *Gelaſio II.* ſucceſſore *Paſchalis* II. fuerunt celebrata, videlicet Capuanum, Anno MCXVIII. Colonienſe, Friſlarienſe, Viennenſe,

ſe, quæ anno MCXIX. habita ſunt. Breviter hic obſervare ſufficiet, mortuo *Gelaſio II.* Pontifici maximo ſucceſſiſſe *Calliſtum* II. qui ſtatim poſt inaugurationem ſuam Remis in Galliis Concilium habuit an. 1119. Imperatori qui inveſtituras dimittere nolebat, & *Burdino* Antipapæ Anathema dixit, quo factum eſt ut *Henricus* pertimeſcens, ne ſi diutius decretis Eccleſiæ in cauſa Inveſtiturarum pervicaci animo reſiſteret, ac parere detrectaret, ab omnibus ſuis dedereretur, & inſtar patris ſui, omni ſua ditione ſpoliaretur ad ſaniorem mentem redierit, & Legatos ad Summum Pontificem miſerit pacem ſuppliciter rogantes, quæ tandem Generalis Concilii decreto firmaretur. Nihil ſane jucundius *Calliſto* II. Pontifici Maximo, nihil Eccleſiæ conducibilius accidere potuit ea Legatione, per quam, extincto tam diuturno ſchiſmate, ſedatiſque atrocibus Bellis, quibus Italia & Germania tot annis conflagraverant, pax deſideratiſſima tandem aliquando ſanciri, atque ad Eccleſiæ unitatem Imperatores redire deberent. Quocirca ad hanc feliciſſimam ineundam pacem, *Calliſtus* II. anno MCXXIII. celebravit Concilium Generale Lateranenſe primum, in quo vexatiſſimæ, diuque agitatæ hujus temporis de Inveſtituris Controverſiæ finis impoſitus eſt, ſicut ſuperius oſtendimus. Hæc ſunt Concilia, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo ad dirimendam graviſſimam de Inveſtituris controverſiam fuerunt convocata.

D. In ſuperiori Colloquio de erroribus *Petri Abaelardi*, & *Gilberti Porretani* Epiſcopi Pictavienſis, nec non de Hæreſibus, *Petrobuſianorum*, *Waldenſium*, & *Albigenſium* late diſſeruiſti, ſed de Conciliis, quæ ejuſmodi errores ac Hæreſes proſcripſerunt, te in hocce Colloquio dicturum ſpopondiſti. Incipe itaque, ſi placet, ab his Conciliis, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo damnarunt errores *Petri Abaelardi*.

M. Duæ Nationales Synodi ad confingendos *Petri Abaelardi* errores fuerunt in Galliis celebratæ, *Sueſſionenſis* nimirum & Senonenſis. Synodum Sueſſionenſem *Conon* Præneſtinus Epiſcopus & Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legatus indixit anno MCXXI. ut cenſent peritiores Critici non vero an. MCXIX. ut plures exiſtimarunt, vel anno MCXX. cum quo conjungitur Tom. X. Conciliorum. In hac Synodo *Abaelardus* ob maleſanam circa Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis ſententiam damnatus, ſuumque *de Trinitate* librum, qui materia offenſionis erat, propriis manibus flammis tradere ab Epiſcopis coactus eſt, cumque fidem ſuam coram omnibus exponere, ac propriis verbis profiteri vellet, juſſerunt Patres, ut *Symbolum S. Athanaſii* ex ſcripto recitaret, quo magis hominis Novatoris, in Dialecticæ argutiis nimium confidebat, ſuperbiam retunderent; eumque mox Abbati *Sancti Medardi* tradiderunt, ejus Clauſtro, velut carcere, concludendum, quem tamen inde poſtea eductum Legatus Apoſtolicus ad Sandionyſianum Cœnobium remiſit. Hæc in cauſa Abaelardi in Synodo Sueſſionenſi geſta fuiſſe teſtantur *S. Bernardus* in Epiſtola CXCIII. ad *Juonem* Cardinalem, & *Otto Friſingenſis* lib. I. *de Rebus geſtis Friderici* c. XLVII. Rem tamen aliter narrat *Abaelardus* in Epiſtola prima ad Amicum, in qua ſuas calamitates deſcribens, ſi tamen ei in propria cauſa adverſus æmulos loquenti fides habenda ſit. Primo conqueritur, quod ſui æmuli, *Albericus* ſcilicet & *Lotulfus* ſcholarum Remenſium Regentes vehementer accenſi, *Radulphum* ejuſdem Urbis Archiepiſcopum crebris ſuggeſtionibus adverſus ipſum commoviſſent, & *Cononem* Præneſtinum Epiſcopum, ac Sedis Apoſtolicæ Legatum inſtigaſſent ad convocandum Concilium Sueſſionenſe. Secundo, ait, ſe ad Concilium vocatum, nulla prævia interrogatione, ſine ullo libri ſui examine, ſed hoc ſolo nomine, quod in eo ſcripſiſſet, *Solum Deum Patrem Omnipotentem eſſe*, *juſſum eſſe manu propria librum a ſe de Trinitate* compoſitum in ignem conjicere & ſymbolum *Athanaſii* recitare; *Inde* inquit *Abaelardus*, *quaſi reus & convictus Abbati S. Medardi*, *qui aderat*, *traditus*, *ad Clauſtrum ejus tanquam ad carcerem trahor*, *ſtatimque Concilium ſolvitur*. Verum, cum teſtis in propria cauſa plurimum ſuſpectus ſit, non eſt dubium, quin *S. Bernardo* in referenda Hiſtoria hujuſce Concilii Sueſſionenſis potius credere debeamus, quam *Petro Abaelardo*, qui hujus Concilii auctoritatem elevare & ſententiam in ipſum ab Epiſcopis latam fuiſſe omnino iniquam pro viribus oſtendere conatus eſt. Certe eventus comprobavit *Abaelardum*, ejuſque ſectatores parvi feciſſe cenſuram, quæ in Concilio Sueſſionenſi facta fuerat nonnullarum ejus propoſitionum, quæ in illius Operibus, ſed potiſſimum in libro *de Trinitate* legebantur. *Abaelardus* ſiquidem egreſſus e carcere, in quem juſſu Concilii Sueſſionenſis detruſus fuerat, non ſolum a ſuis erroribus non reſipuit, ſed ulterius progreſſus, plurima dogmata inter conciones & colloquia effutire, ac libentius ſpargere cœpit Catholicæ fidei parum conſona. Quin, & *S. Bernardum* in publico Epiſcoporum & Abbatum Conventu ad diſputandum provocavit, & ſophiſticis captionibus confidens, petiit ab *Henrico* Senonenſi Archiepiſcopo, ut ſibi cum *S. Bernardo* publice congredi liceret, effecitque ut ad definiendas ejuſmodi lites *Senonis* in Galliis Concilium in octava Pentecoſtes, ut liquet ex Epiſtola CCCXXXVII. S. *Bernardi* ad *Innocentium* II. Pontificem Maximum, celebraretur. Huic Concilio Senonenſi interfuit *Henricus* Archiepiſcopus Senonenſis, adfuere quoque ejuſdem Senonenſis Metropoleos ſuffraganei, *Samſon* Remenſis *Joslenus* Sueſſionenſis, & *Gaufridus* Catalaunenſis, nec non Chriſtianiſſimus Rex *Ludovicus* VII. cum multis Regni Proceribus, Abbates plurimi, & non pauci ſcholarum Magiſtri, ſicut teſtatur S. *Bernardus* in Epiſtola CLXXXIX. Dies dicta eſt *Petro Abaelardo*, dicta quoque S. *Bernardo*, qui tamen abnuit adeſſe, eo præſertim nomine, quod de damnatis jam in Concilio Sueſſionenſi erroribus quæſtio renovaretur. Quia tamen magna Prælatorum, & nobilium virorum multitudo cum *Ludovico* VII. Galliarum Rege concurrerat, S. *Bernardus* ſe ſe præſentem exhibuit, & excer-

pta ex *Abaelardi* libris Capitula propoſuit, & cum illo in arenam deſcendit. At, ubi ad rem ventum eſt, *Abaelardus*, ſe congreſſus Achillis imparem expertus, ac ſuæ cauſæ meritis minus fidens, ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Cui appellationi ob Sanctæ Sedis reverentiam Epiſcopi deferentes, licet ejus prava dogmata damnarint, auctoris tamen nomini parcentes nihil de illo pronunciarunt, ſed ad *Innocentium* II. Pontificem Maximum litteras Synodicas direxerunt, referentes quæcumque in Synodo geſta fuerant, & ab eo errorum *Abaelardi* cenſuram obtinuerunt, ut teſtatur *Gaufridus* Monachus Clarævallenſis olim Abaelardi diſcipulus lib. 3. *Vitæ Sancti Bernardi* cap. 5. Interim, dum hæc agerentur, *Berengarius* Pictavienſis, unus ex Abaelardi diſcipulis, auſus eſt Magiſtri ſui concinnare, ac publici juris facere Apologiam plenam acrimoniæ adverſus S. *Bernardum*, in qua ſibi omnem omnino fidem abrogat, non ſolum quia *Petrum Abaelardum* immenſis laudibus cumulat, & in Sanctum *Bernardum* contumelioſe invehitur, ſed quia etiam effræni ſtylo debacchatur in Patres Concilii Senonenſis, quos tamquam cæcos, ebrios cornutos, canes & porcos traducit ac ſugillat. Denique *Petrus Abaelardus* videns ſe ab omnibus tanquam hæreticum deſeri, Cluniacum ſe contulit, ubi, ſicut in ſuperiori Colloquio diximus, a ſuis erroribus reſipuit, & ſancita cum S. *Bernardo* inter mutuos amplexus amicitia, reliquum vitæ tempus maxima cum pietate exegit, atque poſt mortem tumulo ejus hoc Epitaphium inſertum eſt:

Eſt ſatis in titulo Petrus hic jacet Abailardus;
Cui ſoli patuit ſcibile quidquid erat.

D. Uberius, quæſo, expone ea, quæ in ſuperiori Colloquio obiter inſinuaſti, de Conciliis Pariſienſi, & Remenſi, in quibus errores *Gilberti Porretani* Epiſcopi Pictavienſis proſcripti ſunt, & res alias in his duobus Conciliis geſtas, paulo fuſiori narratione deſcribe?

M. Cum *Eugenius* III. ad quem *Gilbertus Porretanus* aliquot errorum fuerat inſimulatus, in Gallias, tumultuantium ſemper in Italia *Arnaldiſtarum* perſecutionem fugiens, perveniſſet, & a *Ludovico* VII. Galliarum Rege honorificentiſſime fuiſſet exceptus; Pariſiis anno MCXLVII. Synodum habuit, ut in ea *Gilberti Porretani* Cauſa ad ſe delata diſcuteretur. Contra Gilbertum Porretanum in Synodo Pariſienſi teſtimonium dixerunt Magiſter *Adam de Parvo Ponte*, vir ſubtilis, & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus, & *Hugo de Campo Florido Ludovici* VII. Galliarum Regis Cancellarius. Nihil tamen in Cauſa *Gilberti Porretani* definire voluit *Eugenius* III. Pontifex Maximus, ſed pleniorem illius diſcuſſionem ad frequentius Concilium Remis proxime celebrandum remiſit. Anno itaque ſequenti, ſeu MCXLVIII. habitum eſt Concilium Remenſe, in quo *Gilbertus Porretanus* erroris convictus eſt a *Godeſcalco de Monte S. Eligii* Ordinis Præmonſtratenſis Abbate; a S. *Bernardo* Clarævallenſi, a *Sugerio* Abbate S. Dionyſii, & ab aliis. Contra illius errores Præſules Gallicani Symbolum condiderunt, & *Dominus Papa*, inquit Gaufredus Monachus Clarævallenſis, *auctoritate Apoſtolica, de aſſenſu totius Eccleſiæ, quæ convenerat, Capitula ipſa damnavit, diſtricte præcipiens, ne eumdem librum legere, vel tranſcribere etiam ſic reprobatum quis auderet, niſi prius eum Eccleſia Romana correxiſſet. Cumque reſpondiſſet Epiſcopus* (ſeu Gilbertus Porretanus) *corrigam ad arbitrium veſtrum: non vobis*, ait Pontifex, *hæc correctio committetur*. Hanc Summi Pontificis ſententiam reverenter excepiſſe *Gilbertum Porretanum*, ſuoſque ejuraſſe errores, teſtatur jam laudatus *Gaufredus*. Præcipuus *Gilberti Porretani* error in hoc ſitus erat, quod vellet Divinam Eſſentiam non eſſe Deum, & proprietates Perſonarum non eſſe ipſas Perſonas. De hoc *Gilberti Porretani* errore judicium ferens *Joannes Gerſonius* ſacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarius in Epiſtola, quam ſcripſit ad quemdam fratrem Minorem anno MCCCCXXVI. ait: *Gilbertus Porretanus, ſi minus errabat in materia de Relationibus divinis, quam plurimi poſterioris temporis, patebit evidenter illi, qui ſubtiliter, & abſque Perſonarum acceptione voluerit, & ſciverit judicare, & argumentum B. Bernardi a* Petro de Tarentaſia *recitatum ponderare. Damnata eſt nuper per Prædeceſſores meos in ſacra Theologiæ Facultate, ſub pluribus Articulis, Doctrina quam nonnulli ſolum impune ſubtilem garriunt; quam ignorantes vocem propriam, nonnulli veluti picæ loquaciſſimæ ſtabilire nituntur, cum ſit mera inſania, & vanitas falſa. Unus Articulus inter cæteros eſt: Quod aliquid ſit Deus realiter, quod non ſit formaliter Deus*. Huic *Gerſonis* judicio ſubſcribit doctiſſimus *Dionyſius Petavius* Soc. Jeſu lib. 1. *Theologicorum Dogmatum* cap. 8. num. 8. ubi hæc habet: *Ab hac Gilberti* Porretani *ſententia vel nihil, vel parum diſcrepare, Scholaſticorum aliquot opinio creditur, ut Scoti; qui citra notionem, & intelligentiam noſtram per ſe ab eſſentia divina differre proprietates, & inter ſeſe ipſas exiſtimat*. Sed revertamur ad Concilium Remenſe, in quo non ſolum proſcripti ſunt *Gilberti Porretani* errores, ſed etiam damnati ſunt Hæretici, qui tum temporis in Provincia, & in Occitania graſſabantur. Sic enim in Canone XVIII. illius Concilii legitur; *Præſentis decreti auctoritate præcipimus, ut nullus omnino hominum Hæreſiarchas, & eorum ſequaces, qui in partibus Gaſconiæ, aut* Provinciæ, *vel alibi commorantur, manuteneat, vel defendat: nec aliquis eis in terra ſua receptaculum præbeat*. Hi hæretici alii non erant, quam *Henricus*, *Eudo*, ſive *Eon*, aliique nefarii Novatores, de quibus jam egimus in ſuperiori Colloquio. Præter iſtum Canonem decimum octavum, in quo condemnantur hæretici, alios ſeptemdecim Canones Diſciplinam ſpectantes condidit iſtud Concilium Remenſe, in quibus de Continentia Clericorum, & modeſtia in tonſura & veſtibus lex conſtituta eſt, & in contumaces decreta Beneficiorum Eccleſiaſticorum privatio, immo ſuſpenſionis lata ſententia in Epiſcopos, qui hanc ipſis pœnam non infli-

Digitized by Google

gerent. Sanctimonialium Canonicarum ſtatuta reformatio, cujus duo præcipue notantur Capita, Clauſura videlicet & Vita communis, pœna Interdicti & privationis Chriſtianæ Sepulturæ decreta in eas, quæ Synodi mandatum poſt tempus præfixum non implerent. Eccleſiaſticorum negotiorum judicium Laicis prohibetur. Decimarum iiſdem prohibita poſſeſſio. Juſſum ut Archidiaconi ex Diaconorum vel Presbyterorum Ordine aſſumerentur. Conductitii Presbyteri ab Eccleſiis eliminati, ſancitumque ut ſingulis Eccleſiis proprius Sacerdos præficeretur; nullius, niſi Epiſcopi, aut Archidiaconi auctoritate depellendus. Treuga & Pax confirmata. Militum ad nundinas vel ferias pugnæ vetitæ. Clericorum & Monachorum percuſſores excommunicati, eorumque abſolutio Romano Pontifici reſervata. Eccleſiarum & Cæmeteriorum immunitati proviſum, Incendiarii Anathemate damnati. Pretii exactio pro Chriſmatis, Olei ſacri, & Sepulturæ acceptione prohibita. Ordinationes ab Hæreticis, & Schiſmaticis factæ, miſſæ in irritum; hoc eſt, non quantum ad ſubſtantiam, ſeu Characterem, qui prorſus indelebilis eſt, ut docent Theologi, ſed quantum ad exercitium & executionem Ordinis. Extant hi XVIII. Canones, & Acta Synodi Remenſis a *Binio* ex variis Auctoribus compilata Tomo X. Conciliorum pag. 1107. *Baronius* ad annum MCXLVIII. num. 10. Canones ſeptemdecim dumtaxat Concilii Remenſis enumerat, quia in exemplari Vaticano, quo uſus eſt, Canones XVII. & XVIII. in unum confunduntur, ſicut accurate obſervat Cl. *Pagius* ad hunc annum Num. VI. (*a*)

„ (*a*) Hujus Remenſis concilii ſtatutis non„ nulla ego adjeci ex multis collecta, ut ex Ge„ rhoo in Pſal. 64. qui ab eodem Concilio ve„ titum eſſe ait, ne *ſanctimoniales fœminæ*, „ quæ in clauſtro vivunt ſine regula, ulterius per„ mittantur, ſed cogantur ſive regulam S. Bene„ dicti, vel S. Auguſtini profiteri, alioquin ſe„ pultura Eccleſiaſtica careant. Inſuper vetitum „ eſſe ait in Concilio Remenſi *ne unus in dua„ bus Eccleſiis intituletur*, e. g. ne idem in Sede „ Cathedrali ſit Canonicus, & ſimul ruri Ple„ banus. Pariter Eugenius III. Papa in ſuis lit„ teris, quæ extant in Codice Epiſtolarum Wi„ baldi vulgato a Martene Ver. monum. to. II. „ legimus voluiſſe Pontificem in eo Conſilio Ar„ chiepiſcopum Colonienſem de multis criminibus „ accuſatum deponere; at ſe continuiſſe quod „ metueret ne quid propterea detrimenti regno „ accideret. Cætera quæ Concilio huic merito „ adjicerentur vide in meo Supp. pag. 461. &c.

D. Fueruntne multa Concilia adverſus Waldenſium, & Albigenſium Hæreſes ſæculo Eccleſiæ duodecimo celebrata?

M. Quamvis Albigenſes, ſicut in ſuperiori Colloquio obſervavimus, ex Waldenſibus hæreticis ſæculo duodecimo prodierint, nulla tamen adverſus ipſos legitur fuiſſe eo ſæculo celebrata Concilia, quia eorum hæreſis ſæculo dumtaxat decimo tertio ſub *Innocentii* III. Pontificatu inſolentius graſſari, & ſuam, ut ita loquar, maturitatem habere cœpit, ſicut docet *Cæſarius Heiſterbacenſis* Scriptor coævus, *Dialogi Miraculorum* Diſt. 5. cap. 21. his verbis: *Temporibus Innocentii Papæ, Prædeceſſoris ejus, qui nunc Papatum tenet, Honorii, Diaboli invidia Hæreſes Albigenſium cœperunt pullulare, vel (ut verius dicam) matureſcere* ······· *Cujus vires erant tam validæ, ut omne triticum fidei gentis illius verſum videretur in lolium erroris*. Cum igitur nulla ſæculo XII. contra Albigenſes convocata fuerint Concilia, ſed dumtaxat ſæculo decimo tertio, de his ſuo loco, ſeu in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſæculi decimi tertii opportunius diſſeremus. Hic autem referam juxta Ordinem Chronologicum Concilia, in quibus duodecimo ſæculo errores Waldenſium fuerunt ab Eccleſia damnati. Et primo quidem anno milleſimo centeſimo ſexageſimo habitum eſt in Anglia contra *Waldenſium*, ſive *Publicanorum* errores Concilium Oxonienſe, de quo fuſe agit *Guillelmus Neubrigenſis* lib. 2. cap. 13. ut legere eſt Tomo 10. Conciliorum. *Venerunt* quippe *iiſdem diebus*, ut ait citatus ille Scriptor, *erronei quidam in Angliam ex eorum (ut creditur genere) quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gaſconia incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus ſuæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latiſſimis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæque Provinciis tam multi hac peſte infecti eſſe dicuntur, ut ſecundum Prophetam multiplicati eſſe ſuper numerum arenæ videantur*. Refert poſtea *Guillelmus Neubrigenſis*, quo pacto *Henricus* II. Angliæ Rex ejuſmodi hæreticos in ſuo Regno deprehenſos in carcerem detrudi juſſerit, eoſque ab Epiſcopis in Concilio Oxonienſi congregatis damnatos, atque contumaces, ſpectante populo, virgis coercitos ab urbe expulerit, *diſtricte prohibens, ne quis eos vel oſpitio recipere, vel aliquo ſolatio confovere præſumeret*. Sed hæc de Concilio Oxonienſi contra Waldenſes in Anglia habito jam in ſuperiori Colloquio me obſervaſſe memini. Quare, ne iteratis repetitionibus tibi tædium ingeram, quatuor alia Concilia Nationalia, nimirum *Turonenſe*, *Lumbarienſe*, *Toloſanum*, & *Senonenſe*, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo contra Waldenſes coacta ſunt, breviter hic recenſebo. *Alexander* III. Pontifex Maximus, relicta Italia, quæ, ob Schiſma a *Friderico Ænobarbo* Imperatore in Eccleſia excitatum, armis perſtrepebat, in Gallias appulit, & anno MCLXIII. Turonenſem convocavit Synodum, in qua non ſolum in *Octavianum* Antipapam dictum *Victorem* IV. ab eodem Imperatore intruſum & in ejus ſectatores excommunicationis ſententiam tulit, verum etiam nefaria Waldenſium hæreticorum dogmata damnavit, & Chriſtianis præcepit, ut illorum hæreticorum conſortium fugerent, ſicut videre eſt in Canone quarto hujuſce Concilii his verbis concepto: *In partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca ſe diffundens, per Guaſconiam & alias Provincias quamplurimas jam jam infecit. Quæ dum in modum ſerpentis intra ſuas evolutiones abſcon-*

ditur, quanto ſerpit occultius, tanto gravius dominicam vineam in ſimplicibus demolitur. Unde contra eos Epiſcopos omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, & ſub interminatione anathematis prohibere, ut, ubi cogniti fuerint illius hæreſis Sectatores, ne receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in venditione, aut emptione aliqua cum eis omnino commercium, ut, ſolatio humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum, anathemate feriatur. Illi vero, ſi deprehenſi fuerint, per Catholicos Principes Cuſtodiæ mancipati omnium bonorum amiſſione mulctentur. Cætera legi poſſunt apud *Baronium* Tom. 12. Annalium Eccleſ. ad annum Mclxiii. Præter hunc Canonem quartum, quo damnantur hæretici Waldenſes, alios novem Canones pro inſtauranda Eccleſiæ Diſciplina condidit eadem Synodus Turonenſis, in quibus multa ſtatuuntur contra Clericorum avaritiam, uſuram, & Simoniam, contra Monachos, qui Medicinam, Phyſicas confectiones, & leges Civiles profitentur, contra nonnullos alios ejuſmodi abuſus, ac denique contra Ordinationes *Octaviani* Pſeudo-Pontificis, dicti *Victoris* IV. quæ irritæ fuerunt declaratæ, non quantum ad ſubſtantiam, ſeu Characterem, ut ſæpius diximus, ſed quantum ad exercitium & executionem Ordinum. Extant hujus Concilii Canones X. & Acta Tomo 10. Conciliorum.

Concilium Lumbarienſe, quod in Gallia Narbonenſi adverſus hæreticos Waldenſes an. 1176. fuit celebratum, fuſe narrat *Baronius* ex *Hovedeno* in poſter. parte Annal. Anglic. Cum enim *Alexander* III. Pontifex Maximus ægerrime ferret, Waldenſium Sectam magis in dies invaleſcere, & vires acquirere eundo, voluit rem in ipſis partibus peſte illa infectis agitari, & ne haberent unde conquererentur hæretici, doctiſſimos eorum ad concilium evocari juſſit. Illi *Magiſtros* ſuos illuc delegarunt, & præterea quatuor *Judices* Diſputationis & Controverſiæ, quæ in Concilio fieri debebat, delegerunt, videlicet *Gerardum* Epiſcopum Albigenſem, *Rogerium*, Abbatem Caſtrenſem, *Petrum* Abbatem Ardorelli, & *Ernaldum* Presbyterum Narbonenſem. Addiderunt & Abbatem de *Candilio*, de quibus etiam Catholici cum Hæreticis convenerunt. Admiſſi ſunt quoque Magnates & Barones plurimi illius regionis ut utriuſque partis rationes & fundamenta audirent. Porro, interrogati hi, qui hæreticorum partes propugnabant, de Fide, & Sacramentis, Vetus Teſtamentum audacter rejecerunt, Matrimonii Sacramentum repudiarunt, Baptiſmum parum curarunt; Sacerdotem peccati lethalis labe infectum conſecrare Corpus & Sanguinem Chriſti aperte negarunt, neque Prælatis, qui luxu diffluerent, aut aliis vitiis dediti eſſent, parendum eſſe contenderunt. Hæc præcipua hæreſeos Capita diu fuerunt ultro citroque agitata, tandemque damnata, ſed Concilii judicio obtemperare detrectarunt hæretici, dictitantes, ſe veritatem & viam ſalutis in ore habere, ac proinde *Bonos homines* ſe appellantes. Eorum Princeps erat *Oliverius* quidam, cui veluti Chriſto, aut Paulo Apoſtolo fidem adhibebant iſti Hæretici ab eo deluſi, ſicut *Baronius* Tomo 12. Annal. Eccleſ. ad annum Mclxxvi. fuſe narrat ex *Hovedeno*. Extant etiam Acta integra hujuſce Concili Lumbarienſis Tomo 10. Conciliorum. Paulo poſt celebrationem iſtius Concilii Lumbarienſis, *Petrus* Sedis Apoſtolicæ Legatus Toloſæ anno 1177. Concilium habuit, in quo damnati Waldenſes, & Toloſa expulſi a *Ludovico* VII. Franciæ, & *Henrico II.* Angliæ Regibus, qui, teſte *Roberto de Monte* in Chronico, illuc ad extirpandam hanc Hæreſim profecti fuerant, ſeceſſerunt *Albiam*, quæ eſt Albigenſium Civitas Metropolis, indeque *Waldenſes* cœperunt appellari *Albigenſes*. Hinc anno ſequenti, ſeu anno Mclxxix. Concilium Œcumenicum Lateranenſe III. Canone xxvii. damnavit Hæreticos, qui Vaſconiam, Albigenſes, Toloſates, Arecomicos, & finitimas Provincias peſtilenti doctrina infeſtabant, qui nunc *Cathari*, nunc *Albigenſes*, nunc *Manichæi*, nunc *Paterini* vocabantur, quos una cum illis, qui eos defendunt, vel recipiunt, anathemati ſubjicit ſacra illa Synodus, Principes vero, & populos Catholicos ad bella contra eos incitat, propoſitis, quemadmodum & in ſacris adverſus Saracenos militiis, Indulgentiis & Pœnitentiarum relaxationibus. Denique, contra *Waldenſes*, dictos etiam *Popelicanos* coacta eſt an. Mcxcviii. Synodus Senonenſis, in qua eorum fæculentiſſima Hæreſis damnata eſt. Qua de re extant *Innocentii* III. Pontificis Maximi Epiſtolæ duæ cum Notis *Gabrielis Coſſartii* Tomo II. Conciliorum part. 1. pag. 3. quarum una directa eſt ad *Michaelem* Archiepiſcopum Senonenſem, altera ad *Petrum* Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, & ad *Odonem* Epiſcopum Pariſienſem. Has duas Epiſtolas ſcripſit *Innocentius* III. Pontifex Maximus occaſione ſententiæ latæ in hoc Concilio Senonenſi contra Abbatem Sancti Martiai Civitatis Nivernenſis, & Decanum ejuſdem Urbis Eccleſiæ, qui, ut teſtatur *Robertus* Monachus in Chronico Antiſiodorenſi, de peſtilentiſſimo Popelicanorum, ſeu *Waldenſium* errore in Concilio Senonenſi fuerunt accuſati, ubi Abbas depoſitus, & Decanus ſuſpenſus, hancque in eos a Concilio prolatam ſententiam confirmavit *Innocentius* III. ad quem uterque fuerat a Concilio remiſſus. *Henricus Spondanus* Appamiarum in Gallia Narbonenſi Epiſcopus, & *Baronii* Continuator, aſſerit ad annum Mcxcviii. Concilium iſtud Senonenſe celebratum fuiſſe a *Petro* Capuano Cardinali, & Sedis Apoſtolicæ Legato. At *Gabriel Coſſartius* loco mox a me laudato *Spondanum* duobus teſtimoniis refellit. Primum eſt *Rigordi*, qui in *Geſtis Philippi Auguſti* Galliarum Regis teſtatur, *Petrum* Cardinalem in Gallias Legatum miſſum eſſe an. Mcxcviii. ut pacem inter Francorum, Anglorumque Reges componeret, eumque in Gallias ante exeuntem

De-

Digitized by Google

Decembrem ejuſdem anni non veniſſe affirmat. Cum igitur Concilium Senonenſe habitum fuerit anno MCXCVIII. ei ante anni hujus finem præeſſe haud potuit *Petrus* Cardinalis, præſertim cum ſanciendæ, cujus cauſa delegatus erat, paci prius operam nonnullam ab eo datam oportuerit, quam de celebrandis alia de re Conciliis cogitaret. Alterum teſtimonium eſt *Innocentii* III. Papæ, cujus ex Epiſtolis duabus ea de re ſcriptis oſtendit *Gabriel Coſſartius*, Archiepiſcopum Senonenſem huic Concilio præfuiſſe, ipſumque, & Epiſcopos Trecenſem, Autiſiodorenſem, ac Nivernenſem Judices in ea cauſa fuiſſe. Hæc ſunt Concilia, in quibus Waldenſium hæreſis ſæculo Eccleſiæ XII. damnata ac profligata fuit.

D. De Conciliis, in quibus Hæreſes, quæ XII. Eccleſiæ ſæculo emerſerunt, damnatæ ac protritæ fuerunt, ſatis hactenus diſſeruimus. Supereſt, ut ſub finem hujuſce noſtri Colloquii pauca attingamus de Conciliis Nationalibus, quæ pro reformatione morum, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtauratione variis in locis eodem ſæculo fuerunt celebrata?

M. Ad reformandos fidelium mores, & ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam multa Concilia Nationalia, præſertim in Gallia, Anglia & Hiſpania duodecimo Eccleſiæ ſæculo fuerunt convocata, quorum præcipua hic breviter referam, incipiendo a Conciliis, quæ in Cauſa *Philippi* hujus nominis I. & *Philippi Auguſti* Galliarum Regum celebravit Eccleſia Gallicana, *Philippus* I. Franciæ Rex, ſicut jam obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam ſæculorum decimi, & undecimi, *Bertham* filiam *Florentii* Hollandiæ Comitis in matrimonium duxerat, & ex ea *Ludovicum* genuerat, & *Conſtantiam*; ſed affinitatem poſtea cauſatus, eam repudiavit, & *Bertradam*, uxorem *Fulconis* Andegavenſis Comitis, conſanguinitate ſibi junctam rapuit, & cum maximo ſcandalo in uxorem, ſeu potius concubinam aſſumpſit. Has inceſtas & adulteras nuptias *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus, multique alii priſcæ integritatis Gallicani Antiſtites reprobarunt, earumque celebritati intereſſe noluerunt. *Urbanus* II. Papa *Philippo* Regi ſacris interdixit, niſi *Bertradam* dimitteret, eumque obedire detrectantem in Synodo Claromontano anno MXCV. habita, & *Bertradam* ejus pellicem excommunicavit. Hac ſententia perculſus *Philippus Rex* dimiſit quidem *Bertradam*, ſed illam paulo poſt revocavit, & contra omnes *Urbani* II. preces ac minas, nullaque in ipſum latæ excommunicationis habita ratione retinuit. Quapropter, *Paſchalis* II. ſucceſſor *Urbani* II. ubi Pontificatum adeptus eſt, per *Joannem* & *Benedictum* Cardinales Legatos ſuos Concilium Pictavienſe anno MC. celebravit, in quo iterum in *Philippum* Francorum Regem lata eſt excommunicationis ſententia, ſicut teſtantur *Hugo Flaviniacenſis* in Chronico, & *Gaufredus Groſſus* in Vita Sancti *Bernardi* primi Abbatis Tironienſis in Diœceſi Carnotenſi. Reſipuit tandem *Philippus* Rex anno MCIV. & *Paſchali* II. Pontifici Maximo pro ſua abſolutione ſupplicavit. Annuit *Paſchalis* Pontifex, & negotium iſtud commiſit *Richardo* Cardinali Albanenſi Epiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Legato, qui in Gallias cum veniſſet, *Balgentiaci* (quod eſt oppidum duodecimo ab urbe Aurelianenſi milliario diſtans) die XXX. menſis Julii Anni MCIV. Concilium congregavit, in quo Philippus Rex, & Bertrada *carnalem copulam, immo mutuam collocutionem abjurare uſque ad Papæ diſpenſationem paratos eſſe ſe proteſtantur*. Verum, iſtud Balgentiacenſe Concilium (Rege ſe male eſſe tractatum clamitante) re infecta ſolutum eſt. Rex per ſe & per *Ivonem*, & alios Epiſcopos diſpenſationem probantes, ad *Paſchalis* Papæ *aures pulſat*, Cauſamque ſuam temperari rogat, ut videre eſt in Epiſtola centeſima quadrageſima quarta, quam *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus ea de re ad Paſchalem Summum Pontificem ſcripſit, & quam recitat *Baronius* ad annum MCIV. Poſthæc, *Paſchalis* II. Pontifex Maximus abſolutionis *Philippo* Regi & *Bertradæ* impartiendæ poteſtatem fecit *Lamberto* Atrebatenſium Epiſcopo, cum trium Provinciarum Epiſcopis, Remenſis, Senonenſis, ac Turonenſis, ſi tamen *Richardus* Cardinalis, quem antea Legatum miſerat, jam e Galliis exceſſiſſet. *Lambertus* itaque IV. Nonas Decemb. an. MCIV. vel, ut alii volunt, MCV. Pariſiis Synodum habuit, in qua Philippum Regem abſolvit, poſtquam, ſecundum Summi Pontificis litteras tactis Sacro-ſanctis Evangeliis, peccatum & conſuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exercuerat, palam, devote ac humiliter abjuraſſet, ſolemnique juramento ſe ſe obſtrinxiſſet, cum eadem quoque fœmina mutuum Colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, ſe deinceps non amplius habiturum. Idem juramentum præſtitit *Bertrada* antequam abſolutionem impetraret. Hoc juramentum tam *Philippi* Regis, quam *Bertradæ*, aliaque in hoc Concilio Pariſienſi geſta ex MS. Corbejenſi refert *Lucas Dacherius* tom. 3. *Spicilegii*, & ex eo *Labbeus* tom. 10. Conciliorum, pag. 742. ubi exhibet Epiſtolam *Lamberti* ad *Paſchalem* II. quam ex Codice MS. Igniacenſi Pater *Sirmondus* deſcripſit.

Non minores turbas ſub finem duodecimi ſæculi excitavit in Eccleſia Gallicana *Philippus Auguſtus* Galliarum Rex, qui anno MCXCIII. *Canuti* Danorum Regis ſororem *Ingeburgim*, formoſiſſimam, & caſtiſſimam Virginem in uxorem duxerat, ſed poſtridie nuptiarum, facto cum *Ingeburge* Regina divortio novum iniit conjugium anno MCXCVI. cum *Maria* Ducis Bohemiæ, Moraviæque filia. De injuria ſorori, ſibique illata *Canutus* Danorum Rex apud *Cæleſtinum* III. Pontificem Maximum conqueſtus eſt. Pontifex duos in Galliam miſit Legatos, *Meliorem* Presbyterum Cardinalem & *Cencium* Subdiaconum, qui eodem anno Pariſiis, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum totius Regi Synodum convocarunt. Verum, Antiſtites in hoc Concilio Pariſienſi congrega-

Digitized by Google

gregati metu Regis territi, facti ſunt velut canes muti non valentes la..are, nec quidpiam contra illicitas Regis nuptias mutire auſi ſunt. Defuncto *Cæleſtino* Papa, *Innocentius* III. ejus Succeſſor miſit in Gallias Legatum *Petrum Capuanum* Cardinalem, qui Gallicanorum Præſulum Synodum Divione menſe Decembri anni MCXCIX. congregavit, in qua, fulmen a Cardinali, cæteriſque Patribus vibrandum ut averteret *Philippus Auguſtus* Rex, ad ipſum Pontificem per Oratorem appellavit. Sententiam aliquandiu ſuſpendit Legatus, quam tandem promulgavit in Concilio, quod anno MCC. Viennæ in Galliis convocavit, & Regi totique Galliarum Regno Sacris interdixit. Huic univerſali Interdicto per octo menſes ſuppoſitum eſt Galliarum Regnum, illudque tandem ſolvit *Octavianus* Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis & Sedis Apoſtolicæ Legatus in Concilio Nigellenſi, ſeu Nivellenſi in Brabantia, quod menſe Septembri ejuſdem anni MCC. ad hujus cognitionem Cauſæ ab eo indictum eſt, ut videre eſt apud *Rogerium Hovedenum* poſteriori parte Annalium Anglic. ad annum MCC. Denique, anno ſequenti, ſeu anno MCCI. habita eſt Synodus Sueſſionenſis, in qua poſt multas Juriſperitorum de matrimonio *Philippi Auguſti* dirimendo, vel confirmando diſputationes, *Philippus* Rex, qui Concilio præſens aderat, longioris moræ tædio affectus, ſibique contrariam Patrum ſubodoratus ſententiam, ſummo mane, inſalutatis omnibus, inde receſſit, & *Ingeburgim* Reginam legitimam uxorem ſuam in Regiam reduxit, quam tamen conjugali amore per multos adhuc annos diligere haud potuit, hoc eſt, uſque ad annum MCCXIII. quo tandem *Philippus Auguſtus* poſt viginti ferme diſſenſionis annos *Ingeburgim* conjugem ſuam in gratiam recepit; *magna populorum lætitia, ob egregias Reginæ virtutes, & in amariſſimis ærumnis longanimitatem, qua multos annos apud Stampas in arcta Cuſtodia tranſegerat*, ſicut ait *Spondanus* Continuator *Baronii* ad annum MCCXIII. num. 6. Ad petitionem *Philippi Auguſti* Galliarum Regis *Innocentius* III. Pontifex Maximus liberos, quos idem *Philippus* Rex ex *Maria* ſuperducta uxore ſuſceperat, nempe *Philippum*, & filiam, nomine *Joannam*, natalibus reſtituit, & poſt matris ipſorum obitum legitimos hæredes declaravit litteris datis anno quarto Pontificatus ſui, quas edidit *Baluzius* ad calcem libri 5. Epiſtolarum *Innocentii* III. pag. 684. Cum vero eamdem gratiam *Willelmus* Comes Montiſpeſſulani pro filiis, quos ex ſupradicta uxore pariter ſuſceperat, poſtulaſſet, illam negavit idem Pontifex, tum quia *Philippus* Rex Legati Apoſtolici ſententia fuerat ab uxore *Ingeburge* ſeparatus, & aliam, ſeu *Mariam* ſuperduxerat, ex qua geminam ſuſceperat prolem, antequam Apoſtolica de non contrahendo matrimonio cum altera prohibitio ad ipſum perveniret; Comes vero proprio judicio uxorem ſuam temere repudiaverat. Tum quia etiam *Philippus* Rex conſanguinitatem matrimonium dirimentem *Ingeburgi* Reginæ objecerat, & ad eam probandam teſtes induxerat coram Legato, qui iſtud matrimonium diſſolverat, quamvis ejus ſententia fuerit poſtmodum abrogata, non quod contra jus lata eſſet, ſed quia judiciarius ordo in ea ſervatus non fuiſſet; pendente autem conſanguinitatis quæſtione, de filiis ex ſuperducta uxore ſuſceptis dubitari poterat, an legitimi eſſent, vel illegitimi? quod certe dici haud poterat de filiis, quos Comes Montiſpeſſulani ex ſuperducta uxore ſuſceperat, quia nihil repudiatæ uxori objecerat, quod juſtam divortio occaſionem dare potuiſſet. Hæc de Cauſa tam *Philippi* I. quam *Philippi Auguſti* Galliarum Regum breviter hic referenda eſſe duxi, quoniam ad illam dirimendam multa in Galliis duodecimo Eccleſiæ ſæculo Concilia Nationalia fuerunt celebrata. Progrediamur nunc ad Concilia nationalia, quæ in Galliis ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt eodem Sæculo convocata. In Concilio *Pictavienſi*, quod, ut ſuperius obſervavimus, habitum eſt anno MC. in rem Diſciplinæ tam Eccleſiaſticæ, quam Monaſticæ ſexdecim conditi ſunt Canones, qui *Baronii* tempore latebant, ſed nunc extant Tomo 10. Conciliorum pag. 724. ubi etiam obſervatur, Canones decem, quos *Baronius* tribuit huic Concilio Pictavienſi celebrato anno milleſimo centeſimo, pertinere ad aliud Concilium Pictavienſe habitum anno milleſimo ſeptuageſimo octavo, cui præfuit *Hugo* Dienſis Epiſcopus Legatus *Gregorii* VII. Papæ, & de quo diſertam mentionem facit *Hugo Flaviniacenſis* in Chronico pag. 202. Concilium *Trecenſe* I. Præſide *Richardo* Cardinali Epiſcopo Albanenſi, & *Paſchalis* II. Pontificis Maximi Legato habitum eſt Anno MCIV. in quo *Hubertus* Silvanectenſis Epiſcopus ſimoniæ accuſatus jurejurando ſe purgavit, ut videre eſt in Epiſtola *Ivonis* Epiſcopi Carnotenſis ad *Paſchalem* II. & apud Editores Conciliorum Tomo 10. pag. 738. ubi etiam referuntur aliquot Privilegia, quæ in eadem Synodo quibuſdam Abbatiarum Eccleſiis fuerunt conceſſa. Concilium *Trecenſe* II. circa Aſcenſionem Domini a *Paſchali* II. Pontifice Maximo celebratum eſt, in quo Simoniaci, Laici Beneficiorum Collatores, & rerum Eccleſiaſticarum invaſores fuerunt excommunicati, ſicut Collectores Conciliorum Tomo 10. pag. 754. ex Abbate Urſpergenſi, ex *Sugerio* Cœnobii Sancti *Dionyſii* prope Pariſios Abbate, & ex aliis Scriptoribus referunt. Concilium *Toloſanum* I. pro ſacra in Hiſpaniam Expeditione adverſus Saracenos, ſub quorum jugo miſere gemebant hoc tempore Hiſpani, habitum eſt anno MCXVIII. cujus meminit Chronicon Malleacenſe ad hunc annum, & de eo etiam aguot Collectores Conciliorum Tom. 10. pagin. 824. & *Joſephus de Aguirre* Cardinalis Tom. 3. Collectionis Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ pag. 334. Concilium *Toloſanum* II. indixit *Caliſtus* II. Pontifex Maximus an. MCXIX. in quo Diſciplinæ Eccleſiaſticæ decem conditi ſunt Canones de Ordinationibus, primitiis, & oblationibus, contra Hæreticos, ſimoniam, & alienationem Bonorum Eccleſiaſticorum.

Digitized by Google

corum. Acta illius Concilii, quæ edidit *Catellus* lib. 2. *Comitum Toloſæ* cap. 3. extant cum Epiſtola Synodali *Calliſti* Papæ, & decem illis Canonibus Tomo X. Conciliorum pag. 856. Concilium *Turonenſe* ab *Alexandro III.* Pontifice Maximo coactum eſt anno Mclxiii. in quo decem pro Diſciplina Eccleſiaſtica ſanciti ſunt Canones, de quibus, ſicut & de his, quæ in eadem Synodo geſta ſunt, ſuperius ſatis egimus diſſerendo de Conciliis, quæ contra hæreticos Waldenſes, & Albigenſes ſæculo Eccleſiæ XII. fuerunt celebrata. Concilium *Abrincatenſe* apud Normannos congregatum eſt Anno Mclxxii. cui præfuerunt *Theodinus*, & *Albertus* Cardinales Sedis Apoſtolicæ Legati. In eo *Henricus II.* Angliæ Rex, poſtquam a cæde *S. Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi ſeſe juramento purgaſſet, abſolutus eſt; & tredecim Canones de moribus Eccleſiæ, ſeu ad reſarciendam Eccleſiæ Diſciplinam conſtituti ſunt, quos referunt *Rogerus Hovedenus* parte poſteriori Annal. Anglic. & Collectores Conciliorum Tomo X. pagin. 1458. Denique, anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto Magiſter *Michael* Sedis Apoſtolicæ Legatus Concilium apud Montem Peſſulanum celebravit, cui interfuere Prælati Eccleſiarum Provinciæ Narbonenſis. In hoc Monſpelienſi Concilio multa de variis Eccleſiæ negotiis, & Clericorum moribus ſtatuta ſunt, ſed præſertim ſancitum eſt, ut arma contra Saracenos, qui in Hiſpaniam irruperant, ſumerentur. *Stephanus Baluzius* hoc Concilium primus in lucem edidit *Conc. Gall. Narbon.* pag. 28. & inde *Labbeus* illud inſeruit Tomo X. Concil. pag. 1796. ubi etiam exhibet Notam *Baluzii* exiſtimantis, iſtud Concilium Monſpelienſe coactum fuiſſe a *Michaele* cum in Hiſpaniam proficiſceretur, Legationem illic obiturus nomine *Cæleſtini* III. Papæ, occaſione irruptionis Saracenorum contra Chriſtianos in finibus Hiſpaniæ & Gallæciæ, quæ tam late & atrociter ſæviit, ut Rex Hiſpaniæ metu periculi perterritus, conditione cum eis facta, in Regnum Regis Franciæ demigrarit, pacta pace cum Ethnicis uſque in Pentecoſten anni ſequentis, ſeu Mcxcvi. Sed hactenus ſatis de Conciliis Nationalibus, quæ duodecimo ſæculo ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt in Galliis celebrata.

D. Eadem, ſi placet, brevitate percenſe Concilia Nationalia, quæ in Anglia ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt ſæculo duodecimo coacta.

M. Complura tum ad vindicanda Eccleſiæ jura, tum ad pravos Clericorum reformandos mores in Anglia, præſertim Londini, duodecimo ſæculo habita ſunt Concilia Nationalia, quæ hic, ne longius, quam par ſit, noſtrum protrahatur Colloquium, paucis indicare ſufficiet. In primis, anno milleſimo centeſimo ſecundo S. *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & totius Angliæ Primas Londini celebravit Concilium, in quo, præter multa Diſciplinæ Eccleſiaſticæ neceſſaria conſtituta, non nulli Abbates propter ſimoniam, vel alias ob cauſas, Concilii ſententia damnati ſunt atque exauctorati. Extant Acta iſtius Concilii Londinenſis I. & tam Eccleſiaſticæ, quam Monaſticæ Diſciplinæ Canones undetriginta, ſeu potius horum Canonum *Breviarium* ex S. Anſelmi Operibus excerptum apud *Eadmerum* lib. III. Hiſtoriæ *Novorum* pag. 67. & apud Collectores Conciliorum Tomo X. pag. 728. Concilium *Londinenſe II.* indictum eſt anno Mcvii. in quo *Henricus I.* Angliæ Rex Inveſtituras per Annulum, & Baculum Paſtoralem dimiſit, ſtatuitque ut deinceps *per donationem baculi Paſtoralis, vel annuli quiſquam de Epiſcopatu vel Abbatia per Regem, vel quamlibet Laicam manum nunquam inveſtiretur in Anglia*, ſicut teſtatur *Eadmerus*, qui huic Concilio Londinenſi adfuit, lib. 4. *Hiſtoriæ Novorum*. De hoc Concilio Londinenſi legendus etiam eſt *Petrus Bleſenſis* in Continuatione *Ingulphi* natione Angli pag. 126. ubi hæc habet: *Quantum tunc gaudium agitabat Clerus, quam devotus arridebat populus, quam ſolemniter & ſancte omnes & ſinguli Regis animum ad ſydera extollebant, nullus ediceret, nec Tullius edoceret*. Concilium *Londinenſe III.* habitum eſt ann. Mcviii. in quo ad extinguendum concubinarum uſum, qui inter Clericos tum temporis graſſabatur, decem conditi ſunt Canones, & graves in tranſgreſſores pœnæ decretæ; nec non in Decanos, aut Archidiaconos cum eis conniventes. Extant X. illius Concilii Canones apud *Eadmerum* lib. 4. *Hiſtoriæ Novorum* cap. 3. Concilium *Londinenſe* IV. coactum eſt anno Mcix. & in eo cauſa *Thomæ* Eboracenſis, obedientiam *Anſelmo* præſtare recuſantis, excuſſa ac definita eſt, atque jubente *Henrico I.* Angliæ Rege, *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus in conſecratione ſua Canonicam obedientiam Sedi Cantuarienſi præſtitit, ſicut refert *Eadmerus* lib. IV. *Hiſtoriæ Novorum* pag. 97. Concilium *Londinenſe* V. convocatum eſt anno Mcxxv. eique præfuit *Joannes de Crema* Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, in quo ad corrigendos pravos Clericorum mores ſeptemdecim conſtituti ſunt Canones, qui una cum *Honorii* II. Pontificis Maximi aliquot Epiſtolis ad hanc Synodum pertinentibus extant Tomo X. Conciliorum pag. 911. Referunt nonnulli Scriptores Angli, *Joannem de Crema* Sedis Apoſtolicæ Legatum, qui in hac Synodo legem adverſus Clericos concubinarios tulerat, eadem nocte, poſt Miſſam celebratam, cum meretrice in lecto fuiſſe deprehenſum. At *Baronius* ad annum Mcxxv. pluribus momentis evincit, hoc crimen falſo a quibuſdam Scriptoribus Anglis *Joanni de Crema* impactum fuiſſe. Præterquam quod, etiamſi in hoc crimen prolapſus fuiſſet *Joannes de Crema*, inde tamen adverſus Eccleſiam Romanam nihil extundere poſſent hæretici noſtri temporis, quia, ut optime obſervat *Spondanus* ad Annum Mcxxv. *Nec ipſa ſibi hoc vindicat Romana Eccleſia, ut Legatos ſuos omni carere turpitudine aſſerat; cum & ipſe Deus inter Angelos ſuos, & Chriſtus Dominus inter Apoſtolos a ſe electos repererit pravitatem*. Concilium *Londinenſe* VI. celebratum eſt anno Mcxxvii. Præſide *Willelmo*

Can-

Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Legato. In eo Eccleſiaſtica Diſciplina Canonibus viginti duobus ſancita eſt, & Canonibus V. VI. & VII. Presbyteris & Canonicis prohibitum ne uxores, vel concubinas haberent. Immo in Canone VII. ſtatuitur, *ne ab aliqua poteſtate minore, vel majore detineantur* hujuſmodi concubinæ, *ſed libere eiſdem miniſtris Eccleſiæ tradantur, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vel ſervituti Epiſcopali judicio mancipentur*. Acta hujus Synodi deſcribunt *Matthæus Pariſius* in Chronico ad annum MCXXIX. & Florentii Wigornienſis continuator ad annum MCXXVII. ubi etiam XXII. Canones exhibentur, qui etiam extant Tomo X. Conciliorum pagin. 992. Concilium *Londinenſe* VII. congregatum fuit anno MCXXXVIII. Præſide *Alberico* Cardinali, Epiſcopo Oſtienſi, & *Innocentii* II. Pontificis Maximi Legato. Extant Acta, & Canones Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſeptemdecim Tom. X. Concil. pag. 992. (*a*) Concilium *Londinenſe* VIII. celebratum eſt anno MCLXXV. in quo novemdecim Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Canones de continentia, ſobrietate, & honeſtate, vita & moribus Clericorum & Monachorum, de Sacramentis, de Decimis integre perſolvendis, matrimoniis clandeſtinis, uſura, ſimonia, & de aliis tollendis abuſibus conditi ſunt, extantque apud *Rogerium Hovedenum* parte poſteriori Annal. Anglic. & apud Collectores Conciliorum Tomo X. pag. 1461. His Conciliis, quæ Londini in Anglia XII. Eccleſiæ ſæculo ad reſtaurandam Eccleſiaſticam Diſciplinam fuerunt celebrata, addi merito debet Concilium Eboracenſe, quod an. MCXCV. in Anglia habitum eſt, Præſide *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Legato, in quo duodecim Canones de modeſto habitu Clericorum, de non frequentandis tabernis, de vitando ſuſpectarum mulierum contubernio, necnon de diſciplina & Regulis, quæ obſervari debent in adminiſtratione Sacramentorum Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, conditi ſunt. Extantque apud *Rogerium Hovedenum* in Annalibus Angliæ part. II. & apud Collectores Conciliorum Tomo X. pag. 1791. Hæc ſunt in ſumma Concilia Nationalia, quæ pro bono Eccleſiæ regimine, ejuſque Diſciplinæ inſtauratione duodecimo ſæculo fuerunt in Anglia celebrata.

(*a*) „ Alios Concilii hujus Londinenſis Canones exhibet Wilkins in MS. Cod. a ſe repertos, in quibus plura ſub anathemate interdicuntur. Invaſores rerum ſacrarum, & hominum ſacrorum excommunicantur. Mandat ne oleum ſacrum vel chriſma *contemptoribus* vel excommunicatis tradatur; ſed conſignari vult Archidiaconis, judicio Epiſcopi fidis & religioſis. Clericos ſi cum excommunicatis egerint vel cohabitent, tam ordinis ſui, quam beneficiorum Eccleſiaſticorum periculo ſubjicit. Divina officia & ſigna campanarum ne pulſentur, mandat, in loco, *ubi aliquis excommunicatorum præſens fuerit*. Statuit anathema in eos, qui corpora excommunicatorum ſepulturæ mandaverit. Si quis excommunicatus ſive ab Epiſcopo, ſive a Sacerdote, & metu gravis alicujus mali cogente, certum terminum ad ſatisfaciendum promiſerit: interim vero præſcripto elapſo tempore non facta ſatisfactione moriatur, inſepultus maneat. Si vero terminus non fuerit præſcriptus, & infra tres menſes non ſolverit, ſimili pœna plectatur. Sacerdotes qui a celebratione Divinorum officiorum interdicti nihilo ſecius celebraverint, ac propterea *anathemate vincti ſunt, degradentur, & bonis Eccleſiarum priventur, niſi a Domino proprio veniam conſequantur*. Capellanias potentium nemo Sacerdotum ſuſcipiat injuſſu Epiſcopi; qui contra fecerint, ordine & beneficio Eccleſiaſtico careant. Qui ſciens & prudens communicaverit cum excommunicato tanquam *ex nomine* excommunicatus habeatur. Raptores rei Eccleſiaſticæ excommunicatione plexi annuatim, ſi alias non potuerint, reſarciant, quod ſe præſtituros jurati ſpondeant. Si Epiſcopus per ſententiam aliquem puniverit, & aliis coepiſcopis nunciaverit, ut eandem ſententiam promulgent, illico pareant. Ceteros Canones vide in meo Conciliorum ſupplemento tom. 2. pag. 427. „

D. Ut plenior ſit, atque omni ex parte abſoluta Conciliorum Notitia, quam hactenus tradidiſti, supereſt ut in fine hujuſce noſtri Colloquii adtexas Concilia Nationalia, quæ duodecimo ſæculo ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam in Hiſpania habita ſunt.

M. *Joſephus de Aguirre* S. R. E. Cardinalis Tomo 3. *Collectionis Maximæ Conciliorum omnium Hiſpaniæ* exhibet, ac perdoctis Notis illuſtrat ſingula Concilia Nationalia, quæ duodecimo Eccleſiæ ſeculo in Hiſpania fuerunt convocata. Quapropter in his referendis Conciliis diu non immorabimur, ſed eorum dumtaxat ſeriem juxta ordinem temporis diſponere, & breviter, quantum fieri poterit, texere ſatagemus. Concilium *Fuſſelenſe* apud S. Mariam *de Huſillos* prope Palentiam in Hiſpania, Præſide *Richardo* Sedis Apoſtolicæ Legato, celebratum eſt circa annum MCIV. ſicut multis momentis Card. *de Aguirre* Tomo 3. Conciliorum Hiſpaniæ pagin. 317. probat contra *Sandovalium*, qui iſtud Fuſſelenſe Concilium refert ad annum MCXXXV. In eo potiſſimum diſceptatio fuit de regendis finibus, ſive de terminis dividentibus Oxonienſem Epiſcopatum ab Occenſi, ſeu Burgenſi. Deinde, quædam circa Officium divinum tractata ſunt. Denique, cautum fuit extirpandæ incontinentiæ Clericorum, quorum multi tamquam uxorati vivebant; ſed irrito pene conatu, cum id vitium altas radices egiſſet, quod tamen annis ſequentibus eliminatum fuit. Concilium *Carrionenſe*, Præſide *Bernardo* Archiepiſcopo Toletano & Sedis Apoſtolicæ Legato, celebratum eſt in fine anni MCX. vel ineunte

Anno

Digitized by Google

Anno ſequenti MCXI. In eo ventilata fuit cauſa adverſus *Gundiſalvum* Mindonienſem Epiſcopum, qui duos Archipresbyteratus cum dimidio contra jus Eccleſiæ Compoſtellanæ violenter retinebat, ut patet ex litteris *Bernardi* Archiepiſcopi Toletani, quas ad eumdem *Gundiſalvum* poſt celebratum iſtud Concilium directas exhibet Cardinalis *de Aguirre* pagin. 318. Non poſt multum temporis idem *Bernardus* Toletanus Archiepiſcopus Concilium *Legionenſe*, circa annum Chriſti MCXIV. indixit, ſed quid in eo actum fuerit, omnino latet, ut videre eſt apud Cardin. *de Aguirre* pagin. 319. Aliud Concilium eodem anno MCXIV. *Palentiæ* convocavit *Bernardus* Archiepiſcopus Toletanus & Summi Pontificis Legatus, in quo ſubverſionibus & calamitatibus, quæ Eccleſias Hiſpaniarum tantopere exagitaverant, Patres finem imponete ſollicite ſtuduerunt, & *Petrum* Capellanum Reginæ ad Sedem Lucenſem canonice electum, Epiſcopum conſecrarunt. Extant Acta, aliaque hoc Concilium Palentinum ſpectantia, & ex Hiſtoria Compoſtellana MS. alioque *Garziæ Loaiſa* Codice MS. eruta apud Cardinalem *de Aguirre* Tomo III. *Concil. Hiſp.* pagin. 319. & ſeqq. Ad eumdem annum MCXIV. referri debet Concilium *Compoſtellanum*, quod *Didacus Gelmirez* ejuſdem Sedis Epiſcopus celebravit, & in quo multa ad Diſciplinam Eccleſiaſticam, quædam ad communem utilitatem ſalubriter ſancita ſunt. Extant Canones viginti quinque hujuſce Concilii *de Judicibus*, *de Calumniis & Cauſis Pauperum*, *de Proditoribus & Latronibus*, *de die Dominica*, *de Quadrageſima*, *de Vicariis*, *de Rebus captivorum*, *de muratoribus & peregrinis*, *de Clericis* &c. Quos ex Codice MS. Mondexarenſi cum Codice MS. Toletano publicavit Cardin. *de Aguirre* Tomo III. *Concil. Hiſp.* pagin. 322. & ſeqq. Concilium *Ovetenſe* in Aſturia, Præſide *Pelagio* hujus urbis Epiſcopo, habitum eſt die Pentecoſtes, anni MCXV. Extant hujus Concilii contra Prædones, ſacrilegos, & diverſi generis maleficos, qui in Aſturiarum partibus graſſabantur, tres Canones quibus adjectæ ſunt ſubſcriptiones tum Nobilium, tum Epiſcoporum, quibus Synodales illi Canones confirmantur. Quæ omnia ex Codd. MSS. Toletanis deprompta Cardin. de *Aguirre* eruditis Notis illuſtravit Tomo III. *Concil. Hiſp.* pagin. 324. & ſeqq. Concilium *Palentinum* II. in Hiſpania Tarraconenſi, Præſide *Raymundo* Archiepiſcopo Toletano, habitum eſt anno MCXXIX. prima Quadrageſimæ hebdomade. In eo plurima ad Eccleſiæ, & Regni commodum, ad inſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam ſtatuta ſunt, ac jus Emeritanæ Eccleſiæ Compoſtellano-Archiepiſcopo reſtitutum. Extant hujus Concilii Canones XVII. de *Proditoribus publicis*, *de Concubinis Clericorum ejiciendis*, *de Monachis vagis*, *de Excommunicatis*, *de Adulteris & Inceſtuoſis ſeparandis*, *de Laicorum Inveſtituris*, *de Obedientia Regi fideliter & ſine dolo ab omnibus præſtanda*, &c. Hos XVII. Canones ex Codice MS. Mondexarenſi exhibet Cardin. de *Aguirre* Tomo 3. *Concil. Hiſp.* pag. 341. Concilium *Legionenſe* habitum eſt Anno MCXXXV. & in eo multa ad obſequium Dei, & utilitatem Regni ſtatuta ſunt, quæ a Cardinali *de Aguirre* accurate referuntur Tomo 3. *Conc. Hiſp.* pag. 344. Celebrata eſt anno ſequenti, MCXXXVI. Synodus *Burgenſis*, in qua Præſide *Guidone* Cardinali, & Sedis Apoſtolicæ Legato, plura circa ordinem divini Officii ſancita ſunt, ut ait ſæpe citatus Card. de *Aguirre* pag. 345. Idem *Guido* Cardinalis indixit Anno MCXXXVII. Concilium *Vallis Oletanum*, cujus meminit Cardin. *de Aguirre* pag. 347. Sed quid in eo Concilio geſtum ſit, nos fere latet. Nec melioris notæ ſunt, quæ de Concilio *Tarraconenſi* anno MCXLVI. de Concilio *Palentino* anno MCXLVII. celebratis idem Card. de *Aguirre* pag. 354. nec non etiam ea quæ habet pag. 364. de Concilio *Valis-Oletano* Generali, quod, Præſide *Hyacintho* Cardinali, & Sedis Apoſtolicæ Legato celebratum eſt Anno MCLV. Cum igitur nota non ſint ea, quæ in prædictis Conciliis duodecimo Eccleſiæ Sæculo in Hiſpania celebratis geſta ſunt, illa levi brachio attigiſſe ſufficiat. Poteris tamen, ſi tibi per otium liceat, adite ſæpius laudatum Cardinalem de *Aguirre*, qui in exquirendis ac illuſtrandis veteribus Hiſpaniæ Monumentis, præſertim illis, quæ manuſcripta in antiquiſſimis Bibliothecis per multa ſæcula latuerant, maximam adhibuit diligentiam, eaque, poſt maturum ac diuturnum Criterium, ſummo Reipublicæ tam Eccleſiaſticæ, quam litterariæ emolumento publici juris fecit.

D. Hæc ſunt igitur omnia Concilia, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo variis in locis fuerunt celebrata?

M. Aliquot Concilia, quæ tanti non ſunt ponderis, conſulto prætermiſi. Hic tamen unum, quod in Dalmatia anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono *Joanne Capellanus*, & *Simon* Subdiaconus Sedis Apoſtolicæ Legati, Auctoritate *Innocentii* III. Pontificis Maximi ad curandam Eccleſiæ Diſciplinam celebrarunt, adjicere haud pigebit. In hoc Dalmatiæ Concilio duodecim conditi ſunt Canones, de non dandis aut recipiendis in Ordinationibus pecuniis; de Clericorum cœlibatu, & Ordinationum temporibus, de Oblationum, & Decimarum Canonica in quatuor partes diviſione ac diſtributione; de Sigillo Confeſſionis Sacramentalis inviolate ſervando ſub pœna privationis Officii & Beneficii; de reverentia Sacerdotibus exhibenda, & de excommunicatione eorum, qui ſactis hominibus violentas manus injiciunt, Summo Pontifici, vel ejus Legatis reſervanda; de prohibendis Matrimoniis inter conſanguineos in quarto gradu, vel infra, ſub pœna excommunicationis; de ſervanda Tonſura Clericali; de excommunicationis anathemate quo percelluntur Clerici, qui de manu laica Beneficia Eccleſiaſtica ſuſcipiunt, & Laici dantes; nec non illi, qui theſauros Eccleſiarum injuſte poſſident, ac viri, qui uxores ſuas, ſine Eccleſiæ judicio, dimittunt. Unde-

Digitized by Google

Undecimus Canon nothos a Sacris Ordinibus arcet, denique, duodecimus prohibet ne ullus ad Sacerdotii gradum promoveatur, niſi trigeſimum annum expleverit. Extant duodecim iſtius *Dalmatici* Concilii Canones Eccleſiaſticam Diſciplinam ſpectantes Tom. II. Conciliorum part. 1. pag. 7. Sed hic noſtro de Conciliis Colloquio finem ac metam imponamus, alterum poſtridie habituri, in quo diſſeremus de Viris Illuſtribus, qui doctrina & ſanctitatis fama celebres duodecimo Eccleſiæ ſæculo, variis ac perdoctis editis lucubrationibus, floruerunt.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illuſtribus, qui eruditionis, & pietatis laude duodecimo Eccleſiæ ſæculo claruerunt.

D. NE ingens copia ſeu multitudo Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui duodecimo Eccleſiæ Sæculo floruerunt, aliquam in Colloquio noſtro confuſionem pariat, meamque nimium oneret memoriam; optarem ut illos in ſex omnino Claſſes diſtribueres, & in primæ eſſent Scriptores, qui doctrina, & pietate Orientem illuſtrarunt, in altera hi, qui de *Hiſtoria* libros ediderunt; in tertia Scriptores *Galli*; in quarta Angli; in quinta celebriores *Monachi*, & in ultima illi, qui *de Theologia Scholaſtica*, & *de jure Canonico* ſcripſerunt. Eo præclaro ordine omnes duodecimi Eccleſiæ ſæculi Scriptores diſponendo, multo facilius, ut ſpero, eorum patriam, Opera, atque præclara geſta meæ memoriæ mandabo.

M. Ampliſſimum ſuppeditas dicendi argumentum, quod ſi, pro eo ac meretur, in præſentia pertractare, & omnia, quæ dici in hanc materiem poſſunt, vellem in medium adducere, jam me dies, vox, lateraque deficerent. Ut igitur brevitati, quam nobis a principio præſcripſimus, conſulamus, neceſſe eſt, ut iſtud tam late patens argumentum ita in hocce Colloquio contrahamus, ut tamen nihil eorum prætermittamus, quæ potiſſimum ſpectant Scriptores Eccleſiaſticos, qui duodecimo ſæculo tam Eccleſiam Orientalem, quam Occidentalem doctrina & ſanctitate nobilitarunt. Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui duodecimo ſæculo in Oriente floruerunt, agmen ducet *Philippus* dictus *Solitarius*, Monachus Græcus, qui anno MCV. direxit ad *Callinicum*, opus *Dioptram* dictum, ſeu *Regulam Vitæ Chriſtianæ*, quæ in libros, ſeu Sermones quatuor dividitur, & in quibus anima & corpus diſputant. Prodiit hoc Opus latine ex verſione *Jacobi Pontani* Ingolſtadii an. MDCIV. & deinde inſertum eſt Bibliothecæ Patrum Tom. 21. pag. 553. *Petrus Croſolanus*, *ſeu Chryſolanus* dictus, claruit circa ann. MCX. fuit primum minoris cujuſdam Civitatis, ſeu Savonenſis, Præſul, deinde Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopus, & a *Paſchali* II. Pontifice Maximo Conſtantinopolim miſſus, ubi ſtrenue adverſus Græcos ſchiſmaticos de proceſſione Spiritus Sancti tum voce, tum ſcriptis decertavit. Domum poſtea reverſus, orta illum inter & *Jordanem* de ſede Mediolanenſi lite, ſententia Concilii Lateranenſis habiti anno 1116. Mediolanenſi Archiepiſcopatu abdicatus eſt, & ad priorem ſedem redire coactus. Extat ejus oratio ad *Alexium Comnenum* Imperat. *de proceſſione Spiritus Sancti* Latine apud *Baronium* ad ann. MCXIX. & Græco-Latine apud *Leonem Allatium* tomo 1. *Orthodoxæ Græciæ* pag. 379. *Euthymius Zigabenus*, Monachus Græcus Ordinis *Sancti Baſilii*, floruit, circa annum MCXVI. vivente adhuc *Alexio Comneno* Imperatore, cujus juſſu edidit *Orthodoxæ fidei dogmaticam Panopliam adverſus omnes hæreſes* ex variis SS. Patrum Scriptis contextam, & duas in partes diviſam, quarum prior 11. poſterior 13. titulos continet. Extat hæc *Panoplia*, interprete *Franciſco Zino* latine edita Lugduni an. MDLVI. Pariſiis an. MDLVI. Venetiis MDLXXV. in Bibliotheca Patrum tom. 19. ubi etiam habentur latine ejuſdem *Euthymii* commentaria in omnes Pſalmos, & in decem Scripturæ Sacræ Cantica, nec non Commentarium in quatuor Evangelia. Teſtatur *Simlerus*, Græce extare in Bibliotheca Sambuci Commentarium *Euthymii* in Epiſtolas Catholicas, quod tamen necdum lucem adſpexit. Hunc *Euthymium*, ſchiſmaticum fuiſſe probat *Leo Allatius* ex Tractatu MS. Bibliothecæ Regiæ, cujus hic titulus eſt: *Euthymii Monachi Zigabeni contra Latinos duodecim Capita de proceſſione Spiritus Sancti*. Panopliam, ejuſque Auctorem *Euthymium* lib. 15. Alexiados pag. 490. egregie commendat *Anna Comnena* elegantiſſima quidem Princeps hiſtorica, ſed ſchiſmatica, ut mox ejus referendo Opera, oſtendemus. *Euſtratius*, Metropolita Nicænus, ſcripſit adverſus *Chryſolanum*, cujus mox mentionem fecimus, Opus *de proceſſione Spiritus Sancti*, quod nondum editum eſt. Quinque alios ejuſdem argumenti compoſuit *Tractatus*, quos adhuc manuſcriptos vidit, & recenſet *Leo Allatius* lib. 2. *de Conſenſu Eccleſ. Orient. Occid.* cap. 10. Extant etiam ejuſdem *Euſtratii* Commentarii *in poſteriora Analytica Ariſtotelis* Græce editi Venetiis anno MDXXXIV. & Commentarii *in Ariſtotelis Ethica* Græce ibidem typis excuſi anno MDXXXVI. & Latine Pariſiis MDXLIII. Contra Latinorum dogmata *Nicetas Seidus* Scriptor Græcus edidit Opuſculum, in quo probandum ſuſcipit, antiqua non eſſe novis venerabiliora, ac ſubinde Sedem Romanam, antiquiorem licet, pluris non eſſe faciendam, quam Sedem Conſtantinopolitanam. Ampla quædam, nec contemnenda ex hoc Opuſculo fragmenta profert *Leo Allatius* in ſuis libris *de Conſenſu Eccleſ. Orient. & Occid.* lib. 1. cap. 14. §. 1. & 2. lib. 2. cap. 1. §. 2. & lib. 3. cap. 12. §. 4. *Iſaac*, Magnæ Armeniæ Catholicus, ideſt, omnibus Armeniæ Epiſcopis Primatis jure præſidens, claruit, ut conjicit doctiſſimus noſter *Combefiſius* circa annum MCL. Duas ſcripſit *Orationes Invectivas adverſum Armenorum errores*, quas edidit, & eruditis Notis illuſtravit idem *Combefiſius* in Auctuario Bibliothecæ Patrum tom. 11. pag. 317. *Michael Glycas* Scriptor Græcus, natione Siculus, ſcripſit Annales

Digitized by Google

les quadripartitos, qui Latine ex verſione *Joannis Leunclavii* prodierunt Baſileæ anno MDLXXXI. & Græco-Latine cum verſione & Notis *Philippi Labbei* Pariſiis anno MDCLX. *Diſceptatiunculas duas* ejuſdem *Michaelis Glycæ* edidit Latine *Jacobus Pontanus* una cum *Philippi* Monachi Græci *Dioptra* Ingolſtadii anno MDCIV. Plura fragmenta diverſarum epiſtolarum *Michaelis Glycæ* profert *Leo Allatius*, & lib. 2. *de Conſenſu Eccl. Occid. & Orient.* c. 18. §. 17. citat tres ejuſdem Scriptoris Tractatus adhuc ineditos, unum videlicet ad *Maximum Smeniotem* de Proceſſione Spiritus Sancti; alterum, ad eumdem, *an Chriſtus Azymo in ſuprema cœna uſus ſit*, & tertium, qui directus eſt *ad Eſaiam Monachum* de animabus a corpore ſeparatis. (*a*) Quædam etiam *Glycæ* in Sac. Scripturam Opera Exegetica in Bibliotheca Cæſarea Viennenſi aſſervari MSS. prodit *Poſſevinus* Tomo ſecundo *Apparatus* pag. 112. *Nicetas* patria Byzantinus, & vitæ inſtituto Philoſophus, vel, ut alii volunt, Monachus, ſcripſit *Tractatum Apologeticum* pro Synodo Chalcedonenſi adverſus Armeniæ Principem, quem Græco-Latinum *Leo Allatius* inſeruit tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* pag. 663. *Conſtantinus Manaſſes* Scriptor Græcus direxit ad *Irenem*, ſororem *Manuelis Comneni* Imperatoris, *Compendium Hiſtoricum* ab initio mundi uſque ad tempus Imperii *Alexii Comneni*, hoc eſt, ad annum uſque MLXXXI. Prodiit iſtud *Compendium Hiſtoricum* Latine ex *Leunclavii* verſione Baſileæ anno 1573. Fuit etiam Græco-Latinum typis Pariſienſibus excuſum cum Notis *Leunclavii*, *Meurſii*, *Allatii*, & *Fabroti* an. MDCLV. Non diu poſt exortam *Bogomilorum* hæreſim claruit in Oriente duodecimo ſæculo *Conſtantinus Harmenopolus* Sebaſtus, Judex Theſſalonicenſis, & Auctor *Promptuarii Juris Civilis*, quod prodiit Græce Pariſiis anno MDXL. Latine Lugduni MDLVI. & Græco-Latine cum *Joannis Merceri*, & *Dionyſii Gothofredi* Notis Genevæ MDLXXXVII. Edidit etiam idem Scriptor *Epitomen divinorum ſacrorumque Canonum*, quam Græco-Latinam publicavit *Leunclavius* tom. 1. *Juris Græco-Romani*. Extat quoque Tom. 1. Auctuarii *Fronton Duiſcæi* ad Bibliothecam Patrum liber ab eodem *Conſtantino Harmenopulo* editus *De Sectis Hæreticorum*, cui ſubjicitur *Confeſſio de opinionibus Hæreticorum*, & *de Fide Orthodoxa*.

Præter iſtos Scriptores Græcos doctrinæ fama celebres, quos hactenus laudavimus, alii non minus eruditionis laude illuſtres duodecimo Eccleſiæ ſæculo in Oriente claruerunt, quos hic continua ſerie recenſere debemus. *Joannes*, ex Monacho in Oxia Inſula ad Sedem Patriarchalem Antiochenam provectus compoſuit *Orationem in donationes Monaſteriorum Laicis factas*, in quas acriter invehitur, & graviſſimos inde naſcentes abuſus, qui in perniciem Monaſticæ diſciplinæ vergunt, inſectatur. Hanc *Joannis* Orationem, ſeu Tractatum, edidit *Cotelerius* tomo 1. *Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*. Jam obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam hujus ſæculi duodecimi, *Andronicum* Imperatorem Orientis eſſe verum Auctorem *Dialogi contra Judæos*, quem Cardinalis *Sirletus* putavit, eo tantum jubente, ab *Euthymio Zigabeno* compoſitum fuiſſe. Extat ille Dialogus Tomo 14. Biblioth. Patrum editionis Colonienſis. Floruit eodem ſæculo XII. alter *Andronicus*, dictus *Camaterus* Urbis Conſtantinopolitanæ Præfectus, & Imperatoris *Manuelis Comneni* affinis, qui ſcripſit librum adverſus Latinos, ſeu potius *Dialogum* inter *Manuelem* Imperatorem, & Cardinales Romanos *de proceſſione Spiritus Sancti*; quem Dialogum confutavit poſtea *Veccus*, qui ſæculo decimo tertio, hoc eſt, circa annum MCCLXXIV. claruit. Auctor eſt etiam idem *Andronicus Camaterus* Diſputationis *Imperatoris Manuelis cum Petro Patriarcha Armenorum*, & libelli *de duabus in Chriſto Naturis*. Sed iſti duo libri adhuc inediti ſunt, & extare MSS. dicuntur in Bibliotheca Bavarica. *Georgius* Metropolita Corcyrenſis, de quo, ejuſque libris adverſus Latinos editis late diſſerit *Leo Allatius* in Diatriba *de Georgiis & eorum ſcriptis*, edidit *Syntagma contra Latinos de Purgatorio igne*, & *Commentarium* etiam contra Latinos, quo probare nititur, Apoſtolos, & Eccleſiam primitivam panem ſolummodo fermentatum in Euchariſtiæ confectione adhibuiſſe. Utrumque Opus Græce extat in Bibliotheca Barberina. Cardinalis *Baronius* tomo 12. Annalium, videlicet ad annum 1176. 1178. 1179. & 1180. inſeruit Latine verſam *Monodiam*, quam hic *Georgius* compoſuit in obitum *Nectarii* Monaſterii Caſulorum Abbatis, nec non aliquot ejuſdem Scriptoris epiſtolas Latine itidem verſas. *Antonius*, *Meliſſa* ob ſermonum ejus ſuavitatem nuncupatus, Monachus Græcus, ſcripſit libros duos *locorum communium*, ſeu *ſententiarum* ex SS. Patrum Scriptis excerptarum, *de virtutibus*, & *vitiis*, qui extant Tomo 5. Biblioth. Patrum editionis Pariſienſis pag. 878. *Blaſius Achridenus*, Metropolita Theſſalonicenſis, ab *Hadriano* IV. Papa per litteras ſollicitatus, ut relicto Græcorum ſchiſmate ad Romanæ Eccleſiæ gremium rediret, reſpondit, Eccleſiam Græcam non eſſe ſchiſmaticam, nec Romanam Eccleſiam ſuperiorem. Extat

tat

„ (*a*) Michaelis Glycæ Epiſtolas longe multas reperit Lambecius in Cod. Vindebonenſi, quarum poſtremam ſignari affirmat Epiſt. lxiv. Ex his quaſdam vulgavit Bonaventura Vulcanius in Not. *ad S. Cyrillum contra Anthropomorphitas*. Alias dedit P. Jacobus Pontanus S. J. Sexdecim in Ricchardiano Cod. nactus eſt Cl. Lamius. Ex his decem ipſe evulgavit tum in primo, cum in ſecundo tomo Operis inſcripti: *Deliciæ Eruditorum* cum ſua Latina interpretatione, quanquam & ex his nonnullæ antea lucem aſpexerant tum apud Vulcanium, tum apud Pontanum, quæ tamen omnes, Lamio curante, partim ſuppletæ ſunt, partim Græco textu adpoſito, qui in editione Pontani nondum paruerat. In calce voluminis 1. produxit idem Collector Anonymi Græcam fidei confeſſionem cum ſua Latina interpretatione. Ex his epiſtolis nonnullæ de initio, & fine Mundi, ac de Reſurrectione agunt.

tat ejus ad *Hadrianum* Epiſtola, una cum litteris *Hadriani* Papæ apud *Baronium* ad annum MCLV. *Lucas*, *Chryſoberges* cognomento dictus, cujus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam hujus ſæculi duodecimi texendo ſeriem Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, jam meminimus, tredecim condidit *Decreta Synodalia*, nimirum, *ne fiant nuptiæ in ſeptimo gradu conſanguinitatis; De Clericis ſe immiſcentibus ſacularibus negotiis; ne jusjurandum irregulare ſervetur; infantibus captivis baptizandis; de Agarenis &c.* Quæ Decreta *Leunclavius* inſeruit libro 3. *Juris Græco-Romani* pagin. 217. *Alexius Ariſtenus*, Scriptor Græcus, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Œconomus, *Synopſim Canonum* Notis illuſtravit, quas *Beveregius* in *Pandectæ Canonum* edidit Oxoniæ anno MDCXXII. in eamdem Synopſim Canonum Scholia ediderat *Simeon Logotheta*, qui *Alexio Ariſteno* ſuppar fuit, ſed hæc Scholia, ut obſervat *Beveregius*, omnino perierunt. Sunt nonnulli Critici, qui exiſtimant, hunc Simeonem Logothetam juniorem eſſe Auctorem libri de *Opificio Mundi*, quem MS. penes Dominum *Du-Freſne Du-Cange* extitiſſe memorat *Caſimirus Oudinus* in Supplemento Scriptorum Eccleſiaſt. pag. 413.

Huic Catalogo Græcorum Scriptorum, qui ſua eruditione Sæculo 12. Orientem illuſtrarunt, accenſeri merito debent *Joannes Cinnamus*, *Theorianus*, *Hugo Etherianus*, *Nicephorus Bryennius Macedo*, *Anna Comnena*, *& Joannes Zonaras*, de quorum Operibus pauca hic dicemus. *Joannes Cinnamus* cognomento *Grammaticus*, ſcripſit Hiſtoriam duorum *Comnenorum* Imperatorum, *Joannis*, & *Manuelis*, quam in ſex libros diſtributam cum Verſione latina, Notiſque Hiſtoricis, & Philologicis *Carolus Du-Cangius* edidit Pariſiis ann. 1670. Hunc *Joannem Cinnamum*, præ cæteris aliis Scriptoribus Græcis, *Auctorem elegantem* appellant *Leo Allatius* in Diattiba de *Simeonum Scriptis*, & *Gerardus Voſſius* lib. 4. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 19. *Theorianus*, natione Græcus, & ab Imperatore *Manuele Comneno* miſſus ad Armenos, ut cum ipſis pro fide Orthodoxa diſputaret, *Dialogum*, ſeu Colloquium habuit cum Armenorum Patriarcha, qui *Theoriani* argumentis victus manus dedit. *Dialogum* iſtum litteris mandavit *Theorianus*, in quo præcipue id incumbit, ut Sanctorum Patrum authoritate Eutychianos & Monophyſitas, quorum erroribus Armeni infecti erant, refellat, & doctrinam Catholicam de duabus in Chriſto naturis, Synodique Calcedonenſi authoritatem ſtabiliat. Edidit hunc Dialogum Græco-Latinum *Joannes Leunclavius* Baſileæ anno MDLXXVIII. eumque exinde recudi curavit *Fronto Ducæus* in Bibliotheca Patrum Græco-Latina. *Hugo Etherianus*, licet natione Hetruſcus eſſet, floruit tamen Conſtantinopoli, imperante *Manuele Comneno* quo annuente, tres libros, pro dogmatibus Latinorum conſcripſit, in quibus præcipuos e Schiſmaticis Auctores copioſe & erudite confutavit, puta Nicomediæ Antiſtitem, Nicolaum Methonenſem, Nicetam Byzantinum, quem Philoſophum appellat, Theophylactum, & Photium. Edidit etiam idem *Hugo Etherianus* librum *de Anima copore exuta*. Extant omnes illius Scriptoris libri Tomo 22. Bibliothecæ Patrum pag. 1176. *Nicephorus Bryennius*, gener *Alexii* Comneni Orientis Imperatoris, omni diſciplinarum genere inſtructus fuit. Scripſit enim *rerum Byzantinarum Hiſtoriam* ab anno MLVII. uſque ad annum MLXXXI. quæ prodiit Græco-Latina cum Verſione & Notis *Petri Poſſini* Pariſiis an. MDCLXI. Notas etiam hiſtoricas & Philologicas in eamdem hiſtoriam ſcripſit *Carolus Du-Cangius*, & ad calcem *Cinnami* Scriptoris Græci edidit Pariſiis ann. MDCLXX. Uxorem habuit Nicephorus Bryennius *Annam Comnenam* Imperatoris *Alexii Comneni* & *Irenes* filiam, omni ſcientiarum laude claram, quippe quæ *Hiſtoriarum* lib. 15. de rebus ab *Alexio Comneno* Imperatore patre ſuo geſtis quos ideo *Alexiada* appellavit, elegantiſſime ſcripſit, qui integri cum Notis *Heſchelii*, & *Poſſini* Gloſſario prodierunt Pariſiis Græco-Latini ann. MDCLI. Notas etiam hiſtoricas & Philologicas in eoſdem quindecim libros concinnavit *Carolus Du-Cangius* & Hiſtoriæ *Cinnami* ſubjecit Pariſiis anno MDCLXX. Verum, quamvis *Anna Comnena* Princeps fuerit hiſtorica elegantiſſima, in hoc tamen jure ac merito reprehenditur, quod in ſua deſcribenda Hiſtoria, paſſim *Alexio Comneno* Imperatori patri ſuo nimium aduletur; quodque Græcorum Schiſmati addicta Præſules & Sacerdotes Latinos, qui ſacris Expeditionibus aderant, calumniis proſcindat, eoſque ceu immanes & ſanguinarios traducat libro decimo his verbis. *At Barbarus Latinus, ſimul atque initiatus ſacris, primitias Sacrificii libaverit, Clypeo ſtatim in lævam inſerto, correpta in dexteram vibrataque lancea, ſimul divinum communicat corpus & ſanguinem, ſimul torvum ac ſanguinarium tuetur, deſignans ad cædem homines oculis vir Sanguinum. Adeo barbarum hoc genus non minus ſibi belli ac gladii jus uſumque arrogat, quam Sacerdotii apicem depoſcit.* Non ſolum *Anna Comnena* litteris exculta fuit, ſed etiam *Alexius Comnenus* Imperator, ejus Pater, & *Irene Ducæna* ipſius mater litteras impenſe coluerunt. Extant ſiquidem *Alexii Comneni* Imperatoris Monita ad *Spanem* nepotem, verſibus politicis Græcobarbaris ſcripta & publicata Venetiis a *Chriſtophoro Zaneto*, ſed ſine verſione latina & abſque ulla mentione anni impreſſionis. Hujus Operis exemplar MS. in Bibliotheca Cæſarea extare teſtatur *Lambecius* lib. 5. pag. 262. aliudque in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi aſſervari monet *Du-Cangius* Tom. 2. *Gloſſarii mediæ Græcitatis* in Indice Auctorum Græcorum ineditorum, qui in eo laudantur. *Irenem* veo *Ducænam*, matrem *Annæ Comnenæ*, ingenio itidem præditam, litteriſque inſtructam fuiſſe, teſtatur ipſamet *Anna Comnena* in *Alexiade* lib. 5. pag. 147. ubi matris ſuæ ſtudia, & litterarum patrocinium extollit. (*a*) Denique, inter Scriptores Græcos, qui duodecimo ſæculo floruerunt, recenſetur *Joannes Zonaras*, qui multis in

juven-

Digitized by Google

juventute dignitatibus ornatus, & in Imperio Orientis Clariſſimus, ſæculo nuncium remiſit, ac vitam iniit monaſticam ſub Regula Sancti Baſilii. *Annales* ſcripſit ab Orbe condito uſque ad obitum Imperatoris *Alexii Comneni*, hoc eſt, uſque ad annum MCXVIII. Iſtud Annalium Opus Pariſiis anno MDCLXXXVI. edidit *Du-Cangius*, illudque diſtribuit in 18. libros. *Commentarios* etiam *Zonaras* adornavit *in Canones Apoſtolorum, & ſacrorum Canonum*, necnon in Epiſtolas Canonicas Sanctorum Patrum Dionyſii & Petri Alexandrinorum, Gregorii Thaumaturgi, & Baſilii. *Canon*, ſeu *Hymnus* de Sancta Virgine, Auctore *Zonara*, extat in Bibliotheca Patrum, & in Tomo 3. *Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*, quæ edidit *Coteleriuſ*.

(*a*) „ Irene hujus Ducænæ extat vulgatum typicum, ſeu regula data ab illa ſanctimonialibus Monaſterii, cui nomen ipſa indiderat *Gratia plenæ Dei Matris*; quod cum interpretatione P. Montfaucon vulgarunt Benedictini S. Mauri Pariſiis anno *1692.* & adjungi ſolet monumentis Græcis Cotelerii.

Nonnullos duodecimi ſæculi Scriptores Græcos, qui parum noti ſunt, aut quorum Opera apud viros eruditos non multum ponderis habent, conſulto prætermitto, duos tamen ejuſdem ſæculi Scriptores Græcos, videlicet *Lupum Protoſpatam* & *Theodorum Balſamonem*, cujus ſub finem Colloquii II. obiter mentionem feci, ſilentio hic præterire minime debeo. *Lupus Protoſpata*, quem ita cognominatum ajunt, quod Officio Protoſpatarii in Palatio Imperatoris fungeretur, ſeu Palatinorum Militum Dux eſſet, ex Apulia oriundus, ſcripſit *Chronicon de Rebus in Regno Neapolitano Geſtis* ab anno DCCCLX. ad annum MCII. breve quidem ſed accuratum, teſte *Auberto Miræo*. Hoc Chronicon edi curavit *Antonius Caraccioli* Theatinus Neapoli an. MDCXXVI. illudque continuavit ad annum uſque MDXIX. *Theodorus Balſamon* juſſu *Manuelis* Imperatoris, & *Michaelis Anchialis* Patriarchæ Conſtantinopolitani, *Expoſitionem Nomocanonis Photii* aggreſſus; Opus poſtmodum abſolutum *Georgio Xiphilino*, Patriarchæ Conſtantinopolitano nuncupavit. Eo in Opere Latinam Eccleſiam totis ſuis viribus infamat *Balſamon*, qui tamen, ut ait *Leo Allatius* lib. 2. *de Conſenſu Eccl. Occid.* & *Orient.* cap. 13. execrabiliora evomuit in *Meditatis*, maxime dum agit de Patriarcharum Privilegiis, & in Reſponſionibus ad *Marcum* Patriarcham Alexandrinum. Ea Balſamonis *Meditata* publicavit *Joannes Leunclavius* tom. 7. *Juris Græco-Romani*, ejus vero *Reſponſa ad Interrogationes Marci Patriarchæ Alexandrini*, edidit idem *Leunclavius* lib. 5. *Juris Græco-Romani*. Præter hoſce libros, *Theodorus Balſamon*, Græcorum ſui temporis doctiſſimus, Juris Orientalis, Canonumque Eccleſiaſticorum, omnium quos tulit ferax Græcia peritiſſimus, varia reliquit Opera, quæ in ſæpe citato Opere *Juris Græco-Romani* inſeruit *Leunclavius*.

D. Conſtituimus in ſecunda Claſſe Scriptorum, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo floruerunt, illuſtres Auctores, qui res ad Hiſtoriam ſpectantes litteris mandarunt. Cedo itaque, ſi placet, nomina & Opera eorum, qui duodecimo ſæculo de Hiſtoria ſcripſerunt?

M. Cum inter Hiſtoricos duodecimi Sæculi Scriptores, alii ſint, qui univerſalem Hiſtoriam ſcriptis conſignarunt, alii, qui particulares dumtaxat Hiſtorias, videlicet *Rerum Anglicarum*, aut *ſacrarum Expeditionum* proſecuti ſunt; illos ut ordine percenſeamus, ab his incipiemus, qui Hiſtoriam univerſalem conſcripſerunt. *Florentinus Bravonius* dictus, natione Anglus, & Monachus Wigornienſis ſcripſit *Chronicon* ab Orbe condito uſque ad annum MCXVIII. ex *Mariano Scoto* ut plurimum deſumptum, quod excuſum eſt Londini ann. MDXCII. & Francofurti anno MDCI. Scripſit etiam idem Auctor librum de *Regali Proſapia Anglorum*, ſeu *Regum Anglorum Genealogia*, qui habetur ad calcem ejus Chronici in Editione Londinenſi. *Hugo*, Ordinis Sancti Benedicti Monachus Floriacenſis, ſcripſit *Chronicon* a creatione mundi uſque ad annum DCCCXLVIII. quod *Monaſterii* editum eſt anno MDCXXXVIII. Compoſuit quoque *Hugo* libros duos *de Regia poteſtate, & Sacerdotali dignitate*, *ad Henricum Angliæ Regem*, quos publicam in lucem emiſit doctiſſimus *Baluzius* Tom. 4. *Miſcellanæorum* pag. 9. *Ordericus Vitalis* Anglus, & Monachus, *tredecim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros* a Natali Chriſti Domini uſque ad annum MCXLII. lucubravit, quos in volumine *Hiſtoricorum Normanniæ* publica luce donavit *Duchesnius*. Inter Opera, quæ edidit *Sigebertus* Gemblacenſis in Brabantia Monachus Ordinis Sancti Benedicti, duo ſunt præcipua, quæ ad Hiſtoriam univerſalem pertinent, nimirum liber *de Viris illuſtribus*, ſeu de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & *Chronicon* ab anno CCCLXXIX. ad annum MCXII. perductum, quod *Anſelmus* Gemblacenſis Abbas, & Scriptor ejuſdem Sæculi duodecimi continuavit uſque ad annum MCXXXVI. Hanc *Chronici Sigeberti* Continuationem, una cum aliis duabus, quarum una perducitur ad ann. MCXLIX. alia uſque ad annum MCCXXV. in lucem edidit *Aubertus Miræus* Antuerpiæ anno MDCVIII. In conſcribenda Hiſtoria excelluit *Otto* Friſingenſis Epiſcopus, qui filius fuit S. *Leopoldi* Marchionis Auſtriæ, & *Agnetis* ſororis *Henrici* V. Imperatoris, quæ primis nuptiis Friderico Suevorum Duci juncta fuit, ex eoque *Fridericum* patrem *Friderici* Imperatoris, & *Conradum* Germaniæ Regem genuit. Quare *Otto* Friſingenſis Epiſcopus, nepos exſtitit *Henrici* IV. ſororius *Henrici* V. frater uterinus *Conradi* Regis Gemaniæ, & *Friderici* Imperatoris Patruus. Verum, Majorum ſuorum ſtemmata pro Chriſto parvi faciens *Otto*, Ordini Ciſtercienſi nomen dedit, dein Abbas Morimundenſis in Burgundia, ac demum Friſingenſis Epiſcopus creatus eſt. Scripſit *Chronicon* a creatione Mundi uſque ad annum MCXLVI. ſeptem libris comprehenſum, quibus octavum addidit de fine Mundi, Antichriſti perſecutione,

& Mortuorum reſurrectione. Octo hoſce libros primus edidit *Joannes Cuſpinianus* Argentinæ MDXV. Prodierunt deinceps Baſileæ anno MDLXIX. ac denique Francofurti inter Hiſtoricos Germanos an. MDLXXXV. & MDCLXX. typis excuſi ſunt, una cum continuatione *Ottonis de Blaſio*, qui Chronicon *Ottonis Friſingenſis* perduxit uſque ad an. MCCX. Scripſit etiam *Otto Friſingenſis* libros duos *de Geſtis Friderici Barbaroſſæ Imperatoris*, nepotis ſui, qui ad calcem ejus Chronici excudi ſolent. Pie obiit *Otto Friſingenſis*, ejuſque Sepulchrum ſtatim ab ipſius morte in veneratione apud fideles fuiſſe affirmat *Rodevicus* qui illius Hiſtoriam continuavit. *Hugo Menardus*, Ordinis Benedictini Congregationis Sancti Mauri, *Ottonem Friſingenſem* Martyrologio Monaſtico ad diem 22. menſis Septembris inſcripſit, & *Henriquez* Menologio Ciſtercienſi ad diem 7. ejuſdem menſis.

In hac ſerie Virorum Illuſtrium, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo de Hiſtoria univerſali ſcripſerunt, locum itidem habere debent *Godefridus*, vel *Gotefridus Viterbienſis*, *Robertus de Torigny*, vulgo dictus *Robertus de Monte*, & *Joannes Bromptonus*; quorum primus, ſeu *Gotefridus Viterbienſis*, natione fuit Italus, dignitate Presbyter, & trium Imperatorum *Conradi* III. *Friderici* I. & *Henrici* VI. Capellanus ac Notarius. Scripſit ad *Urbanum* III. Summum Pontificem *Chronicon* univerſale, quod, ob diffuſam rerum, ætatum, Gentiumque hiſtoriam, *Pantheon* appellavit, ab Orbe condito ad annum uſque MCLXXXVI. Iſtud *Chronicon*, licet multis fabulis refertum ſit, habet tamen aliqua ſingularia, & extat inter Scriptores Rerum Germanicarum a *Joanne Piſtorio* editos Francofurti anno MDLXXXIV. *Robertus de Torigni* Gallus, vulgo dictus *Robertus de Monte*, eo quod eſſet Abbas Sancti *Michaelis de Monte* in Diœceſi Abrincenſi, continuavit Chronicon *Sigeberti* ab anno MCXII. uſque ad annum MCLXXXVI. De hoc Chronographo in Chronico ejuſdem Monaſterii Sancti *Michaelis de Monte* a *Labbeo* Tomo 2. Bibliothec. pag. 449. publicato, ad ann. MCLIV. legitur: anno MCLIV. *Menſe Majo ſexto Kal. Junii, feria 5. infra Octavas Pentecoſtes electus fuit Robertus de Torinejo, Prior Clauſtralis Becci. Plurima bona operatus eſt, & fuit Cuſtos Caſtelli de Ponte Urſonis. Obiit* MCLXXXVI. Chronicon *Roberti* ſub ejus nomine uſque ad annum MCCX. Auctor quidam Anonymus continuavit, & alia quædam ejuſdem *Roberti* Opera vulgavit *Lucas Dacherius*. Denique, *Joannes Bromptonus*, natione Anglus, Monachus Ciſtercienſis, & poſtea Cœnobii Jornalenſis, vel Jorvalenſis, in agro Eboracenſi Abbas, *Chronicon* condidit ab anno DLXXXVIII. ad annum MCXCIX. quod inter Scriptores X. Anglicos *Twiſdenus* publicavit Londini anno MDCLII. Exiſtimat tamen *Seldenus*, Joannem Bromptonum non eſſe Auctorem iſtius Chronici, ſed illud dumtaxat in uſum ſui Monaſterii deſcribi curaſſe.

D. Percenſe nunc, quæſo, illos Scriptores, qui litteris mandarunt celebrem *hiſtoriam ſacrarum Expeditionum*, quas Chriſtiani in Oriente contra Turcas ad recuperandam Terram Sanctam duodecimo Eccleſiæ ſæculo magnis animis ſuſceperunt.

M. Inter eos, qui duodecimo ſæculo famoſam ſacrarum Expeditionum Hiſtoriam deſcripſerunt, quatuor ſunt omnino ignoti, utpote Anonymi. Alii vero, qui noti ſunt, novem recenſentur, quorum primus eſt *Petrus Theutbodus*, qui rerum, quas ſcripſit, teſtis oculatus fuit. Secundus, eſt *Robertus* Gallus Monachus ſancti *Remigii* Remenſis, qui ſacræ Expeditioni interfuit, & juſſu Sancti *Bernardi* Abbatis ſui eamdem Hiſtoriam libris novem deſcripſit, ſed deſiit in Victoria apud Aſcalonam anno MXCIX. a Chriſtianis reportata. Tertius eſt *Baldricus*, Gallus, primum Monachus, dein Archiepiſcopus Dolenſis in Aremorica factus, qui *Hiſtoriam Hieroſolymitanam* deſcripſit quatuor libris, quibus Chriſtianorum Latinorum res geſtas in Oriente ab anno primo ſuſceptæ ſacræ Expeditionis, ſeu ab anno MXCV. uſque ad captam a Latinis Hieroſolymam, & *Godefridi Bullionii* Regis mortem, ideſt ad annum MC. veraciter juxta ac eleganter deſcripſit, teſte *Orderico Vitali* ſub finem libri noni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Quartus eſt *Raymundus de Ageles* Gallus, Canonicus Podienſis, qui Comitem Toloſanum exercitum in Terram Sanctam ducentem ſecutus, ſcripſit *Hiſtoriam Hieroſolymitanam*. Quintus eſt *Albertus*, Gallus, Aquenſis Eccleſiæ Canonicus & Sacriſta, qui *Hiſtoriam Hieroſolymitanæ Expeditionis* in 12. libros diviſam perduxit uſque ad annum ſecundum *Balduini* hujus nominis II. Hieroſolymorum Regis, hoc eſt, uſque ad annum MCXX. Sextus eſt *Fulcherius* Monachus Carnotenſis Gallus, qui *Robertum* Normanniæ Ducem cum exercitu anno MCXX. in Terram Sanctam proficiſcentem comitatus eſt, ſcripſitque *Hiſtoriam*, quam vocavit, *Geſta Francorum Hieruſalem peregrinantium ab anno* MXCV. *ad annum uſque* MCXXIV. Septimus eſt *Gautherus*, ſive *Galterius* dictus *Cancellarius*, natione Gallus, qui texuit Hiſtoriam rerum, quas Chriſtiani ad Antiochiam anno MCXV. feliciter geſſerunt, & rerum ab iiſdem Chriſtianis anno MCXIX. infeliciter geſtarum, quibus ipſemet interfuit. Octavus eſt *Guibertus*, Gente Gallus, & Abbas Monaſterii S. *Mariæ Novigenti* in pago Laudunenſi, qui deſcripſit *Geſta Dei per Francos*, ſeu *Hiſtoriam Hieroſolymitanam*, novem libris comprehenſam. Hic Scriptor fuit admodum celebris, multaque alia edidit Opera, quæ collegit, ex Codicibus MSS. eruit, & cum Notis & obſervationibus doctiſſimis primus in lucem extulit *Lucas Dacherius* Pariſius ann. MDCLI. Ultimus, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo ſacrarum Expeditionum adornavit Hiſtoriam, fuit *Guillelmus* Archiepiſcopus Tyrius, quem alii Gallum, alii Germanum, alii veroſimilius natione Syrum fuiſſe putant. Scripſit viginti tres libros de *Hiſtoria belli a Principibus Occidentis Chriſtianis in Palæſtina ac Oriente geſti*, ab anno MXCV. uſque ad annum MCLXXXIV. Quapropter ipſius Hiſtoria rerum per

annos

Digitized by Google

annos 89. in bello ſacro geſtarum narrationem complectitur. Nos novem Scriptores, ſicut & alios quatuor Anonymos, qui, ut mox dixi, Hiſtoriam de ſacris Expeditionibus duodecimo ſæculo litteris prodiderunt, *Jacobus Bongarſius* inſeruit in ſua *Hiſtoricorum de ſacro bello Collectione*, quam ſub hoc Titulo: *Geſta Dei per Francos* Hannoniæ anno MDCXI. publici juris fecit.

D. Fueruntne alii duodecimi Eccleſiæ ſæculi Scriptores, qui, præter hanc Hiſtoricam rerum in Bello ſacro geſtarum narrationem, aliquas particulares Hiſtorias, vel Chronica ediderunt?

M. Complures alii fuerunt, quos hic breviter indicabo. Rerum Anglicarum Hiſtoriam ſcripſerunt quinque inſignes viri, ſcilicet *Guillelmus Malmeſburienſis*, *Henricus Huntingtonienſis*, *Rogerius Hovedenus*, *Guillelmus Neubrigenſis*, & *Radulphus de Diceto*. Anglorum Hiſtoriam accurate deſcripſit *Guillelmus* cœnobii Malmeſburienſis in Anglia Monachus dictus *de Sommerſet*, libris quinque, quibus duos Hiſtoriæ *Novellæ* addidit libros, & quatuor alios *de Rebus geſtis Pontificum Anglorum*, qui omnes libri extant inter Scriptores Rerum Anglicarum ab *Henrico Savilio* editos annis MDXCVI. Londini, & MDCI. Francofurti. Vitam S. *Aldhelmi* Epiſcopi Schireburgenſis ab eodem Guillelmo Malmeſburienſi ſcriptam edidit *Mabillonius* ſæculo IV. Benedictino, Tomo 1. pag. 726. & ſeqq. *Henricus* Huntingtonienſis Archidiaconus, edidit ad *Alexandrum* Lincolnienſem Epiſcopum *Hiſtoriam Rerum Anglicarum* libris decem, qui extant inter Scriptores Rerum Anglicarum ab *Henrico Savilio* editos. Epiſtolam *de contemptu Mundi* ab Henrico Huntingtonienſi Archidiacono exaratam publicavit *Lucas Dacherius* Tomo VIII. Spicilegii. *Rogerius Hovedenus* Hiſtoriam ſive Annales Anglorum duobus elaboravit libris, quos auſpicatus eſt ubi *Venerabilis Beda* deſiit, ab anno videlicet DCCXXXI. eoſque perduxit uſque ad *Joannem* dictum *ſine terra* Anglorum Regem, qui anno MCXCIX. regnare cœpit. Extant *Rogerii Hovedeni* Annales inter Authores *Rerum Anglicarum* ab *Henrico Savilio* editos. *Guillelmus* cognomento *Parvus*, dictus etiam *Neubrigenſis*, quod Cœnobii Neubrigenſis Canonicus regularis eſſet, Hiſtoriam Anglicam ab anno MLXVI. uſque ad annum MCXCVII. concinnavit in quinque libros diſtributam, quæ Pariſiis cum Notis *Joannis Picardi* prodiit anno 1610. *Radulphus de Diceto* compoſuit *Imagines Hiſtoriarum* ab ann. MCXLVIII. ad annum MCC. & *Abbreviationes Chronicorum* ab initio Mundi uſque ad annum MCXCVIII. Hæc *Radulphi de Diceto* Opera extant inter Scriptores decem Anglicos a *Twiſdeno* editos Londini ann. 1652. Pars tamen prior *Abbreviationum Chronicorum*, quæ eſt ab Orbe condito uſque ad S. *Gregorium Magnum* Papam, edita non fuit, eo quod non niſi vulgaria & e trivio petita contineret. His quinque Scriptoribus Anglis alios nonnullos adjungere poſſem, qui *Rerum Anglicarum* Hiſtoriam ſcripſerunt, ſed ut brevitati conſulam, his utpote minus notis, in præſentia referendis ſuperſedebo. Legeſis, ſi tibi per otium liceat, *Baleum*, & *Pitzeum*, qui de Scriptoribus Anglis erudite ac copioſe tractarunt.

D. Abſolviſti ne tandem ſeriem Scriptorum, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo Chronica, vel particulares Hiſtorias ediderunt?

M. Tres adhuc proferam hiſtoricos duodecimi ſæculi Scriptores, miſſis cæteris aliis, qui minus famæ celebritate claruerunt. Primus eſt *Hugo*, qui ex Monacho Virdunenſi, factus Abbas Flaviniacenſis in Ducatu Burgundiæ, ſcripſit *Chronicon Virdunenſe* duas in partes diſtributum, quarum prima incipit a Chriſto nato & deſinit ad annum MII. Secunda vero ab anno MII. perducitur ad annum uſque MCII. Hoc Chronicon tanti fecit *Labbeus*, ut illud *Theſaurum incomparabilem* appellarit, & ex ipſo Authoris Autographo in Bibliotheca Societatis Jeſu Claromontana Pariſiis aſſervato ediderit in ſua *Bibliotheca Nova* MSS. Tomo 1. pag. 75. Alter Scriptor Hiſtoricus, eſt *Sugerius* Abbas Cœnobii Sancti *Dionyſii* prope Pariſios, *Ludovico* VI. & *Ludovico* VII. Galliarum Regibus ab intimis conſiliis ac Miniſterio, qui ſcripſit Vitam *Ludovici* VI. cognomento *Groſſi*, librum *Epiſtolarum* de gravioribus Galliarum Regni negotiis, qui *Ludovicus* VII. dicto *Juniore* ad ſacram Expeditionem profecto, ſumma cum laude præfuit; edidit etiam librum *de Rebus in Adminiſtratione Cœnobii Sandionyſiani a ſe geſtis*, & alterum *de Conſecratione Eccleſiæ a ſe ædificatæ*, & *Tranſlatione corporum Sancti Dionyſii*, & *ſociorum*. Edita ſunt hæc *Sugerii* Abbatis Opera a *Franciſco Ducheſnio* Tomo IV. *Scriptorum Hiſtoriæ Francorum*. Tertius denique Scriptor Hiſtoricus eſt *Saxo*, dictus *Grammaticus*, gente Danus, qui, in gratiam *Abſalonis* Archiepiſcopi Lundenſis ſuorum ſtudiorum impulſoris, compoſuit ſtylo venuſto, florido & eleganti (ut obſervat *Deſiderius Eraſmus* in *Ciceroniano*) libros ſexdecim *Hiſtoriæ Danicæ*, quæ ampliſſimis Prolegomenis, & perdoctis Notis a *Stephano Joanne Stephanio* illuſtrata prodiit *Soræ* anno MDCXLIV. Sed ſatis hactenus dictum ſit de hiſtoricis Scriptoribus duodecimi ſæculi.

D. Tibi nunc diſſerendum incumbit de viris Galliarum Illuſtribus, quos in tertia claſſe Scriptorum duodecimi Eccleſiæ ſæculi repoſuimus.

M. Non facile eſt enumerare, quam multi nobiles Scriptores, illuſtreſque viri ſæculo Eccleſiæ duodecimo floruerint in Galliis, & præſertim in Academia Pariſienſi, ad cujus dignitatem extollendam & amplificandam plurimum contulerunt tres Galliarum Reges litteratorum omnium patroni ac Mæcenates munificentiſſimi; videlicet *Ludovicus* VI. cognomento *Craſſus*, Philippi filius, *Ludovicus* VII. dictus *Junior*, & *Philippus Auguſtus*. At enim, præter hiſtoricos Scriptores Gallos, quos jam laudavimus circa initium duodecimi ſæculi celebres extiterunt in Academia Pariſienſi Theologi,

Philoſophi, Oratores, & Grammatici, quorum nonnulli etiam ſuperiori ſæculo claruerunt, ſcilicet *Anſelmus* Laudunenſis & *Rodulphus* fratres, *Gilbertus* univerſalis dictus; *Hugo Farſitus*, *Richardus*, *Rupertus Tuitienſis*, *Algerus* inſignes Theologi, *Guillelmus Campellenſis*, *Guillelmus S. Theodorici*, *Gildurius* Cœnobii S. Victoris primus Prior & Abbas, *Petrus Abaelardus*: *Hugo*, & *Thomas* San Victorini Canonici Regulares, *Guillelmus de Conchis*, & *Bernardus* Carnotenſis præſtantiſſimi Philoſophi, & Grammatici, *Ulgerius* Andegavenſis: *Joslenus*, ſeu *Goslenus*, qui fuit Epiſcopus Sueſſionenſis, *Gilbertus Porretanus*, Epiſcopus Pictavienſis, *Henricus Murdachius*, & alii innumeri. Circa medium ſæculum duodecimum illuſtres fuerunt in Academia Pariſienſi *Petrus Lombardus*, Joannes *Belethus*, *Adam de parvo*, *Hugo de Campo Florido*, *Joannes Saresberienſis*, *Petrus Cellenſis*, *Arnulphus* Lexovienſis, *Mauricius de Soliaco*, *Thomas* Cantuarienſis, *Petrus Cantor*, *Petrus Comeſtor*, & alii longe plures. Circa finem ejuſdem XII. ſæculi magnam in Academia Pariſienſi ſibi eruditionis famam pepererunt *Petrus Bleſenſis*, *Petrus Pictavienſis*, *Alanus de Inſulis*, *Petrus Corbolienſis*, *Stephanus Tornacenſis*, *Guillelmus Berito*, *Gualterus Inſulenſis*, *Petrus de Riga*, *Odo de Soliaco*, *Robertus de Curthonio*, *Stephanus de Langetona*, *Ægidius Corbolienſis*, aliique prope infiniti, quorum accuratiſſimum Catalogum texit, eorumque merita, ac Opera percenſet *Egaſſius Bulæus* ad calcem Tomi II. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*. Non eſt certe animus ſingillatim hic expendere, & ad Criſim revocare omnia Opera horumce, & aliorum clariſſimorum virorum, qui duodecimo ſæculo Academiam Pariſienſem doctrina & pietate illuſtrarunt, ſed ne in immenſum diffundar, præcipuorum dumtaxat Scriptorum Opera breviter annotabo. *Petrus Abaelardus*, cujus variam fortunam, errores, ac pœnitentiam deſcripſimus, in Colloquio tertio, varia reliquit Opera, ex quibus extant Epiſtolæ variæ; Expoſitiones in Orationem Dominicam, in Symbolum Apoſtolorum, & in Symbolum S. *Athanaſii*, Solutiones *Problematum* ab *Heloiſſa* propoſitorum, Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos libri quinque, Sermones XXXII. ad Virgines Paracletenſes per totum annum legendi; *Introductionis ad Theologiam* libri tres, quorum poſtremus eſt imperfectus; Liber adverſus Hæreſes, & *Inſtitutio*, ſeu *Regula Sanctimonialium*, rogante *Heloiſſa*, Virginibus Paracletenſibus ſcripta. Quæ omnia *Abaelardi* Opera edita ſunt ab Illuſtri viro *Franciſco Amboeſio* (a). Opera *Gilbertii Porretani* Epiſcopi Pictavienſis, de quo plura in Colloquio tertio diximus, necdum edita ſunt, ſed in variis Bibliothecis adhuc manuſcripta latent. Solam ejus Epiſtolam ad *Matthæum Abbatem S. Florentii* edidit *Lucas Dacherius* in Appendice ad Opera *Guiberti* Abbatis Novigentini. *Joannes Belethus*, Theologus Pariſienſis, ſcripſit librum *de divinis Officiis*, cujus meminit *Henricus* Gandavenſis in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Opera *Petri Bleſenſis*, a natali ſolo, Bleſis videlicet urbe Galliæ nobiliſſima ſic cognominati, & Humanioribus litteris excultiſſimi, ſacrarumque litterarum, & Juris Canonici peritiſſimi, cura ac ſtudio *Petri de Guſſanvilla* collecta, & Notis atque variantibus Lectionibus illuſtrata prodierunt Pariſiis an. MDCLXVII. & exinde in Bibliotheca Patrum Tomo XXIV. Eccleſiam Carnotenſem in Galliis duodecimo ſæculo doctrina & ſanctitate illuſtrarunt tres inſignes Epiſcopi, videlicet *Ivo*, *Joannes Saresberienſis*, & *Petrus Cellenſis*, quorum primus, ſcilicet *Ivo*, edidit *Decretorum librum* in decem octo partes diſtributum, & maximam partem ex *Burchardi* Collectione deprompturn, quo ante *Gratiani* tempora per ſexaginta annos uſi ſunt Juriſtæ. Verum, hic obiter obſervare debes, duas extare Canonum, ac Decretorum Collectiones antiquas, quæ *Ivoni* Carnotenſi Epiſcopo attribuuntur, quarum unam, quæ *Decretum Ivonis* vulgo vocatur, periti Critici vindicant *Ivoni*. Alteram vero, quæ *Pannormia* dicitur, alii poſt Doctiſſimum *Baluzium* adjudicant *Ivoni*, alii exiſtimant, Opus eſſe *Hugonis* cujuſdam Catalaunenſis, qui Decretum *Ivonis* in compendium redegit, ſicut teſtatur noſter *Vincentius Bellovacenſis*, qui ſæculo ſeſqui medio poſt *Ivonem* obiit, libros XXV. *Speculi Hiſtorialis* cap. LXXXIV. ubi de *Ivone*, & de *Hugone Catalaunenſi*, ejus Abbreviatore ſermonem habet. Hanc Criticorum Controverſiam, quæ longius me abduceret, in medio relinquo. Scripſit præterea *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus *Epiſtolas* CCLXXXVII. quas Eccleſiaſticæ Diſciplinæ promptuarium merito appellaveris. Item *Sermones* XXIV. & *Chronicon breve de Regibus Francorum*. Alter Epiſcopus Carnotenſis *Joannes Saresberienſis* ex Anglia quidem oriundus, ſed in Scholis Pariſienſibus per multos annos divinis ſcientiis inſtructus varia compoſuit Opera, in primis egregium ſuum, & a viris peritis tantopere laudatum Opus *de Nugis Curialium* ſeu *Polycraticum*, quod dicavit Sancto *Thomæ* Cantuarienſi adhuc ejuſdem Eccleſiæ Archidiacono, Regiſque Angliæ Cancellario. Paſſionem ejuſdem S. *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi ab eodem *Joanne Saresberienſi* deſcriptam, cujus meminit *Nangius* in Chronico ad an. MCLXXX. dicit, ſe vidiſſe MS. in Bibliotheca Regalis Montis Ordinis Ciſtercienſis *Caſimirus Oudinus* in Supplemento *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi etiam Catalogum aliorum Operum, quæ edidit *Joannes Saresberienſis*, accurate exhibet. *Joanni Saresberienſi* in Sede Carnotenſi ſucceſſit anno MCLXXX. *Petrus* vulgo *Cellenſis* nuncupatus, qui primum Monaſterii *Cellæ* in ſuburbio Tricaſſino, & poſtea cœnobii S. *Remigii* Remenſis, Ord. Bened., Abbas fuit. Scripſit varios Serm. Epiſtol. libros novem, librum De *Panibus* ad Joan. Saresberienſem amicum ſuum, & alia Opera Aſcetica, de quibus legendus eſt *Caſimirus Oudinus* loco mox a me laudato. His tribus perdoctis Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopis, quatuor Antiſti-

tes,

tes, qui duodecimo ſæculo in Galliis floruerunt, addere non pigebit, videlicet *Hidelbertum*, *Guillelmum Campellenſem*, *Arnulphum*, & *Stephanum*, quorum Opera hic breviter indicabo. *Hidelbertus* Cenomanenſis Epiſcopus, & poſt obitum *Gilleberti* Archiepiſcopi Turonenſis, ad eam Metropolim anno Mcxxv. translatus, eruditione & pietate inter Præſules ævi ſui celebris fuit, ac præter varia ab ipſo edita Opera, quæ a *Labbeo* enumerantur, plures ejus Epiſtolæ Tomis VI. & XIII. *Spicilegii Dacheriani*, & una illius Epiſtola Tomo I. Analectorum *Mabillonii* editæ ſunt. (*b*) *Guillelmus* a *Campello* Oppido *Briegii* haud procul Meloduno, ubi natus erat, *Campellenſis* dictus, & Eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconus factus, magna celebritate Dialecticam Pariſiis publice docuit. Dein, Canonicorum Regularium Inſtitutum profeſſus, Cœnobio S. *Victoris* in ſuburbanis urbis Pariſienſis initium dedit. Denique Epiſcopus Catalunenſis anno Mcxii. renunciatus eſt, ut fidem facit *Albericus* in ſuo *Chronico*. De Sciptis *Guillelmi Campellenſis* legendus eſt *Caſimirus Oudinus* in Supplemento *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Extat in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunenſis Tomo XX. *Dialogus* ab eodem *Guillelmo Campellenſi* editus, in quo Chriſtianus, & Judæus de Religione diſputant. *Arnulphus*, Sagienſis primum Archidiaconus, ac deinde Lexovienſis Epiſcopus, compoſuit Tractatum de *Schiſmate Petri Leonis orto poſt Honorii II. Papæ deceſſum*, in quo ait, ſe nihil ſcripſiſſe, quod non vel ipſe cognoverit, vel ab Auctore probabili non habuerit, vel quod ſaltem fama publica non affirmet. Hunc de *Schiſmate* Tractatum publicavit *Lucas Dacherius* Tomo II. Spicilegii. Scripſit etiam idem *Arnulphus* varias variis de cauſis Epiſtolas, Conciones plures, & Epigrammata, quæ extant in Bibliotheca Patrum Tomo XXII. *Stephanus* Abbas Sancti *Evurtii* Ordinis S. Auguſtini in urbe Aurelianenſi, & poſtea ad Abbatiam Pariſienſem *Sanctæ Genovefæ*, quam per plures annos ſumma cum laude rexit, translatus; tandem ad Epiſcopatum Tornacenſem provectus, edidit Sermones 31. qui extant MSS. in Bibliotheca Tornacenſi Sanctæ *Genovefæ*. Commentarium etiam adornavit *in Decretum Gratiani*, quod habetur MS. in Bibliotheca Sancti *Victoris* Pariſienſis. Scripſit quoque Epiſtolas CCLXXXVII. quas Pariſiis anno MDCLXXXII. præmiſſa Authoris vita, novæ Editionis honore donavit, Notiſque illuſtravit Pater *Claudius du Moulinet* Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium Vir eruditus. De Scriptoribus Gallis non plura impræſentiarum dicam, quia de Abbatibus, præſertim de S. *Bernardo* Claravallenſi, de Monachis, & de his, qui libros de Theologia Scholaſtica, vel Jure Canonico in Galliis ſæculo duodecimo ediderunt, commodius ſuo loco, ideſt, tam in quinta, quam in ſexta Claſſe Scriptorum 12. ſæculi ſub finem hujuſce noſtri colloquii differemus.

(*a*) „ Petri Abailardi alia non pauca edidit
„ Martene tom. v. Anecdot. ubi inter cætera
„ Libri quinque *Theologiæ Chriſtianæ*, quos Pe-
„ trus Lombardus ejus diſcipulus in componendo
„ opere ſuo frequenter ſub oculis habuiſſe notum
„ eſt eruditis. *Commentarius in Hexaemèron Rhythmi de SS. Trinitate*; quos vulgavit idem
„ Martene tom. IX. Vet. Mon.; ſunt tamen
„ quæ Hidelberto Cenomanenſi tribuant, ejuſque
„ ſub nomine jam prodierant apud Hommey in
„ Spicileg. Patrum. Demum Pater Bernardus Pe-
„ zius Anecdot. tom. iii. part. 2. *Theologiam*
„ *morum*, ſive Ethicam ipſius evulgavit. Item in
„ Catalogo Bibliothecæ univerſit. Taurin. notatur
„ ejus Opuſculum *De Sacramento Altaris*.

(*b*) „ De Hildeberto Cenomanenſi videnda
„ eſt luculenta editio P. Beaugendre vulgata Pa-
„ riſiis an. 1708. Præterea Muratorius Anecdot.
„ tom. iii. pag. 213. Septem ejus epiſtolas ex
„ Ambroſiano codice evulgavit; de quibus tamen
„ vide quæ adnotavi in meis ad Fabricium addi-
„ tionibus verbo *Hildebertus*: ubi pariter admo-
„ nui, libellum metricum *de officio ſeu Myſteria*
„ *Miſſæ* ab edito Beaugendri diverſum nactum
„ me fuiſſe in MS. codice ſervato hic Lucæ in
„ Biblioth. D. Franciſci Florentini, eumque me
„ evulgaturum ſpondeo in nov. edit. Miſcell.
„ Baluzii cum additamentis, quæ hic Lucæ ad-
„ ornatur.

D. In ſecunda Claſſe duodecimi ſæculi Scriptorum complures laudaſti Anglos, qui vel Hiſtoriam univerſalem, vel ſuæ Gentis Annales literis conſignarunt; nunc in hac quarta Virorum ejuſdem ſæculi illuſtrium claſſe cæteros Scriptores Anglos, qui varias ediderunt lucubrationes, & Sanctitatis fama celebriores fuerunt, in medium proferre debes.

M. Anglorum, qui duodecimo ſæculo doctrina & pietate inſignes fuerunt, unus inſtar omnium eſt Sanctus *Thomas*, Londinenſis, Archidiaconus primum Cantuarienſis, deinde Angliæ Cancellarius ab *Henrico* II. Rege creatus, tandem Archiepiſcopus Cantuarienſis, Eccleſiaſticæ libertatis vindex & aſſertor intrepidus, pro qua exilium pati, mortemque generoſe oppetere prometitus eſt. Graviſſima inter *Henricum* Angliæ Regem hujus nominis *II.* & Sanctum *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum exarſit diſcordia, quæ ex eo potiſſimum enata eſt, quod Sanctus ille Antiſtes pravam conſuetudinem, qua Rex Epiſcoporum electiones conſulto procraſtinabat, ut vacantium Eccleſiarum fructibus in Fiſcum redactis diutius frueretur, vehementer improbaverit, quodque Rex Clericos contra Eccleſiaſtica privilegia ad ſæcularia judicia vocari juberet. His pravis inolitis conſuetudinibus cum aſſentiri nollet Sanctus *Thomas*, exaſperavit animum Regis, qui Regni ſui Epiſcopos convocavit, coram quibus Sanctus *Thomas* Eccleſiaſticam libertatem, & Clericorum jura ſtrenue propugnavit. Poſtulati a Rege Epiſcopi, an vellent avitas conſuetudines obſervare? reſponderunt ex condicto ſe velle quidem Regis & Regni conſuetudines obſervare, ſed *ſalvo ordine ſuo & jure Eccleſiæ*. At cum Regi non placeret hæc obedientiæ reſtrictio, iratus e Concilio diſceſſit, ac poſtridie munitiones & honores Archipræ-

Digitized by Google

ſuli, dum Cancellarii officio fungeretur, commiſſos ab ipſo repetiit, recepitque, & hinc terror omnium animos invaſit. Affirmarunt aliqui Epiſcopi, occaſione unius verbuli Statum Regni non eſſe convellendum. Alii ſuaſerunt, Regiæ voluntati eſſe conſentiendum, cum præſertim Rex Cardinalibus promiſiſſet, ſe nulla in re Eccleſiæ jura labefactaturum. Horum itaque Epiſcoporum gravitate motus, & precibus flexus Sanctus Thomas ſe Regias conſuetudines bona fide obſervaturum promiſit, ac revera ſolemni juramento confirmavit in Concilio Clarendonenſi, habito anno MCLXIV. verum, paulo poſt facti pœnitens, lapſum ſuum agnovit Sanctus ille Antiſtes, & de vulnere, quod eccleſiaſticæ libertati intulerat, abſolutionem ab *Alexandro* III. Pontifice Maximo petiit & impetravit. Quod ubi reſcivit *Henricus* Rex, vehementer indoluit, & tractos in partem Epiſcopos apud *Northamptoniam* an. MCLXIV. convocavit, ubi Aulici Epiſcopi in Concilio congregati, & regiæ voluntati turpiter obſequentes, *S. Thomam* damnarunt, & omnia ipſius bona mobilia Regio Fiſco addixerunt. Adverſus tam iniquam ſententiam actutum reclamavit S. Thomas, ad Sedem Apoſtolicam appellavit, & ut periclitanti vitæ ſuæ conſuleret, receſſit in Belgium, indeque ad Regem Chriſtianiſſimum *Ludovicum* VII. confugit, qui ipſum benigne & honorifice ſuſcepit, ſeque pacis ſequeſtrem inter eum & Anglorum Regem interpoſuit. Hinc Colloquium Regis *Henrici* cum Sancto Archipræſule decretum eſt. *Thomas* ad pedes Regis Angliæ procidit dicens: *Totam cauſam, unde inter nos orta eſt diſſenſio, tuo committo arbitrio, honore ſalvo Dei*. Tum ad Regem Francorum converſus *Henricus* Rex, ait: *Domine mi, attende ſi placet, quidquid ipſi diſplicuerit, dicet honori Dei eſſe contrarium, & mea omnia ſibi vendicabit. Sed, ne videar honori Dei, vel ſibi in aliquo velle reſiſtere, hæc offero: Quod Anteceſſorum ſuorum major & ſanctior fecit Anteceſſorum meorum minimo, hoc mihi faciat, & quieſco*. Nunquam tamen voluit Sanctus *Thomas* hanc a ſe appoſitam Clauſulam *ſalvo honore Dei*, ſilentio premere. Longum ſane eſſet recenſere omnes Legationes miſſas tam ab *Henrico* II. Angliæ Rege ad *Alexandrum* III. Pontificem Maximum, quam ab *Alexandro* III. ad eumdem *Henricum* Regem, & omnia minutatim exponere, quæ in Cauſa Sancti *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi tempore ipſius exilii uſque ad confectam pacem geſta ſunt. Sufficiat hic dicere, hanc diſcordiam inter S. *Thomam & Henricum* II. Angliæ Regem duraſſe uſque ad annum MCLXX. quo pace utrinque compoſita, in Angliam reverſus S. *Thomas*, Sedem ſuam Cantuarienſem recuperavit, qua tamen diu potitus non eſt. Denuo quippe apud *Henricum* II. qui tunc in Normannia erat, a quibuſdam Prælatis diſcordiæ incentoribus accuſatus eſt tanquam publicæ pacis perturbator, Epiſcoporum perſecutor, & Regis inimicus. Quibus querimoniis ad iram concitatus Rex in funeſtam vocem erupit, omnibus familiaribus ſuis imprecans, quod ipſum de uno Sacerdote, Regnum ſuum ita perturbante, non vindicarent. His vocibus emiſſis a Principe ſui præ ira haud parum compote excitati quatuor impii ſatellites mox in Angliam profecti necem Sanctiſſimo Antiſtiti in ipſa Eccleſia intulerunt, a qua tamen cæde *Henricum* II. Angliæ Regem inſontem fuiſſe, nec ei mandato, nec conſilio, nec aſſenſu cooperatum eſſe, oſtendimus in Colloquio primo in Hiſtoriam hujus ſæculi 12. Epiſtolas ad diverſos ſcripſit Sanctus *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Martyr, quæ in quinque libros digeſtæ, una cum ejus Vita a quatuor Auctoribus ſcripta, ex MS. Codice Vaticano editæ ſunt a Viro doctiſſimo *Chriſtiano Lupo* Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & in ſacra Facultate Lovanienſi Doctore Theologo.

Non minori Sanctitate ac doctrina ante Sanctum *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum in Anglia præfulſit Sanctus *Anſelmus*, qui licet natione Anglus non eſſet, utpote *Auguſtæ* prope Alpes in Italiæ, Burgundiæque finibus ortus, nihiloſecius ex Abbate Cœnobii Beccenſis in Normannia, Ordinis Sancti Benedicti, conſecratus eſt anno milleſimo nonageſimo tertio, annuente *Willelmo* II. Anglorum Rege, Cantuariæ Metropolis Archiepiſcopus, eamque ſummo cum zelo, magno cum labore, ſcripto, verbo & exemplo per ſexdecim annos rexit, hoc eſt, uſque ad annum MCIX. quo plenus meritis & miraculis clarus ad Cœlum migravit. Crebras lites Sanctus *Anſelmus* ab initio Pontificatus ſui habuit cum *Willelmo* II. Anglorum Rege, qui omnia ſoluta animi libidine agebat, templa evertebat, & Eccleſias devaſtabat. Hujus iracundi, nimiſque ferocis Regis animum cum ſuis monitis & adhortationibus delinire haud poſſet Sanctus ille Antiſtes, in exteras oras exul abiit, & Lugdunum in Gallias ſeceſſit. Inde Romam ab *Urbano* II. Pontifice Maximo accitus, ingenti honore exceptus eſt, & in Concilio Barenſi contra Græcos acerrime diſputavit, & Pontificem contra *Willelmum* II. Anglorum Regem anathema expedire volentem ſuis precibus inhibuit. Mortuo *Willelmo* II. Anglorum Rege anno milleſimo ſupra centeſimum, Sanctus *Anſelmus ab Henrico* I. in Angliam revocatus rediit, ſed redeuntem alia excepit controverſia, de Hominio videlicet Regi præſtando, & de ordinandis Epiſcopis, atque Abbatibus, quos ipſe *Henricus* I. Angliæ Rex, ejuſque frater *Willelmus* II. per annulum & baculum inveſtierant. Utrumque in ſuo Regno fieri præcepit *Henricus* I. recuſavit *Anſelmus* & in Concilio Londini anno MCII. habito laicas Inveſtituras, & conjugia Clericorum, quæ id temporis frequentiſſima erant, damnavit. Verum, hæc Inveſtiturarum Controverſia finem habuit in Anglia anno MCVII. quo *Henricus* I. ſororis ſuæ *Adelæ* Comitiſſæ Bleſenſis rogatu cum Sancto *Anſelmo* in gratiam rediit, & concordia utrinque ſancita, Rex Inveſtitura Epiſcoporum, & Abbatum per annulum & baculum ceſſit. Quare Sanctus *Anſelmus* Sedem ſuam Cantuarienſem pacifice deinceps tenuit, & reſtaurandæ Eccleſiaſticæ Diſcipli-

næ,

næ, quæ Clericorum conjugiis haud parum fœdata erat, ſtrenue incubuit. Omnium Sancti *Anſelmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi Operum Editionem poſtremam, eamque uberrimam & accuratiſſimam adornavit Pariſiis *Gabriel Gerberonius* Monachus Benedictinus Congregationis Sancti *Mauri* anno MDCLXXV. & genuina ejus Opera a ſpuriis adhibitis perdoctis Cenſuris, ſecrevit. Vitam Sancti *Anſelmi* Cantuarienſis, Archiepiſcopi duobus libris ſcripſit *Eadmerus*, natione Anglus, Cantuarienſis, Ordinis Benedictini Monachus, Sancti Anſelmi diſcipulus & Auditor, deinde convictor, & laborum ac exiliorum individuus comes. Complura alia Opera compoſuit *Eadmerus* Sancti *Anſelmi* diſcipulus, quæ tam edita, quam adhuc manuſcripta referunt *Balæus*, *Pitſeus*, aliique Scriptores Angli. Sed inter opera *Eadmeri* præcipue a viris eruditis commendatur ea, quam ſcripſit, *Hiſtoria Novorum*, ſex libris diſtincta, quæ tempore *Baronii* necdum prodierat, & quam jam citatus *Gabriel Gerberonius* cum S. Anſelmi Operibus edidit. In hac *Hiſtoria Novorum* deſcribit *Eadmerus* rerum mutationes inſolitas, quæ ſuis temporibus in Anglia contigerunt, & in hoc potiſſimum verſatur, ut ea, quæ inter Reges Angliæ & Sanctum *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum geſta ſunt, inconcuſſa veritate deſignet. Quatuor etiam Opuſcula, quæ olim Sancto *Anſelmo* inſcripta inter Opera ejus deliteſcebant, videlicet *Excellentia Beatæ Mariæ Virginis* ----- *De quatuor Virtutibus, quæ fuerunt in Beata Maria Virgine* ... *De Beatitudine Cæleſtis Patriæ* -------- *De ſimilitudinibus Sancti Anſelmi*, hæc, inquam, quatuor Opuſcula *Eadmero* diſcipulo Sancti Anſelmi vindicavit, & ſub illius nomine edidit *Gabriel Gerberonius* ad calcem Sancti *Anſelmi* Operum. Non defuerunt alii Scriptores Angli, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo doctrina & pietate conſpicui fuerunt, quia tamen monaſticam vitam profeſſi ſunt, de illis, eorumque Operibus in ſequenti Claſſe, quæ erit quinta Virorum illuſtrium duodecimi ſæculi, commodius agemus.

D. In hac quinta Illuſtrium duodecimi ſæculi Scriptorum Claſſe, quæ illos omnes complectitur, qui in diverſis Orbis Nationibus monaſticæ vitæ cultores extiterunt; primum locum obtinere debent Abbates, qui doctrinæ, vitæque ſanctimonia cæteris anteſteterunt. Deinde, ſequentur Monachi, qui eodem 12. ſæculo pietatis & eruditionis laude in variis Orbis regionibus claruerunt. Recenſe itaque in primis præclara Geſta & Opera Abbatum, qui duodecimo ſæculo ſcientia cum vitæ Sanctitate conjuncta magnum Eccleſiæ ſplendorem contulerunt.

M. Inter omnes Abbates, qui duodecimo ſæculo doctrina & pietate floruerunt, nullus fuit aut Sanctitate illuſtrior, aut doctrina purior, aut in ſcribendo elegantior, aut in Eccleſia auctoritate major Sancto *Bernardo* natione Gallo, & Monaſterii Clarævallenſis in Territorio Lingonenſi Abbate vigilantiſſimo. Is quippe pro reſtaurandis & ampliandis Eccleſiæ rebus multa itinera & labores ſuſcepit, ſæpiuſque ad Principes Chriſtianos Legationes obiit, quibus pietatis & religionis cauſa ſuſceptis magno animi ſtudio ac felici exitu perfunctus eſt. *Petrum Abaleardum* in Concilio Senonenſi, *Gilbertum Porretanum* Epiſcopum Pictavienſem in Synodo Remenſi convicit. *Henricum* Hæreticum, *Petri de Bruis* diſcipulum, confutavit. *Guillelmum* IX. Aquitaniæ Ducem ad meliorem frugem reduxit & ex Schiſmatico Principe, Principem obſequentiſſimum Eccleſiæ fecit. Ad ſedandum *Petri Leonis* ſchiſma multa geſſit, ſcripſit, aut dixit tam in Concilio *Stampis* in Galliis coacto, anno MCXXX. quam in Concilio Piſano, anno MCXXXIV. habito. *Innocentium* II. maxime juvit, tantumque rationum vi apud Antipapam, *Victorem* IV. dictum, valuit, ut exutis ille veſtibus Pontificalibus *Innocentium* legitimum Pontificem adierit, & pacem petierit, quam etiam obtinuit. Eccleſiam Mediolanenſem tumultuantis populi factione turbatam oratione, miraculis, & eloquio pacavit, atque Eccleſiæ reconciliavit mellifluus ille Doctor. Sanctitatem ac diſciplinam adverſus diſſolutos mores incomparabili ſtudio & ardore defendit. Litteris undequaque miſſis, & Sermonibus ad Principes, populumque habitis ita omnes ad recuperandam Terram Sanctam animavit, tantaque authoritate uſus eſt, ut *Conradum* Romanorum Imperatorem, *Ludovicum* VII. Galliarum Regem, *Theodoricum* Flandriæ Comitem, & *Henricum* Bleſenſem, alioſque Orbis Chriſtiani Magnates monitis ſuis excitatos ipſe manu propria Cruce ſignarit, totque Cruces, maxime dum in Galliis *Cruciatam* anno MCXLVI. prædicaret, populo expetenti diſtribuerit, ut *cum earum faſcem præparatum ſeminaſſet potius, quam dediſſet, coactus ſit veſtes ſuas in Cruces ſcindere & ſeminare*, ſicut teſtatur *Odo de Diogilo* Monachus Sancti Dionyſii, & in Abbatia ejuſdem Monaſterii *Sugerii* ſucceſſor, qui ſeptem libellos edidit de *Ludovici* VII. Galliarum Regis profectione in Orientem, quos *Petrus Franciſcus Chifflerius in aſſerto genere Illuſtri Sancti Bernardi* e tenebris eruit. Multa egregia Opera ſcripſit Sanctus *Bernardus*, in quibus Laicos, Monachos, Clericos, Abbates, Epiſcopos, ipſos quoque Summos Pontifices in *Eugenio* III. quondam diſcipulo ſuo, ad quem libros quinque *De Conſideratione* direxit, erudite, facunde, ſolide & pie docet, inſtruit, informat, & omnibus congrua ſanctioris vitæ documenta præbet: *Modus docendi ejus*, inquit noſter Sixtus Senenſis, *in ſenſibus myſticis indagandis, & in moribus formandis fere ſemper verſatur. Oratio ubique dulcis & ardens, ita delectat, & ardenter incendit, ut ex ſuaviſſima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentiſſimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur*. Opera Sancti *Bernardi* genuina ea ſunt, teſte *Bellarmino* in lib. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quæ *Gaufridus* diſcipulus Sancti Bernardi & alumnus, ejuſque Vitæ Scriptor Hiſtoricus recenſet libro 3. Vitæ ipſius cap. ultimo. Verum, genuina Sancti *Bernardi* Opera a ſuppoſititiis nemo certius diſtin-

xit ac ſecrevit, vel de iis doctius judicavit, quam Clariſſimus *Joannes Mabillonius* in ſua caſtigatiſſima S. *Bernardi* Editione anno MDCLXVI. Pariſiis publicata, & digeſta in duo Volumina, in quorum primo genuina Opera refert, in altero Volumine reponit dubia & ſpuria Sancto *Bernardo* perperam adſcripta. Plures etiam ejuſdem Sancti Doctoris Epiſtolas & Tractatus e MSS. Codicibus depromptos, hactenus ineditos, in lucem emiſit, & Obſervationes pro more ſuo doctiſſimas inſeruit.

Sub initium duodecimi ſæculi floruit *Rupertus* Abbas Monaſterii Tuitienſis, quod a Sancto *Heriberto* Colonienſi Archiepiſcopo conſtructum eſt e regione Civitatis Coloniæ Agrippinæ juxta Rhenum. Fuerat *Rupertus* antea Monachus Cœnobii Sancti Laurentii in Monte Leodii, ſicut teſtatur *Renerus* ejuſdem Cœnobii Monachus in libro *De Viris illuſtribus ſui Monaſterii*. Multa Opera tam in juventute, quam jam ætate provectior compoſuit *Rupertus* Abbas, inter quæ potiſſimum commendantur libri 12. *De Divinis Officiis*, quos ejus genuinum fœtum eſſe male a quibuſdam negari, luculenter demonſtrat *Gabriel Gerberonius* in doctiſſima & uberrima *Apologia*, quam pro *Ruperto* concinnavit. Nonnulli moderni Scriptores, ſecuti *Baronium* in Annalibus ad annum MCXI. & *Bellarminum* in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, graviſſimum errorem circa Sacramentum Euchariſtiæ *Ruperto* impingunt, aſſerentes, eum hypoſtaticam panis & vini Euchariſtici cum Verbo Divino unionem admiſiſſe. Verum, quamvis negari haud poſſit, *Rupertum* durioribus & obſcuris ſuis locutionibus huic opinioni locum dediſſe, adeo ut hæretici eum inter ſuos connumerare minime dubitent: illum tamen ab hoc errore fuiſſe prorſus alienum evincunt viri eruditi, non ſolum, quia nullus veterum ad poſteriora uſque tempora hanc erroris notam *Ruperto* inuſſit, etſi multos æmulos habuerit; ſed etiam, quia in epiſtola Nuncupatoria libris 12. *De Divinis Officiis* præfixa, & paſſim in iiſdem libris Berengarianam hæreſim clare oppugnat *Rupertus*, ſuamque mentem Catholicæ fidei apprime conſentaneam explicat aſſerendo, *panem & vinum mutari & converti in Corpus & Sanguinem Chriſti*. Qui certe loquendi modus hypoſtaticam Verbi Divini cum pane Euchariſtico unionem penitus excludit, non ſecus ac ille, qui his uteretur vocibus: *Natura humana in Chriſto converſa eſt in Verbum Divinum*, aperte cenſeretur negare unionem hypoſtaticam Verbi Divini cum natura humana. Sed plura ad vindicandum ab hoc errore *Rupertum* legeſis apud *Gabrielem Gerberonium* loco citato, & apud *Natalem Alexandrum* tomo 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, art. 8. cap. 6. *De Scriptoribus* XII. *ſæculi*. (*a*)

„ (*a*) Ad opera Ruperti Tuitienſis Abbatis, „ quæ junctim edita ſunt, adde ſequentia. Res „ geſtæ *Epiſcoporum Leodienſium & Abbatum S. „ Laurentii lib. V.* Tres priores perierunt; ge- „ minos duos in Epitomen contractos evulga- „ runt PP. Martene & Durandus Vet. Monu- „ mentor. to.IV. a quibus pariter in eodem volumi- „ ne habemus: *De vita veræ Apoſtolica Dialogo- „ rum lib. V.* ſicut & in Anecdotis tomo I. „ iidem Collectores dederunt Epiſtolam ad Lie- „ xelinum Canonicum: *qua ratione Monacho- „ rum ordo præcellit ordinem Clericorum*.

Inter inſignes Abbates, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo doctrina & pietate claruerunt jure ac merito cenſendus venit *Goffridus* natione Gallus, patria Andegavenſis, Cœnobii Vindocinenſis, Ordinis Benedictini, Carnotenſis Diœceſis: Abbas, & B. Priſcæ Cardinalis. Is quippe *Urbano* II. *Paſchali* II. & *Calliſto* II. chariſſimus fuit, & Sedi Apoſtolicæ ita addictus, ut pro ejus utilitate ac defenſione duodecies Alpes tranſcenderit, ac ter ab ejus adverſariis captivus ductus fuerit. Epiſtolarum libros quinque, Sermones undecim, & tractatus octodecim ſcripſit, ex quibus quantum fuerit in ſacris ſtudiis, & Canonibus exercitatus, facile judicari poteſt. Inter ejus epiſtolas una eſt, quæ ordine quadrageſima ſeptima extat libro quarto, ad *Robertum de Arbriſello* Ordinis Fontis Ebraldi fundatorem, quem his verbis monet *Goffridus* Abbas Vindocinenſis: *fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba ſæpius loqueris, & cum ipſis etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis ..... Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum genus Martyrii inveniſti*: Hanc ad *Robertum de Arbriſello* epiſtolam non eſſe legitimam *Goffridi* Vindocinenſis Abbatis prolem credidere *Sirmondus* editor epiſtolarum ejuſdem Goffridi, *Bollandus* in Commentario prævio ad vitam B. Roberti de Arbriſello, & *Joannes a Manu Firma* Fontebraldenſis Monachus in Diſſertatione duplici *de Epiſtola contra B. Robertum de Arbriſello confiſta*. Verum, periti alii Critici hanc epiſtolam ſcriptam ad *Robertum de Arbriſello* vindicant *Goffrido* Abbati Vindocinenſi, tum quia legitur in antiquiſſimo Codice MS. Ceoomanenſi eadem manu ſcripta, qua cæteræ ejuſdem Abbatis epiſtolæ, ut teſtatur *Sirmondus*; tum quia etiam *Mabillonius* in Muſæo Italico tomo I. pag. 59. loquens de Bibliotheca Reginæ Sueciæ, aſſerit ſe in ea vidiſſe Codicem complectentem epiſtolas *Goffridi* Abbatis Vindocinenſis, ipſius ætate ſcriptum, & has inter epiſtolam ad *Robertum de Arbriſello*, cujus nomen ſola prima littera R. deſignatur. Ait etiam idem *Mabillonius* pag. 164. ſe vidiſſe Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis, (quæ FF. Minorum Conventualium domus eſt) Codicem MS. ætate Goffridi Abbatis exaratum, in quo inter ejus epiſtolas ea reperitur, quæ ſcripta eſt ad *Robertum de Arbriſello*. Quamobrem, negari non poteſt, hanc epiſtolam ad *Robertum de Arbriſello* vere a *Goffrido* Abbate Vindocinenſi fuiſſe ſcriptam, quæ tamen officere non debet famæ & inculpatæ vitæ *Roberti de Arbriſello*, ut oſtendimus in ſequenti Colloquio. Galliam & univerſam Eccleſiam ſanctitate illuſtravit, & Apoſtolicis ædificavit virtutibus. Hanc ſiquidem epiſtolam ſcripſit *Goffridus* falſis deluſus rumoribus a malevolis in

Ro-

Robertum de Arbriſello temere in vulgus ſparſis. Quod ſane mirum nemini videri debet, cum ipſemet S. *Bernardus* Claravallenſis Abbas factioni adverſus Sanctum *Willelmum*, electum & conſecratum Archiepiſcopum Eboracenſem in Anglia innocenter adhæſerit, & inſontem præſulatu mulctari curaverit, Mortuo ſiquidem Archiepiſcopo Eboracenſi, pars major *Willelmum* Theſaurarium elegit Epiſcopum, & *Henricus* Vintonienſis Epiſcopus, Sanctæ Sedis Legatus, illum conſecravit. At *Osberto* Archidiacono ejuſdem Eccleſiæ, homine turbulento & factioſo, intercedente, variæ per Angliam adverſus *Willelmum* ſparſæ ſunt criminationes, quæ S. *Bernardum* ſeduxerunt, effeceruntque ut Sanctus ille Doctor adverſus S. *Willelmum* ſcriberet ad Summos Pontifices *Innocentium II. Cœleſtinum* II. *Lucium* II. & *Eugenium* III. eumque Sanctum Archipræſulem appellaret in ſuis epiſtolis *Idolum Eboracenſe*, *peſtem communem*, *ſervum nequam*, & virum in Sedem Eboracenſem *non per oſtium, ſed argenteo, ut ajunt, ſæculo intruſum*. Et tamen tunc Anglia ſanctiorem Præſulem *Vuillelmo* Eboracenſi non habebat, neque majori apud alios multos viros piiſſimos exiſtimatione pollentem. Unde patet, magnos ac pios viros falſis relationibus quandoque decipi, & trahi in ſententias a veritate alienas. Sed ſicut criminationes adverſus *Vuillelmum* Eboracenſem Archiepiſcopum excogitatæ non impedierunt, quominus *Honorius III.* Pontifex Maximus eum SS. Catalogo adſcripſerit, ita hæc epiſtola *Goffridi* Abbatis Vindocinenſis ad *Robertum de Arbriſello*, quæ falſos dumtaxat rumores a malevolis ſparſos continet, nullum ſanctitati, morumque innocentiæ *Roberti de Arbriſello* præjudicium inferre debet, ut fuſius oſtendemus in Colloquio ſequenti.

Cæteros Abbates, qui duodecimo ſæculo variis in locis eruditionis laude conſpicui fuerunt, paucis hic indicabo. Floruerunt ſub initium duodecimi Eccleſiæ ſæculi *Ingulphus*, *Franco*, & *Berengoſus*, quorum primus, ſeu *Ingulphus*, fuit patria Londinenſis, & Abbas Croylandenſis, qui ſui Cœnobii ſcripſit Hiſtoriam, cui tamen varia a Regibus Angliæ geſta intexuit. Hæc Hiſtoria *Ingulphi*, quam continuavit *Petrus Bleſenſis*, cum aliis Rerum Anglicarum Scriptoribus edita eſt a *Savilio* Londini anno MDXCVI. ſed auctior, ac longe correctior prodiit Oxonii an. 1686. ſuppletis lacunis, & addita *Petri Bleſenſis* continuatione, quæ in editione Saviliana deerat. *Franco* fuit Cœnobii Afflegemenſis in Brabantia Ordinis Benedictini, qui ſcripſit libros 12. *de Gratia Dei*, qui extant tomo 21. Bibliothecæ Patrum. *Berengoſus* Abbas S. *Maximi* extra Muros Trevirenſes, Ordinis Benedictini, edidit libros tres *de Inventione*, *& laude S. Crucis*, libellum *de Myſterio Ligni Dominici*, & Sermones aliquot PP. Quæ opera extant in Bibliotheca. *Anſelmus*, Gemblacenſis Monaſterii Abbas, Chronicon *Sigeberti* ejuſdem Cœnobii Monachi continuavit ad annum uſque MCXXXVI. *Rodulphus*, Abbas Monaſterii S. *Trudonis*, Ordinis Benedictini in Diœceſi Leodienſi, ſcripſit Chronicon Monaſterii Trudonenſis libris 13. quos edidit Lucas Dacherius tomo 7. Spicilegii. Item Vitam S. *Lietberti* Epiſcopi Cameracenſis, ab eodem *Luca Dacherio* editam tomo 9. Spicilegii. Compoſuit etiam *ſeptem libros contra Simoniacos*, qui extant in Bibliotheca Gemblacenſi, & epiſtolam ad *Sibertum* Priorem Cœnobii S. *Pantaleonis*, qui ab eo quæſierat, *Antequa ratione liceat aliquid exigere pro ſuſceptione puerorum in Monaſteriis?* Prolixam & eruditam *Rodulphi* epiſtolam ad quæſtionem a *Siberto* propoſitam una cum literis *Siberti* ad *Rodulphum* edidit doctiſſimus *Mabillonius*, Tomo 2. Analectorum.

Vuaſelinus cognomento *Momalius*, Cœnobii S. *Laurentii* apud Leodienſes Abbas ſcripſit epiſtolam *de Continentia Conjugatorum ante Communionem*, quam evulgavit *Mabillonius* tomo 1. Analectorum pag. 339. ubi de legibus continentiæ Conjugalis, quam certis diebus præſcribunt Canones, plura erudite obſervat idem *Mabillonius*. Plures Abbates doctrina & pietate celebres in Gallia duodecimo ſæculo extiterunt, quos inter præcipue eminent *Petrus Mauritius* Abbas Cluniacenſis, *Guillelmus* Abbas S. *Theodorici* prope Remos, *Guericus* Igniacenſis Monaſterii in Diœceſi Remenſi Abbas, *Arnoldus* Abbas Bonævallis, in Diœceſi Carnotenſi, *Serlo* Monaſterii *Saviniaci*, quod eſt in Diœceſi Abrincenſi, Abbas; *Iſaac* Abbas *de Stella* in Diœceſi Pictavienſi, *Alanus*, Inſulenſis, Cœnobii *Ripatorii* in Diœceſi Trecenſi I. Abbas, *Amedeus* Abbas *Altacumbæ* in Diœceſi Gebennenſi, & *Henricus* Cœnobii Claravallenſis Abbas electus, quorum ſcripta hic breviter, quantum fieri poterit, recenſebo. In primis, *Petrus Mauritius* in Arvernia ex nobili genere natus, & Abbas Cluniacenſis electus anno MCXXIII. morum gravitate, vitæ ſanctimonia, eruditione eximia excelluit, & *Venerabilis* cognomento appellari promeruit, quo nomine ab *Innocentio II.* & *Eugenio* II. Summis Pontificibus inſignitur. Eum S. *Bernardus* in epiſtola 276. ad *Eugenium* II. appellat *Vas in honorem plenum gratiæ & veritatis*, *refertum plurimis bonis*, *Virtutis exemplar*, *diſciplinæ ſummam*, *ſpeculum Sanctitatis*. Scripſit *Petrus Venerabilis Epiſtolarum libros ſex*, *Tractatum adverſus Judæos*: *Tractatum adverſus Petrobuſianos*, *libros duos de Miraculis*, *Sermones quatuor*, *Hymnos & Rithmos* quoſdam, & *Statuta Congregationis Cluniacenſis*, quæ Opera excuſa ſunt in Bibliotheca Patrum, & recenſentur in vita ejuſdem Abbatis Cluniacenſis, quæ extat in Chronico Cluniacenſi. *Guillelmus*, Ordinis primum Benedictini, & Abbas S. *Theodorici* prope Remos, arctiſſima neceſſitudine cum S. Bernardo Claravallenſi Abbate junctus fuit, cujus poſt mortem, abdicata Præfectura, Ciſtercienſem Ordinem in Monaſterio Signiacenſi profeſſus eſt, ac multa ſcripſit Opera, quæ edita ſunt tomo 4. Bibliothecæ Ciſtercienſis. *Guerricus*, Bernardi Diſcipulus, & Igniacenſis Monaſterii Ordinis Ciſtercienſis Abbas compoſuit piiſſimos & elegantiſſimos Sermones, qui extant in Bibliotheca Patrum tomo 23. pag. 169. *Arnol-*

Digitized by Google

noldus, Abbas Bonævallis in Diœceſi Carnotenſi, Ordinis Benedictini, Sancto *Bernardo*, dum adhuc in vivis eſſet, amiciſſimus fuit, ut liquet ex epiſtola 310. quam S. Bernardus in extremis poſitus ad ipſum ſcripſit, ut ſe ejus precibus commendaret. Scripſit *Arnoldus* Abbas *Tractatum de ſeptem verbis Domini in Cruce prolatis* : *Tractatum de operibus ſex dierum*, Sermonem *de laudibus S. Mariæ Virginis*. Tractatum *de Cardinalibus Chriſti operibus*, qui olim S. *Cypriano* perperam adſcriptus fuit, *Meditationes varias*, quæ Opera in unum collecta, & *Arnoldo* Abbati, eorum legitimo Authori, reſtituta prodierunt ad calcem S. *Cypriani* Operum *Oxonii* anno 1682. Scripſit etiam idem *Arnoldus* Abbas plures epiſtolas, & Auctor eſt libri ſecundi *de Vita Sancti Bernardi*, ut demonſtrat doctiſſimus *Mabillonius* in ſuis Notis ad epiſtolas S. *Bernardi* pag. 154. *Serlo* Abbas Monaſterii *Saviniaci*, quod in Diœceſi Abrincenſi in Galliis ſitum eſt, Ordinis Benedictini, Sancto *Bernardo* familiaris fuit, eique, ac Cœnobio Clarævallenſi Ordinis Ciſtercienſis non ſolum Monaſterium *Saviniacum*, cui præpoſitus erat, ſed etiam triginta alia, quæ ipſi velut Ordinis Capiti parebant, tradidit ac perpetuo addixit. Poſt obitum S. *Bernardi* ad Cœnobium Clarævallenſe *Serlo*, abdicato regimine, receſſit, ubi pie obiit, & Sermones a ſe conſcriptos reliquit, quos tomo VI. Bibliothecæ Ciſtercienſis publicavit P. *Bertrandus Tiſſier*. Varios itidem Sermones compoſuit *Iſaac*, Ciſtercienſis Ordinis Monachus, tum Abbas *de Stella*, quos una cum ejuſdem Abbatis libro *de Anima*, & epiſtolas ad *Joannem* Epiſcopum Pictavienſem mox citatus *Bertrandus Tiſſier* edidit tomo VI. Bibliothecæ Ciſtercienſis. *Alanus*, patria Inſulanus, ac ſubinde Gallo-Flander, in Cœnobio Clarævallenſi vitam Monaſticam profeſſus, poſtea Cœnobii *Ripatorii* recens in Diœceſi Trecenſi conſtructi primus Abbas fuit, inde tamen eductus, ad Epiſcopatum Antiſiodorenſem provectus eſt. Sed cum huic Eccleſiæ per tredecim annos præfuiſſet, Epiſcopatui, de licentia Sedis Apoſtolicæ, nuncium remiſit, & ad ſuam *Claramvallem* reverſus eſt. Multa elucubravit Opera, de quibus legendus eſt *Henricus de Gandavo* in libro de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 21. Vitam S. *Bernardi* ab eodem *Alano* ſcriptam in lucem emiſit, & editioni ſuæ Operum Sancti *Bernardi* præfixit. *Joannes Mabillonius* anno MDCLXVI. *Amedeus* non longe a Vienna in Galliis ex illuſtri familia oriundus, Ordinis Ciſtercienſis Monachus, ac S. *Bernardi* apud Claramvallem Diſcipulus fuit, exinde Abbas Altacumbæ in Diœceſi Gebennenſi, ac demum Epiſcopus Lauſanenſis conſecratus & a *Friderico* I. Imperatore Cancellarius Imperii renunciatus eſt. Compoſuit octo Homilias *de Laudibus B. Mariæ Deiparæ*, cura *Richardi Gibboni* Soc. Jeſu editas Audomari an. MDCXIII. ac deinde inſertæ fuerunt ad calcem S. Leonis Operum Lugduni MDCXXXIII. & in Bibliotheca Patrum tomo 20. pag. 1262. *Henricus* Abbas Clarævallenſis electus, & a *Clemente* III. Pontifice Maximo Cardinalis Epiſcopus Albanenſis creatus, miſſuſque in Gallia Legatus adverſus hæreticos Albigenſes, ſcripſit librum *de Peregrinante Civitate Dei*, & aliquot epiſtolas, quæ una cum epiſtolis *Petri* Abbatis itidem Clarævallenſis, & Sermonibus *Garreri*, qui *Petro* in Præfectura Clarævallenſi ſucceſſit, editæ ſunt tomo tertio Bibliothecæ Clarævallenſis. Ex tot eruditis juxta ac piis Abbatibus, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo Clarævallenſi Cœnobio præfuerunt, facile intelligere potes, Ordinem Ciſtercienſem ea ætate in Galliis maxime floruiſſe.

Angliam tres inſignes Ordinis Ciſtercienſis Abbates duodecimo Eccleſiæ ſæculo illuſtrarunt, videlicet *Gillebertus*, *Ælredus*, & *Balduinus* cognomento *Devonius*, quorum primus, ſeu *Gillebertus de Hollandia* ſub S. Bernardo Ciſtercienſis Ordinis Monachus, tum Svinſcherenſis Abbas in agro Lincolnienſi, magnus fuit S. *Bernardi* æmulator, & elegantiſſimos quadraginta octo Sermones in tria libri *Cantici Canticorum* Capita ſcripſit, ibi incipiens, ubi S. *Bernardus* ſcribendi ſimul & vivendi finem fecerat, qui una cum Epiſtolis quibuſdam, & Aſceticis ejuſdem Abbatis Diſſertationibus extant in Appendice Operum S. *Bernardi* editionis P. *Mabillonii* tomo IV. Alia opera edidit *Gillebertus*, quæ refert *Joannes Pitſeus* lib. *de Illuſtribus Scriptoribus Angliæ*. Alter, ſeu *Ælredus* natione Anglus, Ordinis Ciſtercienſis Monachus, & Abbas Rievallenſis in Eboracenſi Diœceſi, ſcripſit Sermones XXXI. *De oneribus Iſaiæ*, alioſque variis de argumentis & ſolemnitatibus Sanctorum: *Speculi Charitatis* libros tres: libros totidem Dialogorum *De Spirituali Amicitia* : *Tractatum de Jeſu Puero duodenni*, & alia nonnulla Opera, quæ refert *Pitſeus* lib. *de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus*. Tertius, ſeu *Balduinus*, cognomento *Devonius*, Oxoniæ in Anglia natus, Cœnobii Fordenſis, Ordinis Ciſtercienſis, Abbas, tum Vigornienſis Epiſcopus, ac tandem Archiepiſcopus Cantuarienſis, edidit *Tractatum De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, & quoſdam alios libros, quos collegit ac publicavit *Bertrandus Tiſſier* Tomo V. *Bibliothecæ Ciſtercienſis* anno MDCLXII. Hic prætermittere haud poſſum duos alios eruditos Abbates, qui duodecimo ſæculo in Anglia claruerunt, quamvis ex Anglia oriundi non fuerint. Primus eſt *Gilbertus*, ſive *Giſlebertus* cognomento *Criſpinus* patria Normannus qui in Beccenſi Cœnobio, una cum S. *Anſelmo* Monaſticam vitam egit, ac poſtea Weſtmonaſterienſis in Anglia factus Abbas, celebrem Diſputationem, quam cum Judæo quodam Moguntino de Chriſtianæ Religionis veritate olim habuerat, litteris mandavit, & in Dialogi formam redegit ſub hoc titulo: *de Fide Eccleſiæ contra Judæos*. Hoc *Gilberti* Abbatis Opus, quod *Gabriel* Gerberonius inter Opera S. *Anſelmi* anno MDCLXXV. integrum inſeruit, perperam nonnulli confundunt cum alio libro, qui inter S. *Auguſtini* Opera extat ſub titulo; *Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ*. Alia ejuſdem *Gilberti* Abbatis Opuſcu-

la

Digitized by Google

la memorant *Balæus* , & *Pitſeus* lib. *de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus* . Alter Abbas, qui Angliam eruditione ſua illuſtravit , quamvis natione Anglus non eſſet, fuit *Hugo* Gente Gallus, patria Ambianenſis, qui Radingæ in Anglia primus Abbas factus eſt, dein Archiepiſcopus Rotomagenſis creatus. Scripſit tres libros contra Hæreticos ſui temporis, ſive *de Eccleſia & ejus Miniſtris ad Albericum* Oſtienſem Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ Legatum , quos *Lucas Dacherius* ad calcem Operum *Guiberti Novigentini* Abbatis edidit .

In Germania floruerunt *Ekbertus* S. Florini Sconhavienſis Abbas, *Elizabeta* ejus ſoror Abbatiſſa Sonhaugenſis in Diœceſi Trevirenſi Ordinis Benedictini *;* & *Hildegardis* Monaſterii S. *Ruperti* in Monte ad Bingam Moguntinæ Diœceſeos prope Rhenum fluvium Abbatiſſa. Sermones tredecim contra *Catharos* compoſuit *Ekbertus* Abbas, & vitam *Elizabetæ* Abbatiſſæ ſororis ſuæ , cujus extant *Viſionum* , ſeu *Revelationum* libri tres, & *Epiſtolarum* liber unus , typis impreſſi Coloniæ anno MDXXVIII. *Gildegardis* Abbatiſſa ſanctitate & divinis Revelationibus illuſtris fuit , quas ſcripto traditas *Eugenius* III. Papa , & primores Germaniæ & Galliæ Epiſcopi ac Abbates , in quibus S. Bernardus , examinarunt atque probarunt. Nec ſolum *Eugenius III.* ſed etiam *Anaſtaſius* IV. & *Hadrianus* IV. Summi Pontifices *Hildegardim* ſuis Epiſtolis honorarunt , ejuſque orationibus ſe ac Romanam Eccleſiam commendarunt . Scripſit tres Revelationum libros, plurimas Epiſtolas, librum inſcriptum *Scivias* , ideſt *de ſcientia viarum Dei* , & alios Tractatus , quos *Trithemius* Abbas lib. *De viris Illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti* cap. CXIX. & lib. *Scriptoribus Eccleſiaſticis* commmemorat . (*a*)

„ (*a*) Liber Divinorum Operum *ſimplicis*
„ *Hominis* ſcriptus an. 1163. & a Trithemio
„ tanquam ab ea S. Virgine datus indicatur ,
„ ego per hos annos e MS. Cod. Membran.
„ evulgavi in ſecundo volumine Miſcellan. Ba-
„ luzii cum meis acceſſionibus *;* quæ editio hiſce
„ annis evulgari Lucæ cępit .

Denique , in Belgio, præter *S. Norbertum* , Præmonſtratenſium Ordinis Inſtitutorem ſanctitate & doctrina illuſtrem, de quo in ſequenti Colloquio differendi ſeſe opportunior dabit occaſio , præfulſit *Philippus* ejuſdem Premonſtratenſis Ordinis Canonicus Regularis , & Monaſterii *Bonæ Spei* , primo lapide a Binchio Hannoniæ oppido ſiti ſecundus Abbas . Scripſit Commentaria *in Cantica Canticorum* , librum *De lapſu primi hominis & damnatione Salomonis* , libros tres *De Clericorum dignitate* , *ſcientia* , *continentia* &c. Vitas aliquot Sanctorum Selectorum, varias Epiſtolas, nonnullaque Poemata , & alia Opuſcula, quæ *Nicolaus Chamart* Abbas *Bonæ Spei* , edidit Duaci anno MDCXXI.

D. Longum ſatis texuiſti Illuſtrium Abbatum duodecimi ſæculi Catalogum : veniamus modo ad Monachos, qui eodem ſæculo variis in locis aliqua nominis celebritate claruerunt , & quorum hactenus nullam mentionem feciſti.

M. Septem præſertim Monachi in Galliis doctrina & pietate duodecimo ſæculo celebres extiterunt , videlicet *Guigo* Carthuſianus , *Hugo a Sancto Victore* , *Herveus* , Monachus Ordinis Sancti Benedicti , *Gaufredus* Monachus Claræuallenſis , *Petrus Pictavienſis* , Benedictinus , & *Hugo Pictavinus* Ordinis itidem Benedictini Monachus , de quorum Scriptis breviter hic agendum eſt. *Guigo in* Delphinatu natus, & quintus Carthuſiæ Majoris Prior, ſcripſit *vitam S. Hugonis Grationopolitani Epiſcopi* , jubente *Innocentio II.* Pontifice Maximo , cui ipſam nuncupavit . Hanc vitam *Henſchenius* , & *Papebrochius* inter Acta ſanctorum menſis Aprilis ad diem primum publicarunt . Alia Opuſcula edidit *Guigo* Carthuſianus , quæ in Supplemento de Scriptoribus Eccleſiaſticis enumerat *Caſimirus Oudinus* , ubi tamen male ait, Sanctum *Hugonem* fuiſſe primum Carthuſianorum Fundatorem. *Hugo a Sancto Victore* , Canonicus Regularis Sancti *Victoris* Pariſienſis, vir fuit in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſæculari Philoſophia nulli priſcorum inferior, ut ait *Trithemius* . Multa Opera *Hugo a Sancto Victore* eruditione ſingulari ſcripſit , quorum indicem texere nimis longum eſſet . Hic dumtaxat obiter obſervabo, nonnulla opera *Guigoni Victorino* attribui, quæ tamen non ab ipſo, ſed ab *Hugone* Corbeienſi in Gallia Monacho, *De Folieto* dicto, qui poſtea fuit S. R. E. Cardinalis , edita fuerunt, ſicut teſtatur *Caſimirus Oudinus* in Supplemento Scriptorum Eccleſiaſticorum, ubi ex MSS. Codicibus a ſe viſis demonſtrat , libros quatuor *de Clauſtro Animæ* , librum *De Medicina Animæ* , alioſque quoſdam , *Hugoni Victorino* perperam attributos , vindicari debere *Hugoni* Monacho Corbeienſi , *De Folieto* nuncupato , cujus meminit *Trithemius* in Chronico, & aliqua ejus Opera recenſet , inter quæ duo mox a me laudata , & *Hugoni a Sancto Victore* falſo adſcripta reperiuntur . *Richardus a Sancto Victore* fuit diſcipulus *Hugonis a Sancto Victore* , & quamvis natione Scotus eſſet, floruit tamen in Galliis, utpote Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini in Cœnobio Pariſienſi, ejuſdemque Prior. Eum *S. Bernardus* in gravioribus Theologiæ difficultatibus conſulere ſolitus erat, extatque *Richardi a S. Victore* Tractatus *De tribus appropriatis perſonis* ad Bernardum Claræuallenſem ſcriptus. Extat & alius Tractatus ejuſdem Auctoris *De Incarnato Verbo* ad *Bernardum Abbatem Claræuallenſem* , aliuſque ſub hoc titulo: *Declarationes nonnullarum difficultatum ſcripturæ ad Bernardum Claræuallenſem* . Multa alia perdocta Opera edidit *Richardus a S. Victore* , quæ recenſent *Trithemius* in Chronico , *Bellarminus* , & *Labbeus* lib. *De Scriptoribus* & noſter *Sixtus Senenſis* lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ. Prodierunt *Richardi a S. Victore* Opera Venetiis anno MDCXXI. & Rothomagi MDCL. *Heruens* Monachus Dolenſis edidit *Commentarium in Epiſtolas S. Pauli* , qui falſo adſcriptus S. Anſelmo inter Opera ejus habetur. Extat etiam in Bibliotheca Claromontana , teſte *Labbeo* , *prægandis Commentarius* MS. ejuſdem Heruei *in Iſaiam Prophetam ad Joannem Dolenſem* . Epiſtolam Encyclicam , quam ſcripſerunt Monachi Dolenſes, & in qua *Heruei* vita & Scri-

pta

Digitized by Google

pta continentur, edidit *Lucas Dacherius* Tomo 2. Spicilegii pag. 514. *Gaufredus* Monachus Clarevallenſis ſcripſit *Epiſtolam de rebus in concilio Remenſi in cauſa Gilberti Porretani actis*, quæ extat inter Acta Concilii Remenſis. *Petrus Pictavienſis* Monachus, Ordinis Benedictini, *Petro Venerabili* Abbati Cluniacenſi Carmen Panegyricum cecinit, & ad ipſum ſcripſit Epiſtolam. Auctor eſt etiam idem *Petrus* Epitaphii *Gelaſii* II. Pontificis Maximi. *Hugo Pictavinus*, Ordinis S. Benedicti Monachus cœoobii Vezeliacenſis, quatuor libris complexus eſt ejuſdem Monaſterii Hiſtoriam, quæ extat Tomo III. Spicilegii Dacheriani. Hic prætermittere non poſſum *Drogonem* inſignem Monachum, S. *Joannis* Laudunenſis in Galliis Abbatem, qui ab *Innocentio II.* Summo Pontifice Romam vocatus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis creatus eſt. Scripſit Sermonem *De Paſſione Domini*, item librum *De Creatione & Redemptione hominis*, Opuſculom *De ſeptem Donis Spiritus Sancti*, & Tractatum *De Horis canonicis*. Quæ opera extant in Bibliotheca Patrum.

Io Italia duo eximiæ eruditioois Monachi Cœnobii Caſſinenſis, *Leo* videlicet, & *Petrus* floruerunt. *Leo* gente *Campanus*, & a patria *Marſicanus* appellatus, ad Cardinalitias Inſulas a *Paſchali* II. Pootifice Maximo evectus eſt. Scripſit *Chronicon Monaſterii Caſſinenſis* tribus libris compreheoſum a tempore S. *Benedicti* uſque ad *Deſiderium* ejuſdem Monaſterii Abbatem, qui poſtea Pootifex Romanus electus, *Victor* III. nuocupatus eſt. Hunc *Leonem Marſicanum* Monachum Caſſinenſem *Baronius* in Annalibus, & *Poſſevinus* in Apparatu ſacro conſundunt cum altero *Leone* Monacho itidem Caſſinenſi, qui *Urbano* II. fuit ab Epiſtolis, & Regiſtrum ejus compoſuit, quique a *Paſchali* II. inter Cardinales Diaconos adſcriptus eſt. Verum, ſicut jam a viris doctis obſervatum eſt, *Leo Marſicanus* Cardinalis, qui Chrooicon Caſſinenſe tribus libris compoſuit, & ad mortem uſque *Victoris* III. Papæ perduxit, diverſus eſt ab altero *Leone* Cardinali, qui Epiſtolarum *Urbani* II. Regiſtrum edidit, ſicut maniſeſto demonſtrat *Petrus Diaconus* in libro De Viris Illuſtribus cap. 30. ubi de *Leone*, dicto *Marſicano*, dicit, eum Sanctitate & Monaſticis diſciplinis ad plenum imbutum, & in Divinis Scripturis apprime eruditum fuiſſe. Capite vero inſequenti loquens de alio *Leone* Cardinali, affirmat, ſeciſſe *Regiſtrum* Epiſtolarum *Urbani* II. illumque ſtudio ac eloquentia ioſignem extitiſſe teſtatur. Conſundi itaque haud debent duo iſti *Leones* ejuſdem Cœnobii Caſſinenſis Monachi, & poſtea S. R. Eccleſiæ Cardinales. *Chronicon* Cœnobii Caſſinenſis a *Leone Marſicano* cœptum, & ad *Deſiderii* Abbatis tempora perductum continuavit *Petrus* patria Romanus, & Monachus Caſſinenſis, ſuamque continuatiooem abſolvit anno MCXL. Præter iſtud Opus, innumera alia Opuſcula a ſe confecta recenſet *Petrus* Monachus Caſſinenſis cap. 68. lib. 4. Chronici Caſſinenſis, ſed præſertim librum *de viris Illuſtribus Cœnobii Caſſinenſis*, qui extat Tomo XXI. Bibliothecæ Patrum Editionis Pariſienſis. De Abbate *Joachimo*, qui XII. Eccleſiæ ſæculo in Italia floruit, deque ejus ſanctitate & vaticiniis, ſat ſuperque diximus, ſub finem Colloquii tertii. Quapropter, breviter hic annotare ſufficiet, Abbatem *Joachimum* quinque ſcripſiſſe libros *de Concordia veteris ac novi Teſtamenti*, *Pſalterium decem Chordarum*, *Commentaria in Jeremiam Prophetam, in Iſaiam, & in nonnulla Capita Nahum, Abacuc, Zachariæ, & Malachiæ Prophetarum*, nec non librum adverſus quamdam *Petri Lombardi* Opinionem, qoi in Synodo Lateranenſi IV. ſub *Innocentio* III. damnatus eſt. Plurima alia Abbatis *Joachimi* Scripta recenſet & MSS. extare refert *Carolus Du Viſch* in Bibliotheca Scriptorum Ciſtercienſium pag. 172.

Infinitus profecto eſſem, ſi hic ſigillatim recenſere vellem alios Monachos, qui XII. ſæculo doctrinæ & pietatis laude claruerunt, quique Vitas, Miracula & Geſta Sanctorum ſcripſerunt. Iis itaque referendis, brevitatis ergo, ſuperſedebo, totumque Illuſtrium XII. ſæculi Monachorum agmen claudet *Algerus*, primum Leodienſis Canonicus, indeque ſpreto ſæculo Cluniacenſis Monachus, qui tres libros *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini adverſus Berengarium* edidit, & extant in Bibliotheca Patrum tomo 21. pag. 251. Scripſit etiam *Algerus* Tractatum *De Miſericordia, & Juſtitia*, cujus Præfationem doctiſſimus *Mabillonius* publicavit tom. 1. Analectorum pag. 303. & integrum Tractatum ſe aliquando in lucem emiſſurum pollicetur.

„ Fidem a Mabillonio obſtrictam liberarunt
„ PP. Martene & Durand, evulgantes Anecdot.
„ tom. V. pag. 1020. hunc Algeri tractatum in-
„ tegrum ſub titulo *De Miſericordia, Juſtitia,*
„ *& de illis, qui extra Eccleſiam ſunt*, appoſita etiam
„ iterum preſatione & elogio Nicolai Leodienſis
„ in eundem Algerum jam a Mabillonio excuſis.

Pervenimus tandem ad ſextam & ultimam duodecimi ſæculi Scriptorum Claſſem, in qua de iis Auctoribus ſermonem inſtituere debemos, qui de Theologia Scholaſtica, & de Jure Canooico ſcripſerunt, ut igitur ab his Scriptoribus, qui Theologiam Sckolaſticam ſuis lucubrationibus illuſtrarunt; initium ſumamus, oſtende in primis, quænam fuerit Origo, quive progreſſus, Theologiæ Scholaſticæ; dein, referes celebriores Auctores, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo in tradeoda & propaganda Theologia Scholaſtica ſtudiom operamque poſuerunt?

M. Theologiæ Scholaſticæ oomen duodecimo præſertim ſæculo invaluit, ejuſque profeſſores *Scholaſtici* fuere appellati, tom quia, ut inquit *Bulæus* tom. 2. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pag. 584. eam ex Philoſophorum inſtituto Diſcipulis in Scholis tradebaot; tum quia etiam Scholaſticorum more diſputabant, altercabantur, ac ſæpius quæſtiones ventilabant, quæ extra Scholas nullius, aut ſaltem exigui uſus eſſe videbantur. Hujus introductæ Theologiæ Scholaſticæ quatuor Anteſigoanos conſtituit *Gualterus de Sancto Victore*, videlicet *Petrum Abaelardum*, *Gilbertum Porretanum*, *Petrum Lombardum*, & *Petrum Pictavinum* contra quos libros quatuor ſcripſit, in quibus eos

cre-

Digitized by Google

crebro *Scholaſticos* appellat. Paulo plus ſtudii, quam par fuiſſet, ſæculo duodecimo impenſum eſt promovendo Theologiæ Scholaſticæ Imperio, Dialecticæque ſubtilitatibus excogitandis, magis quam cæteris liberalibus artibus excolendis, ita ut graviſſimi deinceps emerſerint abuſus. Nonnulli quippe pro doctrina Ariſtotelis acerrime decertantes juſtæ mediocritatis terminos prætergreſſi vitioſam omnino & Theologiæ Profeſſoribus plane indignam in Facultatem Pariſienſem invexerunt Theologiam, graves nimirum ſerioſque & ſua majeſtate ſacros Tractatus futilibus quæſtionibus, vanis inventionibus, frigidis & jejunis argumentis, ridiculiſque diſtinctionibus & ſolutionibus dehoneſtantes. Alii bellatricem Theologiam ſic in deliciis habebant, & cæſim ac punctim ita in arena digladiari geſtiebant, ut in ſuis argutis, ſubtilibuſque de rebus Theologicis diſputationibus ne verbum quidem de Scriptura, Patribuſque ultro citroque proferrent, & quod feſtivum ac lepidum erat, omnes quæſtiones Theologicas ad frivolas exilis Dialecticæ regulas exigerent, quaſi ex *Porphyrii* artificio, vel ex Ariſtotelis argumentationibus noſtra ſuſpenſa eſſet Religio. Hunc gravem in Facultate Pariſienſi ſerpentem abuſum ut radicitus extirparet *Gregorius* IX. Pontifex Maximus, ad Magiſtros Pariſienſes an. MCCXXVIII. ſcripſit epiſtolam, in qua ſignificat, ſe graviter admodum, ac moleſte ferre, Theologos Pariſienſes ad varias deſcendiſſe Philoſophorum tricas, inaneſque quæſtiones oſtentandi tantum ingenii cauſa excogitatas: *Tacti dolore cordis intrinſecus*, inquit, *amaritudine repleti ſumus abſinthii, quod, ſicut auribus noſtris eſt intimatum, quidam apud vos ſpiritu vanitatis ut uter diſtenti, poſitos a Patribus terminos prophana transferre ſatagunt novitate, Cæleſtis paginæ intellectum Sanctorum Patrum ſtudiis certis terminis limitatæ, quos transgredi non ſolum eſt temerarium, ſed prophanum ad doctrinam Philoſophorum naturalium inclinando, ad oſtentationem ſcientiæ, non profectum aliquem auditorum, ut ſic videantur non Theodidacti ſeu Theologi, ſed potius Theophanti. Cum enim Theologiam ſecundum approbatas traditiones Sanctorum exponere debeant, & non carnalibus armis, ſed Deo potentibus deſtruere omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & captivum in obſequium Chriſti omnem redigere intellectum; ipſi doctrinis variis & peregrinis abducti redigant caput in caudam, & ancillæ cogunt famulari Reginam —— Ne igitur hujuſmodi dogma temerarium & perverſum, ut cancer ſerpat, & inficiat plurimos, oporteatque filios perditos plorare Rachelem, præſentium vobis authoritate mandamus & diſtricte præcipimus quatenus, prædicta veſania penitus abdicata, ſine fermento mundanæ ſcientiæ doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philoſophorum figmentis, ſed contenti terminis a Patribus inſtitutis, mentes auditorum veſtrorum fructu cæleſtis eloquii ſaginetis &c.* integram Gregorii IX. ad Theologos Pariſienſes epiſtolam refert *Bulæus* tomo 3. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pag. 129.

Non hæc eo tamen impræſentiarum dico, quod velim improbare ſtudium Theologiæ Scholaſticæ, cujus potius utilitatem in ſequenti Colloquio contra Heterodoxos, qui eam cane pejus & angue odio proſequuntur, aſſeram ac vindicabo, ſed ſolum neceſſarium eſſe duxi hiſtorice referre, quam male de Theologia Scholaſtica, ſtatim ac duodecimo ſæculo prodire cœpit, meriti ſint quidam arguti homines, qui eam in captioſam ac mere ſophiſticam converterunt verſutiam, de rebus divinis cavillantes moroſius, argutantes ſubtilius, in tricis unice morantes, contorta & aculeata vibrantes ſophiſmata, perſtringendis oculis, fuco faciendo, & infuſcandæ quam inquirendæ & limandæ veritati aptiora. Sed, miſſis illis otioſis hominibus, qui duodecimo ſæculo, repudiata ſolida germanæ Theologiæ forma, ſe ſuoſque auditores vanis, frugiſque expertibus commentis paſcebant, veniamus ad celebres illos Scriptores, qui eodem ſæculo Theologiam Scholaſticam in meliorem formam redegerunt, eamque, collectis veterum Patrum ſententiis, auxerunt, exornarunt, illuſtrarunt. Inter illos primas tenet, ac facile omnium Princeps eſt *Petrus Lombardus* magnæ famæ & exiſtimationis Magiſter, natione Inſuber, Patria Novarienſis, qui ex Academia Bononienſi ad Pariſienſem ſe tranſtulit, & poſtea ad Epiſcopatum Pariſienſem anno MCLIX. vel MCLX. aſſumptus eſt. Excelluit præſertim in Theologia Scholaſtica, & in Academia Pariſienſi gradus Doctorales inſtituit, exemplo *Gratiani*, qui, ut mox dicemus, eoſdem Gradus in Jure Canonico jam Bononiæ inſtituerat, aut inſtituendorum author fuerat. *De Petro Lombardo* hæc habet *Henricus Gandavenſis*: Petrus Lombardus *Theologiæ Scholæ Pariſiis Præſidens ſcripſit quatuor libros ſententiarum, Opus magnum & arduum, quo opere uſque hodie vel maxime utuntur ſtudia Theologorum. Inveniuntur etiam ſermones aliqui de diverſis ſolemnitatibus ab ipſo ſcripti*. Noſter *Sixtus Senenſis* libro 4. Bibliothecæ Sanctæ ait, omnes Theologorum Scholas Petrum Lombardum ſingulari quadam venerationis excellentia *Magiſtrum Sententiarum* appellare, & in ejus Theologiæ Compendium innumerabilia diſputationum volumina eruditiſſimos clariſſimarum toto Chriſtiano Orbe Academiarum Theologos elaboraſſe. Fatendum tamen eſt, non omnes *Petri Lombardi* ſententias eſſe receptas, ſed nonnullas communi Theologorum calculo explodi, quarum extat index ad calcem libri quarti ſententiarum. Omnes *Petri Lombardi* nævos ad Articulos quatuordecim revocat Sanctus *Antoninus* parte 4. tit. 11. cap. 8. Fertur *Petrum Lombardum*, *Gratianum*, & *Petrum Comeſtorem*, germanos fratres fuiſſe ex adulterio procreatos, quorum mater de peccato, quo tantos viros pepererat, vix dolere potuerit. Sed hæc hiſtoriola inter aniles fabulas reponenda eſt, cum certiſſime conſtet *Petrum Lombardum* Inſubrium fuiſſe & patria Novarienſem; *Gratianum* ex Etruria in Oppido *Cluſio* oriundum; *Petrum* vero

Co-

Comeſtorem natione Gallum, patria Trecenſem. Qui igitur fieri potuit, ut tres illi inſignes viri nationibus adeo diverſi ex ejuſdem matris utero prodierint? apage fabulam.

Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum ſcribendi modum imitati ſunt *Magiſter Anſelmus*, Laudunenſis Decanus, qui per quadraginta & amplius annos Theologiam publice Pariſiis profeſſus eſt, & *Robertus Pullus*, quorum primus, ſeu *Anſelmus*, congeſtis hinc inde ex veterum Patrum Scriptis ſententiis, totum vetus ac novum Teſtamentum interlineari marginalique Gloſſa illuſtravit, aliaque reliquit Opera, quorum pleraque adhuc inedita ſunt. Habuit *Anſelmus* diſcipulos celeberrimos, videlicet *Willelmum Compellenſem*, qui fuit poſtea Epiſcopus Catalaunenſis; *Petrum Abaelardum*, *Gaufredum Britonem*, dein Rothomagenſem Archipræſulem, alioſque. *Anſelmi* elogium, annumque ejus emortualem *Lucas Dacherius* in Notis ad Opera, quæ publicavit, *Gilberti* Abbatis Beatæ Mariæ de Novigento pag. 643. deſcripſit ex Chronico Canonici Laudunenſis coævi hactenus inedito. *Robertus Pullus* in Anglia natus, ſtudiorum cauſa Gallias petiit, & Pariſiis ſcientias cum ſacras, tum prophanas didicit, & docuit, ut habet *Pitſeus* in *Roberto Pullo*. Romam ab *Innocentio* II. vocatus a *Lucio* II. ejus ſucceſſore Cardinalis renunciatus eſt *Robertus Pullus*, ediditque *octo ſententiarum libros*, quos *Hugo Mathoudus* Monachus Congregationis S. Mauri eruditis Notis illuſtratos publicavit Pariſiis anno MDCLV. ſub finem duodecimi ſæculi duo celeberrimi in Gallis floruerunt Theologi, videlicet *Petrus Comeſtor*, ſeu *Manducator* dictus, & *Petrus Cantor*, quorum primus gente fuit Gallus, patria Trecenſis, ejuſdemque urbis Canonicus & Decanus. Celeberrima *Petri Comeſtoris* fama excitati Pariſienſes, eum ad ſe vocarunt, & Academiæ Pariſienſis Cancellarium conſtituerunt. Scripſit ad Guillelmum Archiepiſcopum Senonenſem *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* libros ſexdecim, in quibus Hiſtoriam ſacram a principio Geneſeos uſque ad finem Actuum Apoſtolorum in Compendium redegit. Sermones, & alia Opera quæ edidit, adhuc Pariſiis in Cœnobio Canonicorum Regularium Sancti *Victoris*, & in variis Bibliothecis MSS. aſſervantur. Duos Tractatus, videlicet *De Vita & Geſtis Beatæ Virginis*; *& de Laudibus Sancti Joannis Evangeliſtæ* ſcriptos fuiſſe a *Petro Comeſtore* pertendit *Petrus de Alva & Aſtorga* Minorita in libro, quem ſub ementito nomine *Roderici Rodriguez*, inſcriptum *Pleytos de los libros* Tortoſæ anno MDCLXIV. Hiſpanica lingua edidit. At duos iſtos Tractatus *Petrum Comeſtorem* parentem non habere, ſed noſtro *Vincentio Bellovacenſi* vindicari debere invictis momentis, ſed præſertim ex peritorum Criticorum conſenſu, & ſtyli ſimilitudine demonſtrat noſter *Jacobus Echardi* in libro, quem Pariſiis anno MDCCVIII. publici juris fecit, ſub hoc titulo: *Summa S. Thomæ ſuo Auctori vindicata*, & omnes conjecturas, quibus laudatus *Petrus de Alva* famoſus Ordinis Prædicatorum æmulus duos iſtos Tractatus *Petro Comeſtori* aſſerere, & noſtro *Vincentio Bellovacenſi* abjudicare nititur, perdocte exſufflat pag. 505. & ſequentibus. *Petrus Cantor*, celeberrimus Theologus fuit, *vita & ſcientia clarus*, ut ait *Nangius* in ſuo Chronico. Eum etiam plurimum laudant *Vincentius Bellovacenſis* in Speculo Hiſtoriali lib. 29. cap. 59. *Albericus* in Chronico, ſed præſertim *Jacobus de Vitriaco* Cardinalis in Hiſtoria Occidentis cap. 8. ubi de Petro *Cantore* hæc habet: *Cœpit facere & docere velut lucerna ardens & lucens, & civitas ſupra montem poſita, & candelabrum in domo Domini aureum, de cujus fonte limpidiſſimo beatiſſimus vir Fulco* Presbyter *potavit*. Vitam Monaſticam in Abbatia *Longi pontis* Ordinis Ciſtercienſis cum fuiſſet amplexus Petrus *Cantor*, necdum expleto probationis anni migravit e corpore. Hæc autem Abbatia *Longipontis* a *Ioſleno* Sueſſionenſi Epiſcopo an. MCXXXII. fundata eſt quo, e S. *Bernardi* familia Monachos miſit. *Petrus* fuit cognominatus *Cantor*, quod in Eccleſia Cathedrali Pariſienſi Cantor fuerit. Varia compoſuit Opera, quæ in diverſis Bibliothecis adhuc MSS. habentur, ut teſtatur *Caſimirus Oudinus* in Supplemento *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Sola ejus ſumma Moralis, quæ dicitur *Verbum Abbreviatum*, eo quod ab his verbis incipiat, typis excuſa eſt Montibus Hannoniæ anno MDCXXXIX.

D. Satis, quæſo, de Theologiæ Scholaſticæ Origine, & de illis Profeſſoribus, qui in ea XII. ſæculo excelluerunt, dictum ſit: Nunc a te percontari velim, num eodem ſæculo duodecimo Juris tam Civilis, quam Canonici Profeſſio in Scholis fuerit inſtituta & una cum Theologiæ Scholaſticæ ſtudio publice cœperit exerceri?

M. Juris Civilis Profeſſionem, quam ſexto Eccleſiæ ſæculo inſtituerat *Juſtinianus* Imperator, quæque ab ejus ævo ad XII. uſque ſæculum, hoc eſt, per ſexcentos ferme annos neglecta omnino, ac propter inundationes Barbarorum in Italiam frequentes, priſcarumque legum, ſeu Romanorum contemptum, & exoticarum introductionem, pene extincta erat, primus *Irnerus* Juriſconſultus peritiſſimus in apertam lucem revocavit circa annum MCXXXVI. ſicut communiter ſcribunt Hiſtorici. Ex *Irneri* Schola prodierunt viri peritiſſimi, quorum alii eamdem Juris Civilis Profeſſionem in Italia conſervarunt, alii in Galliam, & Angliam, hoc eſt, Pariſios, & Oxonium, ubi florebant ſtudiorum Academiæ, intulerant circa an. MCL. ut ſcribit *Valentinus Forſterus* lib. 4. *Hiſtoriæ Juris Civilis Romani*. Verùm, quia multo plures ad Juris Civilis, quam ad Theologiæ ſtudium ſeſe conferebant, veriti Romani Pontifices, ne Juris Civilis Profeſſio invaleſceret, ac ſenſim ſine ſenſu a Theologiæ, cæterarumque Diſciplinarum Scholis ſtudioſos avocaret; ſub excommunicationis interminatione inhibuerunt, ne Monachi, immo ne Sæculares Clerici, Presbyteri, & in dignitatibus Eccleſiaſticis conſtituti ad audiendum leges admitterentur. Id ſancitum ab *Honorio* III. Pontifice Maximo anno 1217.

refer-

Digitized by Google

referturque lib. 3. Decret. tit. ult. cap. *Super ſpecula*, ibique leguntur hæc verba: *Quia vero Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, ut dilatato ſui tentorii loco funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo, ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos perſonatus habentes, necnon Presbyteros hoc extendi volumus & mandamus*. Hoc pacto Juris Civilis Schola minus frequentari, contra vero Juris Canonici & Theologiæ Profeſſio vigere magis & celebrari cœpit. Ad promovendam duodecimo ſæculo Juris Canonici diſciplinam duo Clariſſimi Viri *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus, & *Gratianus* natione Etruſcus, Monachus Bononienſis, omnes ſuas curas, induſtriam, ſtudia & labores contulerunt. Inter cætera quæ fecit *Ivo*, de quo ſuperius Sermonem habuimus, Canones Sanctorum Patrum, & Conciliorum Generalium edidit in lucem, & compendioſum Decretum appellavit, quo ante *Gratiani* tempora per ſexaginta circiter annos uſi ſunt Juriſtæ, de quo Opere ſic ipſe *Ivo* habet in ſuo Prologo: *Excerptiones*, vel, ut alii legendum putant, *Exceptiones*, *Eccleſiaſticarum Regularum partim ex epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum, Catholicorum Epiſcoporum, partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex inſtitutionibus Catholicorum Regum nonnullo labore in unum corpus adunare curavi, ut qui ſcripta illa, ex quibus excerpta ſunt, ad manum habere non poterit, hinc ſaltem accipiat, quod ad commodum cauſæ ſuæ valere perſpexerit. A fundamento itaque Chriſtianæ Religionis, ideſt, fide inchoantes, ſic ea, quæ ad quæque negotia diſcutienda vel definienda pertinent ſub generalibus titulis diſtincta congeſſimus, ut non ſit quærenti neceſſe totum volumen evolvere*. Porro licet in Galliis duodecimo Eccleſiæ ſæculo vigere cœperit juris Canonici ſtudium, illud tamen in Italia, & præſertim Bononiæ, magis fuiſſe excultum, ex eo maxime patet, quod ſicut hi, qui Artes liberales, & Theologiam perfecte callere cupiebant, ad Pariſienſem confluebant Academiam, ita, & illi, quibus juris Canonici ſcientiam in animo erat in ipſo fonte haurire, Bononiam petebant, teſte *Nekamo* lib. 2. *de Naturis Rerum*, ubi inquit: *Juris peritiam ſibi vendicat Bononia, ſed Cæleſtis Scriptura & liberales Artes Civitatem Pariſienſem cæteris præferendam eſſe convincunt*. Hujus profeſſionis juris Canonici Bononiæ inſtitutæ originem acceptam referre debemus *Gratiano* Bononienſi Monacho, qui Corpus Decretorum Pontificiorum, & Canonum Eccleſiaſticorum conflavit, quod *Eugenius* III. Pontifex Maximus in Univerſitatibus, ſeu Studiis Generalibus, maxime Bononiæ, publice prælegi juſſit, & ſuggerente eodem *Gratiano*, gradus quoſdam Academicos excogitavit non tam annorum, quam profectus, ſcilicet Baccalaureatus, Licentiatus & Doctoratus, ut hocce ſpecioſo titulo ſtudioſos ad Jus Canonicum amplectendum excitaret, & Privilegiis accenderet. Aliqui ante *Gratianum* Collectiones canonum dederant, ut *Dionyſius exiguus*, *Creſconius*, *Burchardus*, *Ivo*, & ſi qui alii ſunt, ſolus tamen *Gratianus* id obtinuit, ut publice in ſcholis prælegeretur, & multorum doctiſſimorum virorum Commentariis illuſtraretur.

Juris Canonici ſcientiam utilem, ac præſertim Clericis neceſſariam eſſe in confeſſo eſt apud omnes. At ſicut XII. Eccleſiæ ſæculo in Theologiam Scholaſticam, ita & in juriſprudentiam, ſeu Juris Canonici doctrina nonnulla irrepſerunt abuſus, quos jure ac merito eruditi ejuſdem ſæculi viri improbarunt, & imprimis *Stephanus* Tornacenſis Epiſcopus, qui Romanum Pontificem, ut inutiles Commentarios Theologiæ, & inextricabilem Decretalium ſylvam ſuccideret, vehementer in epiſtola 251. adhortatur his verbis: *Lapſa ſunt apud nos in confuſione officinarum ſacrarum, ſtudia literarum, dum & diſcipuli ſolis novitatibus applaudunt, & Magiſtri gloriæ potius invigilant, quam doctrinæ, novas recenteſque ſummulas & Commentaria firmantia ſuper Theologia conſcribunt, quibus auditores ſuos demulceant, detineant, decipiant, quaſi nondum ſufficerent Sanctorum Opuſcula Patrum, quos eodem Spiritu S. Scripturam legimus expoſuiſſe, quo eam compoſuiſſe credimus Apoſtolos & Prophetas. Ignota & peregrina conviviis apponunt fercula, cum in nuptiis filii Regis tauri, & altilia ejus ſint occiſa parataque omnia: nec reſtat venientibus ad nuptias niſi quæ appoſita ſunt prendere & prodere. Diſputatur publice contra Sacras Conſtitutiones, de incomprehenſibili Deitate, de Incarnatione Verbi verboſa caro & Sanguis irreverenter litigat. Individua Trinitas in triviis ſecatur & diſcerpitur, ut tot jam errores, quot Doctores; tot ſcandala, quot auditoria, tot blaſphemiæ, quot plateæ. Rurſus ſi ventum fuerit ad judicia, quæ jure Canonico ſunt tractanda, vel vobis commiſſa, vel ab Ordinariis Judicibus cognoſcenda, profertur a venatoribus inextricabilis ſylva Decretalium Epiſtolarum, quaſi ſub nomine ſanctæ recordationis Alexandri Papæ; & antiquiores ſacri Canones abjiciuntur, reſpuuntur, expuuntur. Hoc involucro prolata in medium ea, quæ in Conciliis Sanctorum Patrum ſalubriter inſtituta ſunt, nec formam conſiliis, nec finem negotiis imponunt, prævalentibus epiſtolis, quas forſitan advocant, & conductitii ſub nomine Romanorum Pontificum jam Prophetæ in cubiculis ſuis confingunt & conſcribunt. Novum volumen ex eis compactum & in ſcholis ſolemniter legitur, & in foro venaliter exponitur, &c. Hæc omnia, Pater, correctionis Apoſtolicæ manum deſiderant, ut uniformitas docendi, diſcendi, diſputandi auctoritate veſtra certam redigatis ad formam, ne ſermo divinus attritione vulgari vileſcat*. Ex hac *Stephani* Tornacenſis declamatione facile intelligere potes, quanta diligentia in ſtudio Theologiæ Scholaſticæ, & Juris Canonici abſtinere debes a ſpinoſis, jejunis, ac frigidis nonnullis quæſtionibus, quæ veræ & germanæ Theologiæ, nec non juriſprudentiæ tenebras offundunt, quæque tam in ſcholis, quam in foro, æternæ diſcordiæ ſemina ſerunt ac fovent. Alte in animo tuo de-

fixa

fixa ſit graviſſima iſta *Innocentii* III. vox : *Nemini Sacerdotum liceat Conciliorum Canones & ſacta Patrum ignorare*, toruſque deinceps incumbe in ſtudium Theologiæ ad Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum directæ normam, ad Hiſtoriæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ veritatem exactæ, quam vel ad emendandos fidelium mores, vel ad reſtituendam collapſam Eccleſiæ Diſciplinam, vel ad convincendos diverſæ factionis homines, qui antiquitatem noſtris auribus crebro inculcare, & hoc velut objecto muro ſeſe tueri ſolent, longe plurimum dignitatis & amplitudinis emolumenti atque utilitatis habere compertum eſt.

D. Tuis ſapientiſſimis conſiliis lubentiſſime parebo, & ne te diutius detineam domum ſine cunctatione propero, ut in codicillos meos referam tot illuſtrium virorum, quos hactenus percenſuiſti, nomina ; quibus, ut candide fatear, meam memoriam haud parum oneratam eſſe ſentio.

M. Tuos, per me licet, familiares repete lares, ſed cave, ne in deſcribendo Catalogo Virorum Illuſtrium, qui duodecimo ſæculo floruerunt, prætermittas Romanos Pontifices, quorum ſeriem dedimus in ſecundo Colloquio, quique ſingulari doctrina, & eximia pietate Eccleſiam maxime cohoneſtarunt. Extant etiamnum in Labbeana Conciliorum Collectione complures epiſtolæ, quas Romani Pontifices, qui duodecimo ſæculo univerſæ Eccleſiæ præfuerunt, ad ſanciendam Diſciplinam, ad componendas id temporis enatas controverſias, & ad varia emergentia Eccleſiæ dirimenda negotia ſcripſerunt. *Hadrianum* IV. Pontificem Maximum, præter multas, quas conſcripſit epiſtolas, Auctorem eſſe *Catecheſum* ad Populos Norvergiæ & Sveciæ, *Homiliarum* quarumdam, libri *de Legatione ſua*, & alterius libri *de Conceptione Beatiſſimæ Virginis*, refert *Auguſtinus Oldoinus* in Additionibus *ad Ciaconium*.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, de Diſciplina cum Eccleſiaſtica tum Monaſtica, & de Ethica Chriſtiana duodecimi Eccleſiæ ſæculi.

D. UT aliquas difficultates in promptu haberem, quas tibi in hocce Colloquio proponere poſſem, data opera per aliquot dies perlegi *Centuriatores Magdeburgenſes*, qui Centuria duodecima cap. 3. fidenter affirmant, antiquam Eccleſiæ doctrinam denſis errorum tenebris fuiſſe duodecimo Eccleſiæ ſæculo conſepultam. Sic enim ſcribunt: *Sincerior cæleſtis doctrina caligine multa, quam quidem humanæ traditiones & figmenta induxerunt, obſcurata & quaſi ſepulta fuit. Rariſſimi erant Eccleſiæ Doctores, quibus doctrina pura curæ eſſet, ac inter mille vix unum reperies Epiſcopum, animarum ſalutem in ampliſſimo ſuo munere ſpectantem. Reliquum Epiſcoporum, vel, ut, rectius dicamus, Antichriſti ſociorum vulgus, ſæculi ſectabatur luxum, delicias, gloriam & dignitates, ac prorſus apud eos jacuit confeſſio & propagatio doctrinæ veræ, quam quidem ipſi nunquam didicerunt*. Sic effrænata lingua, ſtylique petulantia nefarii illi hæretici in Eccleſiam Romanam paſſim in ſuis Centuriis invehuntur, & in ejus doctrinam, omnem calumniarum fæcem, & contumeliarum ſentinam evomere non verentur. Contra igitur illos hæreticos religionis ac pietatis omnino expertes, obſecro te, ut in præſentia oſtendas, doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Romanæ, quæ a Chriſto Domino, ab Apoſtolis profecta eſt, ne leviore quidem alienæ doctrinæ afflatu perſtrictam, nec peregrinis ritibus, & abhorrentibus a prima inſtitutione Sacris fuiſſe duodecimo ſæculo corruptam.

M. Adeo per ſe odioſa eſt omnis novitas, ut ejus artifices & molitores ipſi, etiam cum eam efferunt in lucem, & commendare populo ſtudent, nihil a ſe vehementius, quam novitatis odium deprecentur ; maluntque carere inventi laude, quam adhæreſcentem ad res novas offenſionem ſuſpicionemque juſtiſſimam ſubire. Hinc hæretici noſtri temporis, dum ſuos ſpargunt errores ac nova ſua venditant flagitia, ubique plenis buccis antiquitatem crepant, ubique Apoſtolum *Paulum* Auctorem, & prima, quæ vocant *aurea*, Eccleſiæ ſæcula, doctrinæ ſibi normam & exemplum Religionis prædicant ; Eccleſiæ vero Romanæ novam affingunt doctrinam, atque in ejus ſinum ſordes errorum intolerabiles, morumque corruptelam irrepſiſſe clamitant. Sed proclive eſt his hæreticis larvam detrahere, ac multis evincere momentis, quod, ſicut Apoſtolica doctrina per undecim priora ſæcula jugiter in Eccleſia Romana pura & illibata permanſit, ita & duodecimo ſæculo ſarta tecta fuit conſervata, nec ullis erroribus aut novitatibus reſperſa.

Et primo quidem vehementer mirari ſubit, quod tam perfrictæ frontis audacia aſſerant iſti Centuriatores Magdeburgenſes, rariſſimos duodecimo ſæculo fuiſſe Eccleſiæ Doctores, quibus doctrina pura curæ eſſet, ac inter mille vix unum reperiri Epiſcopum, animarum ſalutem in ampliſſimo ſuo munere ſpectantem. Hujus atrocis calumniæ falſitas vel ex eo maxime patet, quod, præter clariſſimos Scriptores, quos in ſuperiori Colloquio laudavimus, ſola Academia Pariſienſis innumeros duodecimo ſæculo Athletas fortiſſimos, fideique acerrimos produxerit defenſores, e quorum numero prodierunt quinque Summi Pontifices meritis & virtutibus, non minus quam ſcientiarum fulgore conſpicui, *Innocentius* II. *Cæleſtinus* II. *Hadrianus* IV. *Urbanus* III. & *Innocentius* III. complures Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi puritate doctrinæ & integritate vitæ commendabiles, necnon Abbates & Monachi Regularis vitæ profeſſione ſanctiſſimi, Sacerdotes denique omnis gradus & Ordinis perilluſtres, de quibus late diſſerit *Bulæus* tomo 2. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*.

Præterea, doctrinam, quæ ſæculo duodecimo in Eccleſia Romana obtinuit, melius perſpe-

ctam

Digitized by Google

etiam habere haud poſſumus, quam ex Synodis, & ex Patribus, a quibus, vel proſcriptæ, vel confutatæ ſunt hæreſes, quæ ea ætate eruperunt. Jam vero ſi percurramus præcipuos errores, quos duodecimo ſæculo diſſeminarunt, hæretici, plene comperiemus, Petrobuſianos, Henricianos, Waldenſes, alioſque duodecimi ſæculi hæreticos eſſe in Anabaptiſtis, Calviniſtis, & in cæteris noſtri temporis heterodoxis redivivos, atque eorum Patriarchas jure optimo appellari poſſe. At enim docebant Petrobuſiani & Henriciani Miſſæ Sacrificium nihil eſſe; Fidelium preces nihil defunctis prodeſſe poſſe: Sacras Cruces confringi debere, & baptiſma ſine fine eſſe parvulis prorſus inutile. Eccleſiam Romanam dicteriis & calumniis inſectabantur Waldenſes, ejus ritus & cæremonias ſugillabant, Romano Pontifici & Epiſcopis parendum non eſſe dictitabant, ſanctorum invocationem, cultum Crucis, Reliquiarum, & Sanctarum Imaginum impugnabant, Indulgentias repudiabant, ac multa contra Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta garriebant. Hi ſunt in ſumma palmares hæreticorum duodecimi ſæculi errores, quos jam ab Eccleſia prædamnatos denuo ſuſcitarunt hæretici noſtri temporis, eoſque etiamnum, crambis inſtar recoctæ, totis viribus obtrudere moliuntur, ac ſubinde, velint nolint, fateri coguntur, ſe toto cælo diſtare a vera & Catholica doctrina, quam Synodi & Patres duodecimi ſæculi contra hæreticos, qui in eam aperto marte inſurrexerant, ſtrenue defenderunt, atque ſingulis fidelibus firmiter credendam propoſuerunt. At vero Eccleſia Romana, Apoſtolicæ doctrinæ pervigil cuſtos, hos jampridem confixos hæreticorum duodecimi ſæculi errores anathemate percellit, eadem Religione, Sacramentis iiſdem utitur, eademque plane profitetur fidei dogmata, quæ Synodi, Patres, eruditione juxta & ſanctitate præſtantes duodecimi ſæculi Scriptores, præſertim *Bernardus* Clarævallenſis, & *Petrus* Cluniacenſis, juxta perpetuam omnium Eccleſiæ ſæculorum traditionem contra hæreticos conſtanter propugnarunt. Denique, ipſimet Centuriatores Magdeburgenſes contra ſe teſtimonium ferunt, quippe qui Centuria duodecima capite 4. ubi agunt *de doctrina Eccleſiæ*, & aliis capitibus ſequentibus, hæreticorum Petrobuſianorum, contra S. *Bernardum* & *Petrum* Cluniacenſem patrocinium ſuſcipiunt. Capite etiam nono Synodos, in quibus proſcripti ſunt duodecimi ſæculi hæreticorum errores, rejiciunt, & toto capite decimo Epiſcopos, Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos, qui eodem ſæculo errores hæreticorum oppugnarunt, & pro antiquæ doctrinæ tutela diligenter excubarunt, maledictis inceſſunt, probe intelligentes, Synodos, Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos duodecimi ſæculi eamdem ſanxiſſe, & contra hæreticos defendiſſe doctrinam, quam nunc tenet ac docet ſibi in fide ſemper conſtans, & omnis plane erroris neſcia Sancta Mater Romana Eccleſia.

D. Novi jam dudum peſſimas artes hæreticorum, qui licet ſint flagitioſa novitate infames, & venerandam antiquitatem revera faſtidiant, nihiloſecius, ad conciliandos ſibi populorum animos, veruſtæ Religionis doctrinam pleno ore buccisque tumentibus, haud ſcio, an faſtidioſius, an contumelioſius, celebrare ſolent & ut novam impietatem aliqua antiquæ doctrinæ ſpecie velent, ajunt, ſe afferre laudatiora quædam priſcæ Eccleſiæ Inſtituta, & caſtigatiorem diſciplinam, qualis aut natæ recens, aut ævi quodam flore vividæ Religionis fuerat: conſenuiſſe apud æquales ſuos Eccleſiam, illa viriditate, illo ætatis integerrimo robore ac virtute defectam, a limpidis illis fontibus divertiſſe multas jam ætates ad turpidos lutulentoſque rivulos, quorum cœnoſas, ac putres aquas ad ſua tempora permanaſſe affirmant, ſeque ad illas repurgandas divinitus miſſos fuiſſe jactitant. Eo exquiſitiſſimæ ſimulationis artificio, & immani quadam vires ſuas oſtentandi libidine, proh dolor! tot infortunata capita, tot ſacratas orco victimas pœnis hactenus devoverunt hæretici, quaſi illorum felicitatis pars ſit, infelices homines facere, & Eccleſiam Chriſti tot in partes, ſi poſſent, dilacerare, quot olim in fruſta infelicem Orpheum Bacchæ mulieres diſcerpſerunt. Sed redeamus ad doctrinam duodecimi ſæculi, & expone, ſi placet, quorſum hæretici tantopere invehantur in Theologiam Scholaſticam, cujus ſtudium, ſicut jam obſervaſti, duodecimo Eccleſiæ ſæculo vigere cœpit.

M. Hæreticorum contra Theologiam Scholaſticam expoſtulationes ad quatuor præcipue claſſes revocari poſſunt. Ajunt in primis, Theologiam Scholaſticam eſſe aliud nihil, quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, qua ſemel admiſſa, obſcuratum eſt Evangelium ac fides extincta. Secundo, dicunt, nullum apud Sanctos Patres undecim priorum Eccleſiæ ſæculorum probatum unquam fuiſſe Theologiæ Scholaſticæ uſum, ſed dumtaxat uſurpatum ab hęreticis, qui his pręſtigiis deluſi innumeros alios ineſcarunt, & varios in errores pręcipitarunt. Tertio, vitio vertunt Theologię Scholaſticę, quod putidiuſculis atque anilibus ineptiis, meris nugis & frigidis ac ſpinoſis quęſtionibus, tota quanta eſt, ſcateat, quo fit, ut de Schola Theologi pro pietate, pro modeſtia, pro charitate & manſuetudine Chriſtiana livorem, odium, iram, contentionem prę ſe ferant atque per inane volitantes ſuis ſe compungant aculeis. Demum, hęretici Theologiam Scholaſticam contemnunt, explodunt ac exſibilant, quod lutulenta, inquinata ac barbara ſit. Hęc eſt hęreticorum in Theologiam Scholaſticam odii & irarum cauſa. Sed perfacilis ac prompta eſt Theologorum de Schola defenſio. At enim, non vident hęretici, quid interſit homo Sophiſta & vir Theologus: quid diſtent captionibus vis & acumen; quid fallaciis acies & perſpicacia. Theologus quippe Scholaſticus in deducendis ſuis concluſionibus ex Principiis fidei a Deo revelatis ratione & Philoſophia naturali utitur, ut rem acutius introſpiciat, ut recta ad ſcopum collimet, & ut Infidelium, Judęorum & Hęreticorum errores fa-

facilius ad vivum reſecare poſſit. *Eſt quidem*, ut ait *S. Clemens Alexandrinus* libro I. Stromatum *per ſe perfecta Servatoris doctrina & nullius indiga, cum ſit Dei virtus & ſapientia: accedens autem Philoſophia non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adverſus eam efficit ſophiſticam argumentationem, & propulſans doloſas adverſus veritatem inſidias, vineæ eſt ſepes & vallum.* Et ſane, ſi Theologus, non ſecus ac Epiſcopus, debet eſſe *potens exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*, ut ait Apoſtolus *Paulus* Epiſt. *ad Titum* capite primo; ſi juxta monitum S. *Petri* Epiſt. 1. capite 3. paratus eſſe debet *ad ſatisfaciendum omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe*; ſi denique eum ſcire oporteat *verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum* ut dicitur Sapientiæ cap. 8. qui, ſodes, Theologus hæc omnia munia, quæ ipſi ex officio obeunda incumbunt, ſedulo præſtare poterit, ſi peregrinus & hoſpes omnino ſit in Theologia Scholaſtica, quæ ſola docet expeditam methodum ſcite & apposite argumentandi, rationem omni poſcenti reddendi, verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum cognoſcendi? Hinc S. *Auguſtinus* lib. 2. de Doctrina Chriſt. c. 31. ait: *Diſputationis Diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimum valet, tantum ibi cavenda eſt libido rixandi & puerilis quædam oſtentatio adverſarium decipiendi.* Et libro 14. de Trinitate cap. 1. idem Aquilinus Doctor diſerte aſſerit, quod per hanc diſputationis diſciplinam *Fides ſaluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur & roboratur.* Viden, quam perperam hæretici Theologiam Scholaſticam appellent inanem fallaciam, & Theologos, qui ejus ſtudio delectantur, inficetos vitilitigatores. Sed quid facias hominibus illis, ſi quæſtiones preſſius tractare, ſi difficultates ſubtilius diſcutere & enucleare penitus, id vocare placet præſtigias, ambages, meras nugas, errores inextricabiles, & quid non?

At inquiunt hæretici, Theologiæ Scholaſticæ uſus multis fraudi fuit, eoſque ſuis præſtigiis in varios errores induxit. Quid tum poſtea? at fraudi ne fuit *Athanaſio*, *Baſilio*, *Gregorio Niſſeno*, *Auguſtino*? illorum ſcriptis quid, amabo, preſſius? quid acutius? quid ſubtilius? Hæret pede pes, viro vir, nec mora, nec requies, donec hic Manichæos, Pelagianos & Donatiſtas, illi Arianos ad incitas redegerint & ad ipſa erroris cubilia perventum fuerit. Quapropter licet verum ſit, ante S. *Joannem Damaſcenum*, *Petrum Lombardum*, & S. *Thomam Aquinatem* non ita methodicam, accuratam, ſuiſque omnibus numeris abſolutam, ac hodie, viguiſſe in Eccleſia Theologiam Scholaſticam, attamen ex Scriptis antiquorum Sanctorum Patrum certiſſime liquet, ſemper in Eccleſia ad revincendas hæreſes, ad confutandas Ethnicorum ſuperſtitiones, ad convincendam Judæorum obſtinationem, pellendos errores, fugandas novitates, & cuſtodiendum illibatum fidei depoſitum aliquam viguiſſe methodicam res divinas tractandi doctrinam, quæ progreſſu temporis vario, varia ſuſcepit perfectionis incrementa, donec tandem ſæculo XII. *a Petro Lombardo*, & ſæculo XIII. a S. *Thoma Aquinate*, Doctore Angelico, ad ſummum ſuæ perfectionis culmen fuerit provecta.

Nec minus facile ſolvi poteſt, quod ad conflandam Theologis invidiam, eorumque authoritatem elevandam dictitant hæretici, videlicet, Theologiam Scholaſticam frivolis dumtaxat quæſtionibus a capite ad calcem eſſe refertam, nec ullum plane conſortium habere cum Theologia *Poſitiva*; quæ Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum doctrinæ ſtudio, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Critices Diſciplinæ peritia maxime commendatur. Id quippe oppido falſum eſt, & tam a veritate alienum, quam quod maxime. Conſpirat ſiquidem utraque Theologia, *Poſitiva nimirum & Scholaſtica*, & amice conjurat, nec una ſine altera eſſe debet; quia ſicut Theologia Scholaſtica contra fidei hoſtes ſua arma ex Theologia poſitiva promit, hoc eſt, ex ipſis ſcripturæ ſacræ fontibus, ex doctrina Sanctorum Patrum, ex definitionibus Summorum Pontificum & Conciliorum, ſeu ex auctoritate Eccleſiæ ſua potiſſimum haurit argumenta; ita & Theologia poſitiva mutuatur a Theologia Scholaſtica modum hæc arma tractandi, ſeu adverſus fidei hoſtes bellandi peritiam. Unde, ſicut Theologus Scholaſticus ſine præſidio Theologiæ poſitivæ caret omnino armis, quibus fidei hoſtes aggredi, impetere, ac proſternere queat, ita vir Theologiæ poſitivæ peritus, ſed auxilio Theologiæ Scholaſticæ deſtitutus, artem, armis, quibus inſtructus eſt, cum ſolertia & induſtria utendi, ſeu modum contra inimicos Eccleſiæ bellandi unquam callere haud poterit, eritque plane ſimilis *Davidi*, qui ut dicitur libro 1. Regum cap. XVII. v. 39. poſtquam eum Rex *Saul* induiſſet veſtimentis ſuis, & impoſuiſſet Galeam æream ſuper caput ejus, & veſtiviſſet eum lorica, *cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere, non enim habebat conſuetudinem; dixitque David ad Saul: Non poſſum ſic incedere, quia uſum non habeo, & depoſuit ea.* Eos igitur, qui Theologiam Scholaſticam a Poſitiva divellunt, & detracta Scripturæ ſacræ, Sanctorumque Patrum auctoritate, contortis dumtaxat ſyllogiſmis de rebus divinis philoſophantur, in tractandis futilibus quæſtionibus conſeneſcunt, & & oleum operamque perdunt, non dubitarim appellare *adſcriptitios Theologos*. Sic enim conceptis verbis illos vocat doctiſſimus noſter *Melchior Canus* cap. 1. libri octavi *de locis Theologicis*, ubi hæc habet: *intelligo autem fuiſſe in Schola quoſdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolverint, & vanis, invalidiſque ratiunculis magnum pondus rebus graviſſimis detrahentes, ediderint in Theologiam Commentaria vix digna lucubratione anicularum, & cum in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis ſanctis oleant, nihil ne ex gravi Philoſophia quidem, ſed fere e puerilibus diſciplinis; ſcholaſtici tamen, ſi*

ſu-

Digitized by Google

ſuperis placet, Theologi vocantur: nec ſcholaſtici ſunt, necdum Theologi, qui ſophiſmatum ſaeces in ſcholam inferentes, & ad riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum. (*a*) Aetem itaque verberant hæretici, dum propter vitia quorumdam Theologorum, ſi qui tamen adhuc ſint, omnium coronam traducunt, & inique profecto Scholam vituperant propter ea vitia, quæ non ſunt ſcholæ, ſed inertis, vanæ & contentioſæ Scholæ. Ipſe vero Theologorum dumtaxat Scholaſticorum, qui modo hoc cognomine digni ſunt, quique Theologiæ Scholaſticæ ſimul & poſitivæ ſtudio diligenter incumbunt, anctoritatem in præſentiarum aſſerere ac vindicare volo.

„ (*a*) Mite ad rem præſentem confert ea recitare, quæ in epiſtola Joſephi Cardinalis de Aguirre data P. D. Joanni Mabillonio olim legi, & huc etiam revocanda curavi: *Quia & ſæpe in ſcholis publicis, ſed etiam privatis monaſteriorum magna temporis pars inſumitur, jactura irreparabili, in Quæſtionibus prorſus inutilibus, ſimilibus aranearum telis, in quibus nihil eſt, præter quamdam ſcholaſticam ſubtilitatem. Id mihi etiam contigiſſe pro more ſeculi, qui etiam in Religioſos viros & Clauſtra monaſtica irrepſit, fateor, non abſque dolore cordis mei. Multa dictavi, ſcripſi, & typis mandavi parum utilia; quamvis plurima alia ejuſdem generis reſecaverim. Quæcumque de cetero edere contigerit, abſque ea labe ſane prodibunt, quin etiam ante jam edita, ſi recudenda erunt, ab ejuſmodi quiſquiliis libera erunt, quantum mihi licuerit; neque enim omnia illa quæ primo aſpectu talia videntur reſecari penitus debent, cum multa eorum deſerviant ad exercitationem congruam ingeniorum, & viam aperiant mentemque exacuant ad graviores alias quæſtiones penitus intelligendas & explanandas &c.* Conferret etiam in eamdem rem Cl. Mabillonii cap. VI. operis *de ſtudiis Monaſticis* tom. I.

Denique conqueruntur hæretici, quod Theologia Scholaſtica lutulenta, & inquinata & barbara ſit. Scilicet peregrina quædam verba, quæ communis uſus, majoris claritatis ergo, jam pridem in Schola conſecravit, rident politulí & limatuli iſti homines, moroſi munditiarum in ſtylo exactores! Sed quam injuria id vitio dent Theologiæ, quæſo, animum tantiſper adverte. Quid enim? ſua cuique arti erunt concepta verba, ſuæ Pictoribus, Nautis, Militibus, aliiſque id genus artificibus erunt voces certæ atque ſolemnes, & ſi deſint, fingent ad arbitrium, reclamante nemine, & Theologis non eadem dabitur venia? non eis licebit iſtud inter diſputandum intercalare verbum *Concedo*, *Nego*, *Diſtinguo* &c. aliaſque ſolemnes ac ſæpius in Scholis frequentatas uſurpare voces, quæ licet, ob inelegantiam ad ſalivam quorumdam non ſatis temperatæ videantur, ſunt tamen ad res expreſſius ſignificandas, & ad difficultates promptius, ſubtiliuſque expediendas perquam appoſite excogitatæ. Quamquam, ut obiter dicam, non abeſt a Theologia Scholaſtica ſermonis ille nitor, & caſtigatæ dictionis elegantia, cui noſtra ætas tantopere indulget, ea præſertim tempeſtate, qua vel ipſa Scholaſtica Theologia, inamænior olim & inornatior, excoli cœpit atque ſplendeſcere, & veterem triſtitiam lenitate verborum mitigare, ut patet ex doctiſſimis Operibus recentium Theologorum, qui in ſtylo munditias amant, ſed faciles & nunquam exquiſitas, quorum æmulari malim negligentiam, quam aliorum obſcuram & affectatam diligentiam. Sed ſatis hactenus vindicavimus Theologiam Scholaſticam, quam adeo averſantur hæretici, ut non dubitent aſſerere, ejus contagione doctrinam Eccleſiæ afflatam, labefactatam ac peſſumdatam fuiſſe duodecimo ſæculo, & nunc funditus veram perditam eſſe Theologiam. Ex quo errore, ut optime obſervat noſter *Melchior Canus*, reliquæ illorum Hæreſes derivatæ ſunt. Principio namque, quod erat facile, ſcholæ Auctoribus contemptis, Scholæ quoque judicia contempſerunt. His neglectis mox neceſſe erat, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Gregorius*, *Ambroſius*, *Baſilius* negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum ſuorum auctores habebant. At, antiquis Sanctis poſthabitis, deſpectui quoque habita ſunt eorum Concilia. Unde conſecutum eſt, ut, ſpreta auctoritate Eccleſiæ dixerint hæretici, ſe non habere neceſſe alios audire, non Patres Eccleſiæ, non Pontifices, non Synodos, non magni in Eccleſia nominis Theologos, ſed ſe ipſos tantum, qui ſibi de interiori Spiritus Sancti omnia illos edocentis aſſiſtentia perperam blandiuntur, cum potius hac illac ſpiritu vertiginis acti, per inextricabiles tenebras oberrent, atque in varios errores præcipites ferantur.

D. Theologiam Scholaſticam ſolide vindicaſti a calumniis, quibus eam hæretici mirifice contemnunt, & inimice inſectantur. Unum modo circa doctrinam Eccleſiæ duodecimi ſæculi ſupereſt examinandum fidei dogma, quod totis ſuis viribus oppugnant hæretici noſtri temporis, quodque duodecimo dumtaxat ſæculo in Eccleſiam fuiſſe invectum, pervicaciter contendunt. At enim uſum Indulgentiarum, per quas relaxantur, ſeu condonantur pœnæ, quibus vigente olim pœnitentia publica, ex præſcripto Canonum addicebantur gravium peccatorum rei, cœpiſſe dumtaxat ſub finem undecimi ſæculi & initium duodecimi affirmant hæretici. Tunc enim, ut inquiunt, jus & poteſtatem ſibi arrogarunt Romani Pontifices Indulgentias plenarias concedendi, ſeu adæquatam ſatisfactionis canonicæ relaxationem iis indulgendi, qui expeditionem Hieroſolymitanam aggrederentur, vel qui pœnitentias juxta ſactos Canones in quatuor pœnitentium Stationibus præſcriptas redimerent eleemoſynis, precibus, flagellationibus, peregrinationibus, aut aliis piis Operibus. Ex qua

Digitized by Google

relaxatione dicunt hæretici, ſublatum penitus fuiſſe rigorem pœnitentiæ ex præſcripto Canonum imponendæ, & in Eccleſiam introductum fuiſſe duodecimo ſæculo uſum Indulgentias concedendi. Profer igitur, ſi placet, argumenta, quibus noſtri Theologi Polemici probant, Eccleſiam accepiſſe a Chriſto Domino poteſtatem concedendi Indulgentias, ſeu remittendi pœnitentiam, quæ ex præſcripto Canonum per plures annos ſubeunda erat.

M. Eccleſiam poſſe largiri Indulgentias negarunt ſecundo ſæculo Montaniſtæ, & duodecimo ſæculo Waldenſes, quos poſtea ſecuti ſunt Wiclefiſtæ, Lutherani, Calviniſtæ, Zuingliani, aliæque hujuſce farinæ peſtes. At Eccleſiam accepiſſe a Chriſto Domino poteſtatem Indulgentias concedendi invictis momentis adſtruunt Catholici Doctores Polemici. Primo, quia Chriſtus Apoſtolos ſuos Matthæi c. 18. ſic alloquitur: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, ſuper terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo*. Quibus ex verbis manifeſto colligitur, quod ſicut Chriſtus per hæc verba; *Quæcumque alligaveritis &c.* Eccleſiam poteſtate donavit peccatores addicendi pœnitentiæ laboribus, ita per hæc verba: *Quæcumque ſolveritis &c.* dedit Eccleſiæ poteſtatem ab iiſdem pœnitentiæ laboribus peccatores eximendi. Hinc Apoſtolus Paulus epiſt. 2. ad Corinth. cap. 2. ſcribit ſe Corinthiorum precibus motum, ſed nomine & in perſona Chriſti, veniam, ſeu indulgentiam concedere inceſtuoſo, quem ab anno & amplius pœnitentia damnarat. Præterea, Eccleſiam a Chriſto Domino poteſtatem accepiſſe indulgentias concedendi, docet perpetua ſibique ſemper conſtans praxis Eccleſiæ Catholicæ, quæ a ſuis incunabulis ad hanc uſque ætatem pœnitentibus nonnunquam indulgentias conceſſit, eis videlicet remittendo pœnitentiam, quam ex præſcripto Canonum ſubire debuiſſent, ut conſtat ex bene multis exemplis, quorum nonnulla adduxi, ſi bene memini, in Colloquio quinto in Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ ſæculorum, quod etiam ex Operibus antiquorum Scriptorum, Eccleſiaſticorum, & ex traditione ad nos uſque propagata confirmare in præſentia non pigebit. *Tertullianus*, qui ſecundo exeunte ſæculo, ſcripſit, in libro *ad Martyres*, refert & laudat morem Eccleſiæ, quæ iis, qui lapſi erant, & *Martyrum*, ſeu eorum, qui graſſante perſecutione pro fide Chriſtiana paſſi fuerant, libellos offerebant, pacem & reconciliationem dabat, necdum integra peracta pœnitentia. Verum quidem eſt, *Tertullianum* improbaſſe eumdem Eccleſiæ morem in libro *de Pudicitia* cap. ult. ubi alloquendo *Zephirinum* Papam, qui lapſis non nihil de pœnitentia Canonica ex indulgentia remittebat, hæc habet: *An tu & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem? ..... ſufficiat Martyri propria delicta purgaſſe — Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei filius?* Sed advertere debes, *Tertullianum*, dum hunc librum *de Pudicitia* ſcripſit, Montaniſtarum hæreſi fuiſſe infectum, eumque, carpendo hunc Eccleſiæ indulgentias concedendi morem, illius conſtantem veterem uſum oſtendiſſe. S. *Cyprianus*, qui circa medium tertium ſæculum vixit, damnavit quidem indulgentiarum abuſum, quem *Feliciſſimus*, & *Novatus* inducere moliebantur, omnes promiſcue lapſos, quos ſuis libellis Martyres commendabant, præpropera venia & abſolutione donantes, ſicut oſtendimus in Colloquiis quarto & quinto in Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ ſæculorum, prudentem tamen & moderatam indulgentiarum conceſſionem ultro admiſit Sanctus ille Doctor, ut videre eſt in ejus epiſtolis 10. 11. & 17.

Præterea, toto eo durante tempore, quo pœnitentia publica in Eccleſia viguit, ſeu, quo lapſi injunctam pœnitentiam canonicam ſubire debebant, eamque eleemoſynis, flagellationibus, precibus, peregrinationibus, aliiſque id genus piis operibus redimere necdum ſoliti erant, toto, inquam, eo durante tempore, hoc eſt uſque ad octavum ſæculum, poterant Epiſcopi, juxta facultatem eis conceſſam a Conciliis Ancyrano, Nicæno primo, Carthaginenſi IV. Trullano, & Triburienſi, aliquid de impoſita pœnitentia, ſeu ſatisfactione canonica relaxare, quando id pœnitentium ſaluti & fidelium utilitati expedire judicabant. Poſt ſæculum vero octavum pœnitentes, annuentibus Epiſcopis, pœnitentiam canonicam ſibi impoſitam redimere cœperunt, eleemoſynis, jejuniis, orationibus, aliiſque id genus externis pietatis operibus, quibus multum de pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis canonicæ rigore detrahebatur. (*a*) Sub finem undecimi ſæculi *Urbanus* II. in Concilio Claromontano indulgentiam, ſeu canonicæ ſatisfactionis relaxationem his conceſſit, qui expeditionem Hieroſolymitanam contra Saracenos aggrederentur. Idemque duodecimo ſæculo confirmarunt Summi Pontifices *Calliſtus II.* in Concilio Lateranenſi I. *Eugenius* III. in epiſtola ad *Ludovicum* Galliarum Regem, & *Clemens* III. in epiſtola ad *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum. Porro, ſi Romani Pontifices hanc poteſtatem concedendi indulgentias, ſeu pœnitentiam canonicam juſtis de cauſis relaxandi a Chriſto Domino non accepiſſent, ſed eam ſub finem undecimi ſæculi & initium duodecimi ſibi arrogaſſent, ut obſtrepunt hæretici, omni procul dubio Epiſcopi, & Doctores contra hanc novitatem reclamaſſent, & laudatis illorum Pontificum Diplomatibus contradixiſſent, quod tamen nunquam factum fuiſſe certiſſime conſtat. Immo, teſte S. *Bernardo* ad calcem Epiſtolæ 246. tam ingens fuit numerus eorum, qui allecti ſpe conſequendæ indulgentiæ, quam Summi Pontifices ſub finem undecimi ſæculi, & initium duodecimi pro expeditione Hieroſolymitana conceſſerunt, ut omnis generis homines, relictis uxore, patre, filiis, bonis, arduum illud iter aggreſſi fuerint, & urbes pene vacuas reliquerint: *Vacuantur*, ait S. Bernardus, *Urbes & Caſtella, & pene jam non inveniunt quem apprehendant ſeptem mulieres virum unum, adeo ubique viduæ vivis remanent viris*. Denique, hanc perpetuam Eccleſiæ indulgentias concedendi praxim conſtanter a duodecimo ſæculo ad noſtra uſque tempora Romani

Pon-

Digitized by Google

Pontifices conſervarunt. Expleto ſiquidem ſæculo duodecimo inſtitutum, ſeu decretum eſt a *Bonifacio Papa VIII.* Jubilæum celebrandum anno milleſimo treceuteſimo, ſtatutumque fuit, ut qui eo auno Romam venirent Apoſtolorum limina inviſuri, integram peccatorum remiſſionem, ſeu plenariam iudulgentiam conſequerentur. *Jubilæum* centum aunorum ſpatio celebrandum conſtituerat *Bonifacius VIII.* ſed poſtea *Clemens VI.* qui anno MCCCXLII. creatus eſt Pontifex Maximus, ad quinquagiuta annos revocavit, ac demum *Paulus II.* ſeueſcente ſæculo decimo quinto, *Jubilæum* ad annum vigeſimum quiutum reduxit, & in ea nunc forma ſervatur. His omnibus, quæ hactenus adduxi, momentis ad probandam perpetuam Eccleſiæ iu concedendis indulgentiis praxim, lubeutiſſime addam definitionem Concilii Tridentini, quod contra Lutheranos, Calviniſtas, & Zuiuglianos, qui Waldenſium hæreticorum XII. ſæculi errorem contra indulgentiarum uſum poſtremis hiſce temporibus ſuſcitaruut, hæc ad calcem Seſſionis 25. decernit: *Cum poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis temporibus uſa fuerit; Sacroſancta Synodus indulgentiarum uſum, Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica Diſciplina enervetur.* Non ergo antiquam Eccleſiæ doctriuam per moderatam indulgentiarum conceſſionem duodecimo ſæculo adulterarunt Romani Pontifices, ſicut falſo ipſis imponunt hæretici noſtri temporis; ſed potius, ut dicam quod res eſt, hæretici Lutheraui, & Calviuiſtæ ipſi ſuut, qui Eccleſiæ doctrinam omnium ſæculorum uſu comprobatam, nunc per ampliſſimam impiæ ac funeſtæ indulgentiæ conceſſionem corrumpunt, & ſolidiora Chriſtianæ Moralis doctrinæ principia ab imis fundamentis convellere moliuntur. Hi ſiquidem, ut ſatis omnibus notum eſt, pœnitentiam tum publicam, tum occultam de medio tollunt, neceſſitatem bonorum operum explodunt, &, quod caput eſt, pertendunt, juſtificationem fieri per ſolam fidem in Chriſtum, eamque fidem juſtificantem nullo quantumvis gravi & enormi delicto excepto infidelitatis peccato, amitti poſſe. Quo ſemel admiſſo infeſto hæreticorum dogmate, latiſſimum ad omnia flagitiorum genera panditur oſtium, eoque facilius, liberius ac frequentius peccant homines, quod impio iſto errore deluſi, ſibi perſuadeant, nulla peccara ſibi imputari, nec ſe ex juſtitia excidere poſſe, ſed certiſſimam de ſua ſalute æterna fiduciam habere, modo credant in Chriſtum, etiamſi in ſentina vitiorum ſint immerſi. Poteſtne, quæſo, major „ ſed eadem opera pernicioſior indulgentia concedi ea, quam hæretici noſtri temporis, qui tamen Reformatorum nomen ambiunt, ſuis ſectariis promittuut? Legeſis ſuper hac re librum Gallice editum ab *Antonio Arnaldo* Doctore Sorbonico, cui titulus eſt: *Le renverſemente de la Morale de Jeſus Chriſt par les erreurs des Calviniſtes touchant la juſtification*, ſeu *Doctrina Moralis Chriſtiana erroribus Calviniſtarum de juſtificatione omnino profligata*.

„ (*a*) Indulgentiarum quales modo obtinent
„ exempla multo ſunt antiquiora, quam hic ſta-
„ tuitur; nam P. Mabillou Itiueris Italici tom.
„ 2. pag. 67. affert teſtimonium ex Sacramen-
„ tario Romauo ſæculo IX. ſcripto ubi hæc ver-
„ ba leguntur: *Menſe Junio die 22. Sanctorum*
„ *Martyrum mille* CCCCLXXX. *quorum Vigilia*
„ *cum ſilentio & jejunio eſt celebranda; &*
„ *conceſſum eſt eis pro illo uno die annum di-*
„ *mittere in pœnitentia*. Attamen, ut vera
„ fatear, verba Mabillonii apud me nonnihil
„ obſcuritatis præſeferunt. Ille enim recenſens
„ codices Bibliothecæ Vallicellianæ, reperiſſe ſe
„ ait hos libros: *Ordo Romanus* ſæculo nono
„ ſcriptus, itidem vulgatis anıplior. Sed anti-
„ quius *Sacramentarium Romanum* in quo hæc
„ notanda: *Menſe Junio &c.* antiquius ne eſt
„ hoc Sacramentarium Ordine Romano ſæculi
„ noni? Ambigo. Forte legeudum *ſed antiquum*,
„ atque ita ſanata lectio tantam Indulgeutiarum
„ antiquitatem non parum enervaret.

„ Cæterum ſub Alexandro II. Indulgentias in
„ Dedicatione inſignium Eccleſiarum conceſſas
„ fuiſſe omnibus, qui eodem die Eccleſiam quot-
„ annis viſitarent, demonſtratur teſtimonio Ca-
„ thedralis noſtræ Lucenſis, cui Alexander II.
„ idem Privilegium conceſſit, uti vetuſtiſſima
„ noſtra monumenta teſtantur. Lege vetuſtum
„ Sermonem qui per lectiones diſtributus olim
„ iu noſtra Eccleſia in Officiis nocturnis legeba-
„ tur, ut a me in ſecundo volumiue Miſcellaneo-
„ ruin Baluzii evulgatus eſt.

D. De doctrina duodecimi ſæculi ſat ſuperque hactenus egimus. Tempus eſt jam de Politia, & de Diſciplina Eccleſiaſtica, quæ eodem ſæculo viguit, breviter diſſerere. Ea igitur in primis expone, quæ ſpectant Romanum Pontificem, Cardinales, Primates, Epiſcopos, Presbyteros, & Clericos.

M. Romano Poutifici, utpote Chriſti in terris Vicario, cura ex jure divino incumbebat univerſam regendi Eccleſiam, & ſedulo invigilandi, ut unuſquiſque omnia ſui ordiuis adimpleret officia. Sic euim S. *Bernardus*, qui floruit XII. Eccleſiæ ſæculo, libro quarto *de Conſideratione* capite quinto *Eugenium* III. Papam alloquitur: *Supereſt ut generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ ſtatum intendat conſideratio tua, ſi plebes Clericis, ſi Clerici Sacerdotibus, ſi Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate ſubjecti ſint; ſi in Monaſteriis & Religioſis Locis ſervetur ordo, vigilet diſciplina; ſi ſuper prava opera & dogmata cenſura Eccleſiaſtica vigeat, ſi floreant vineæ honeſtate & ſanctimonia Sacerdotum, ſi flores fru-*

Digitized by Google

ctus pariant, obiedientiam fidelium populorum, ſi demum veſtra ipſorum Apoſtolica mandata & inſtituta, ea, qua dignum eſt, ſollicitudine obſerventur, ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum, aut fraude ſubreptum inveniatur. Appellationes ad Sedem Apoſtolicam ex totius, qua late patet, Orbis Chriſtiani Eccleſiis ſæculo duodecimo deferebantur; idque Primatus Romanis Pontificibus a Chriſto Domino conceſſi teſtimonium eſſe agnoſcit idem Sanctus *Bernardus* lib. 3. de Conſideratione cap. 11. ubi *Eugenium* III. Pontificem Maximum his verbis compellat, & modum, quem in illis appellationibus tenere debeat, ducet: *Appellatur*, inquit, *de toto mundo ad te, id quidem in teſtimonium ſingularis Primatus tui. At tu, ſi ſapis, non Primatu gaudebis, ſed fructu.... Appellatur ad te, & utinam tam fructuoſe, quam neceſſarie ..... Fateor, grande & generale mundo bonum eſſe Appellationes, idque tam neceſſarium, quam ſolem ipſum mortalibus. Revera quidem Sol juſtitiæ eſt, prodens ac redarguens opera tenebrarum. Prorſus fovendæ & manu tenendæ ſunt, ſed quas extorſit neceſſitas, non calliditas adinvenit. Uſurpatoriæ ſunt hujuſmodi omnes, non ſubvenientes in neceſſitate, ſed opitulantes iniquitati*. Denique, eum his verbis laudat; *Bene facis tu, quod appellationum negato ſuffragio, immo ſuffugio, multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui noſcere citius poſſunt. Ubi enim certior ac facilior notio, ibi deciſio tutior expeditiorque eſſe poteſt. Quam plenum gratiæ, quam multorum perinde per hoc laboribus parcis & ſumptibus?* Duodecimo Eccleſiæ ſæculo jure ſuo utebantur Romani Pontifices temperandi Canones & ab illis diſpenſandi, quando urgebat neceſſitas, & communis aliqua poſtulabat Eccleſiæ utilitas, ſicut diſerte docet ſæpe laudatus *S. Bernardus* libro quarto *De Conſideratione ad Eugenium* capite quarto his verbis: *Quid, inquit, prohibes diſpenſare? Non, ſed diſſipare. Non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique, quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt*. Idem argumentum lato calamo tractat in libro quem edidit *de Præcepto, & diſpenſatione*.

Cardinalium dignitas magnum duodecimo Eccleſiæ ſæculo ſuſcepit incrementum, noviſque radiis & eximiis prærogativis fulgere cœpit. Enim vero ad ipſos ſolos Cardinales reſtrictum eſt jus eligendi Romanum Pontificem, ſicut obſervat *Onuphrius* in Adnotatione ad Vitam *Alexandri* III. ubi ait, in electione *Lucii III.* Papæ, quæ facta eſt an. MclxxxI. ad ſolos Cardinales, Clero omnino & populo excluſis, Electionem Romani Pontificis tunc primum fuiſſe reductam, legemque ſalutarem, qua in Concilio Generali Lateranenſi tertio celebrato anno MclxxIx. ſtatutum fuerat, ut, ad evitanda deinceps Schiſmata; a duabus tertiis Cardinalium partibus eligeretur Romanus Pontifex, executioni mandatam eſſe, idque ſibi conſtare dicit ex ejuſdem Pontificis Diplomate apud ſe aſſervato. Præterea, in tractandis negotiis, Cauſiſque Eccleſiaſticis judicandis præcipuum locum poſt Romanum Pontificem duodecimo ſæculo Cardinales tenere cœperunt, indeque dicti Summi Pontificis *Collaterales*, in regimine Eccleſiæ *Coadjutores*, *univerſalis Eccleſiæ Senatores*, *ſeniores populi*, *Orbis Judices*. Inter Epiſtolas Sancti *Thomæ*, qui duodecimo ſæculo Cantuarienſem regebat Eccleſiam, extat una, quæ libro 2. eſt ordine XLVI. in qua his verbis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales convenit: *Chriſti vicem gerere debetis in terra ..... Decet vos eſſe vacuos ab omni offenſa, ab aliena gratia penitus liberos, ſi recte tractatis aliena negotia, ſi loquimini veritatem in populo, ſi diligitis, qui facitis judicium in gente*. Ad Cardinales etiam S. *Bernardus*, duodecimi ſæculi decus & ornamentum, Epiſtolam CLxxxvII. in Cauſa *Abaelardi* ſcripſit, quæ incipit his verbis: *Nulli dubium, quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de Regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas &c.* Hinc mellifluus ille Doctor, videns quanta duodecimo ſæculo Cardinales in Eccleſia poteſtate pollerent, libro quarto *De Conſideratione*, Capite quarto, ſuggerit *Eugenio III.* Pontifici Maximo quales ad id muneris digne obeundum eligere ac promovere debeat: *Veniamus*, inquit, *ad Collaterales & Coadjutores tuos... Tuum eſt undecumque evocare & aſciſcere tibi* (*exemplo* Moyſis) *ſenes, non juvenes; ſed ſenes non tam ætate quam moribus, quos tu noſti quia ſenes populi ſunt. An non eligendi de toto Orbe Orbem judicaturi? Sane huic negotio non ſe ingerat rogans. Conſilio, non prece agendum eſt ..... Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus. Qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt ...... Adulantem, & ad placitum loquentem, unum de rogantibus puta, etiamſi nihil rogaverit .... Quærendi quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpote jam perfectis. Itaque non volentes neque currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes: Etiam coge illos & compelle intrare. In talibus, opinor, requieſcet ſpiritus tuus, qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi, ſed timorati, præter Deum tamen timeant nihil, nihil ſperent niſi a Deo. Qui adventantium non manus attendant, ſed neceſſitates &c.* Integrum iſtud Caput quartum libri IV. *De Conſideratione* ad *Eugenium* Papam, ſi attento animo legas, facile intelliges, quot & quam præclaris dotibus, juxta Sanctum *Bernardum*, in Eccleſia præfulgere debeant hi, qui ad Eminentiſſimam illam Cardinalium dignitatem ſublimantur.

Primates, Metropolitani, Archiepiſcopi, & Epiſcopi iiſdem juribus ac Privilegiis ſæculo duodecimo fruebantur, quibus, juxta Diſciplinam Eccleſiaſticam in præcedentibus ſæculis ſancitam, potiti fuerunt. *Callixtus* II. Pontifex Maximus Viennenſi Eccleſiæ in Galliis, cujus ante Pontificatum Archipræſul fuerat, Primatum in ſeptem Provincias contulit, ſicut jam obſervavimus in Colloquio II. in Hiſtoriam hujuſce ſæculi

li

Digitized by Google

li duodecimi. Verum, reſiſtentibus aliis veteribus Primatibus, qui iſtud *Calliſti* II. Decretum ſubreptitium eſſe, ſeque inauditos eſſe dicebant, nullam Primatis authoritatem obtinere potuit Viennenſis Archiepiſcopus, ſed tantum vi illius Reſcripti Dienſem, & Albenſem, ſeu Vivarienſem Epiſcopatus ab Arelatenſi Provincia diſtractos in ſuam Viennenſem Provinciam adſcivit, cujus etiamnum partes ſunt. Primatum Eccleſiæ Lugdunenſis in Provincias Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem, feneſcente jam ſæculo undecimo, ſeu an. MLXXIX. Inſtituit *Gregorius* VII. deditque *Gebuino* Archiepiſcopo Lugdunenſi. Huic Summi Pontificis Decreto obtemperavit *Rodulfus* Turonenſis Archiepiſcopus, & ea de re *Gebuinus* tam ipſi, quam ejus Suffraganeis gratulatus eſt, ut conſtat ex ejuſdem *Gebuini* litteris, quas *Baluzius* in Appendice libri *de Primatibus* editi a *Petro de Marca* Archiepiſcopo Pariſienſi produxit. At *Richerius* Senonenſis Archiepiſcopus jura ſuæ Eccleſiæ tueri volens huic Lugdunenſi Primatui interceſſit. Decretum tamen *Gregorii* VII. confirmavit *Urbanus* II. in Synodo Claromontana anno Mxcv. celebrata, & Senonenſem, ac Rotomagenſem Archiepiſcopos, niſi *Hugonem* in Archiepiſcopatu Lugdunenſi *Gebuini* ſucceſſorem tanquam Primatem ſuum revererentur, Pallio privavit, eorumque in Suffraganeos auctoritatem ſuſpendit, ut liquet ex Decreto *Urbani II.* & Synodi Claromontanæ a laudato *Petro de Marca* in prædicto libro edito. Huic judicio refragatus eſt *Richerius* Senonenſis Archiepiſcopus, eumque nec judicium Claromontani Concilii, nec exemplum Provincialium Epiſcoporum, nec *Ivonis* Carnotenſis Epiſcopi Concilium, neque interdictio, quæ adverſus illum fuit pronunciata, vincere potuerunt, nec ab illo obtinere, ut Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum agnuſceret. Immo, in ſententia ſua uſque ad mortem, quæ anno Mxcvi. contigit, continuo perſtitit. Demortuo *Richerio* Archiepiſcopo Senonenſi ſucceſſit *Daimbertus*, cujus conſecrationem fieri prohibuit *Hugo* Archipræſul Lugdunenſis, niſi prius *Daimbertus* Primatum Eccleſiæ Lugdunenſis agnoviſſet. Sed cum ille hanc conditionem contra Eccleſiæ ſuæ jura adimplere nollet, nec Ordinationem ab Epiſcopis Comprovincialibus obtinere poſſet, Romam profectus eſt, & ipſa urbe conſecratus ab *Urbano* II. Pontifice Maximo. Paulo poſt tamen *Daimbertus* vocatus ad Synodum ab eodem Pontifice ann. MXCIX. Romæ celebratam, coactus eſt promittere, ſe Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum ſuper Senonenſem agniturum, ſicut nos docet ejuſdem Romani Pontificis Epiſtola ad *Hugonem* Archiepiſcopum Lugdunenſem data, quam edidit *Petrus de Marca* in Diſſertatione *de Primatibus*. Cum igitur de Primatu Eccleſiæ Lugdunenſis ſublata eſſet omnis contentio, *Hugo* Archiepiſcopus Lugdunenſis jura Primatus ſui pacifice duodecimo ſæculo exercuit in Provincias, Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem. De hoc Primatu Lugdunenſi legendus eſt *Petrus de Marca* loco citato, *Carolus Du bois* in Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis lib. 11. cap. 5. & noſter *Natalis Alexander* art. 3. cap. 7. Hiſt. Eccleſ. ſec. 11. & 12.

Eccleſiæ Toletanæ per Hiſpaniarum Regna Primatum, quem *Urbanus* II. ad petitionem *Ildephonſi*, ſeu *Alphonſi* VI. Caſtellæ Regis, anno Mlxxxviii. contulerat *Bernardo* Archiepiſcopo Toletano novis Decretis confirmarunt Romani Pontifices duodecimi ſæculi, videlicet *Paſchalis* II. *Eugenius* II. *Anaſtaſius* IV. *Hadrianus* IV. *Alexander* III. & *Innocentius* III. ut videre eſt apud *Marianum* lib. 12. *de rebus Hiſpaniæ* c. IV. Præſtat etiam legere, quæ de ejuſdem Primatu Toletani Origine diſſerit accuratus ille ac elegans Hiſturicus libr. 9. capit. 19. ubi etiam refert omnia Diplomata Romanorum Pontificum, qui Primatum Toletanum per Hiſpaniarum Regna authoritate Apoſtolica duodecimo Eccleſiæ ſæculo comprobarunt.

Ad ſanciendam Diſciplinam Eccleſiaſticam circa vitam & mores Presbyterorum, & Clericorum bene multa 12. ſæculo conſtituta ſunt in Conciliis ſaluberrima Decreta. Presbyterorum incontinentia damnata fuit, eorum matrimonia non ſolum prohibita, ſed etiam nulla & plane irrita declarata fuerunt, eorum filii ex his invalidis matrimoniis procreati tamquam ſpurii proſcripti ſunt, & a Clero ubique in perpetuum excluſi, omneſque ſanctiſſimæ leges, quæ tum ad cælibatum adamuſſim obſervandum, tum ad impediendum, ut beneficia ſimoniace conferrentur, vel hæreditaria in familiis redderentur, jam in præcedentibus Conciliis latæ erant, denuo comprobatæ ſunt, earumque tranſgreſſoribus graviſſimæ indictæ pœnæ. Denique, Clerici ab omni ſervitute publica duodecimo ſæculo erant liberi & poſſeſſiones Eccleſiarum a publicis exactionibus immunes. Bonorum Eccleſiaſticorum Clericos non dominos, ſed diſpenſatores tantummodo eſſe, nec plura Beneficia poſſidere poſſe, nec poſſeſſiones ex Eccleſiæ bonis acquiſitas, aut pecunias ex redditibus Eccleſiaſticis reſiduas ad hæredes tranſmittendi jus habere, doctrina erat duodecimo Eccleſiæ ſæculo recepta, ſicut ex his, quæ mox dicemus de doctrina morali duodecimi ſæculi, liquido conſtabit. (*a*)

„ (*a*) Inter pœnas canonicas ad punienda „ Sacerdotum delicta ſeculo currente XII. recen- „ ſebatur ſuſpenſio, excommunicatio, & degra- „ datio; quæ res expreſſe ſingillatim diſtinguun- „ tur in uno ex canonibus Concilii Londinenſis „ an. 1138. inter eos quos Wilkins e MS. codi- „ ce Anglicano adjecit: *Decernimus ut Sacerdo-* „ *tes, qui divina officia celebrare inhibiti, nihilo-* „ *minus celebraverint*, (en ſuſpenſio) *& ob hoc* „ *anathemate vincti ſint*, (en excommunicatio) „ *degradentur, & bonis eccleſiaſticis priventur, niſi* „ *a Domino veniam conſequantur*. Igitur degrada- „ tio pœna erat Eccleſiaſtica, qua delinquen- „ tes etiam non ultimo deſtinati punieban- „ tur.

„ tur. Hujus loco modo irregularitas ſucceſſit. „

D. Quęnam XII. ſęculo in Sacramentorum adminiſtratione obſervabatur diſciplina?

M. Hæc duodecimo ſæculo in Sacramentorum adminiſtratione vigebat Eccleſiæ diſciplina, Baptiſma in trina immerſione ſolemnibus diebus conferebatur. Pœnitentia publica erat adhuc in uſu, ſenſim tamen ſine ſenſu exoleſcere cœpit, quia quamplurimi ſeſe ab ea peragenda redimebant eleemoſynis, peregrinationibus, flagellationibus, vitæ Monaſticæ profeſſione, & indulgentiis, quas ut ſuperius diximus, Romani Pontifices concedebant illis, qui expeditionem Hieroſolymitanam contra Saracenos ſuſcipiebant. Publicam peccatorum confeſſionem frequenter faciebant ægroti in extremo vitæ diſcrimine, ac nonnulli, imminente morte, cilicio ac cinere cooperti veſtem Monachalem pietatis ergo, induebant; quod licet, ut obiter dicam, in his, quos vere peccatorum pęnitet, laudabile etiamnum ac ſalutare ſit, illis tamen,, qui data opera pœnitentiam uſque ad vitæ exitum procraſtinant, valde incertum eſt, an aliquando proſit, quia, ut vulgo dicitur: *Simia ſemper ſimia, etiam ſi purpura veſtiatur*. Sacramentalis Abſolutio, & Communio Euchariſtica reis extremo ſupplicio ſententia Judicis addictis duodecimo adhuc Eccleſiæ ſæculo in Galliis denegabantur. Euchariſtiæ adminiſtratio ſub ſolo panis Symbolo, ne Dominici ſanguinis effuſio accideret, Laicis in multis Eccleſiis porrigebatur. Quæ tamen conſuetudo non ſtatim obtinuit in omnibus Eccleſiis Occidentis, in quibus adhuc retentus eſt antiquus mos communicandi ſub utraque ſpecie. Sed ſequenti ſæculo, hoc eſt, decimo tertio, poſtquam S. *Thomas*, Doctor Angelicus, ea de re conſultus, earum Eccleſiarum, quæ in frequenti communicantium cœtu ſolum panis conſecrati Symbolum Laicis impertiebant, pietatem & prudentiam eo in uſu laudavit, certatim reliquæ omnes Eccleſiæ illum amplexæ ſunt. *Provide*, inquit Angelicus Doctor, 3. p. quæſt. 80. art. 12. *in quibuſdam Eccleſiis obſervatur ut populo ſumendus ſanguis non detur*. Denique eleemoſynas pro Miſſarum celebratione ſponte oblatas poterant quidem Sacerdotes recipere, ſed non exigere. Pretium etiam pro Ordinatione, Chriſmate, Oleo, Chriſtiana ſepultura, & profeſſione religioſa exigere, ſacris Canonibus diſtricte vetitum erat. Sed hæc præcipua Capita Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ in Sacramentorum adminiſtratione duodecimo ſæculo obſervari ſolebat, delibaſſe ſufficiat. (*a*)

(*a*) „ Quæ eſſet Eccleſiæ tunc fides circa Sa-
„ cramenta, quis eorum numerus, quæ vis &
„ efficacitas, a nullo melius eo ſeculo expreſſum
„ reperi, quam ab auctore vitæ S. Ottonis Bam-
„ bergenſis Pomeranorum Apoſtoli, & ejuſdem
„ ſeculi, quo & Sanctus vixit, ſcriptore. Reci-
„ tat auctor ille verba ejuſdem Præſulis ad neo-
„ phytos ſuos, quibus de fide eorum Sacramen-
„ torum, virtute & numero illos erudit, ſermo-
„ nemque ſuum ita concludit: *Ita ergo ſeptem*
„ *Sacramenta, quæ iterum veſtri cauſa enumera-*
„ *re libet, & Baptiſmum, Confirmationem, Infir-*
„ *morum Unctionem, Euchariſtiam, lapſorum Re-*
„ *conciliationem, Conjugium & Ordines*. „

D. Floruitne ſæculo duodecimo Monaſtica diſciplina, cui tot Sanctiſſimi Ordinum fundatores maximum undecimo ſæculo ſplendorem conciliarunt?

M. Quamvis certum ſit, Monaſticam Diſciplinam ſuum adhuc duodecimo ſæculo retinuiſſe ſplendorem, & Eccleſiam novis Religioſorum ac Monachorum inſtitutis Ordinibus munitam, atque plurimum fuiſſe illuſtratam; negari tamen haud poteſt, Monaſticam Diſciplinam ſub initium duodecimi ſæculi in nonnullis Cœnobiis præſertim Sanctimonialium, fuiſſe valde labefactatam & corruptam in Galliis. Sanctus *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus in Epiſtola *ad Galterium* Meldenſem Epiſcopum anno MC. data, & quæ ordine eſt LXX. eum vehementer hortatur, ut nullus timor incommodorum ab officii ſui intentione dimoveat. *Quod ideo* inquit, *ſuggero dilectioni veſtræ, quia tam ex verbis Turonenſium Monachorum, quam ex literis Dominæ Adelaidis venerabilis Comitiſſæ audivi turpiſſimam famam de Monaſterio Sanctæ Faræ*, (quod ſitum eſt in Diœceſi Meldenſi) *quod jam non locus Sanctimonialium, ſed Mulierum Dæmonialium proſtibulum dicendum eſt, corpora ſua ad turpes uſus omni generis hominum proſtituentium*. Doctiſſimus *Mabillonius* libro 5. *de re Diplomatica* pag. 368. refert Epiſtolam *Philippi* Francorum Regis *Bernardo* Majoris Monaſterii Abbati datam, in qua iſtud Monaſterium ſanctæ *Faræ*, ejectis ex eo Monialibus, donavit Monachis Benedictinis. *Hermannus* Laudunenſis Monachus, & duodecimi ſæculi Scriptor, qui tres libros *de Miraculis Beatæ Mariæ Laudunenſis* obtulit *Bartholomæo* ejuſdem urbis Epiſcopo, aſſerit libro tertio capite vigeſimo ſecundo, in *Monaſterio Sancti Joannis Laudunenſis* nonnulla ſiniſtræ famæ de illius Sanctimonialibus dicta fuiſſe, cumque frequenter commonitæ, emendationem verbo promitterent, ſed facto non implerent, eas a *Bartholomæo* Epiſcopo e Monaſterio fuiſſe ejectas. Quod accidit anno MCXXVIII. anno vero ſequenti, ſeu MCXXIX. *Matthæus* Albanenſis Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ Legatus Pariſiis Concilium celebravit, in quo decretum eſt, ut Moniales Monaſterii Argentolienſis tribus circiter leucis ab urbe Pariſienſi diſſiti, quæ ſpurca & infami converſatione, omnem ejuſdem loci affinitatem fœdare dicebantur, inde expellerentur. Quod *Honorius* II. literis Laterani, nono Kal. Maji datis confirmavit, & ad petitionem *Ludovici* Galliarum Regis Monaſterium illud, cujus tum temporis *Heloiſſa*, olim uxor Petri *Abaelardi*, Prioriſſa erat, Monachis Benedictinis Cœnobii San-Dionyſiani dedit. Nec ſolum in Gallia, ſed etiam in Germania, in Belgio & in Lotharingia aliquæ Sanctimoniales, contempto caſtitatis voto, vitam ſæcularem amplexæ ſunt, & e Monaſteriis ejectæ, in quæ eodem ſæ-

culo

Digitized by Google

culo duodecimo introducti ſunt Monachi, ſicut tradunt Hiſtorici Scriptores hujus ſæculi.

Verum Regularem ac Monaſticam Diſciplinam, quæ in multis Monialium Cœnobiis collapſa erat, impenſe coluerunt, & magna cum vitæ auſteritate duodecimo ſæculo obſervarunt Ciſtercienſes, Carthuſienſes, Camaldulenſes, Grandimontenſes, Vallumbroſani, Cluniacenſes, aliique Monachi Benedictini, quorum ritus hic breviter deſcribam. Pueros a Parentibus offerri Monaſteriis, ac vitæ Religioſæ dedicari, mos erat duodecimo ſæculo adhuc in Eccleſia receptus, nec poterant pueri ſic a parentibus Deo dicati a Monaſteriis diſcedere, & ad ſæculum redire, quia, ut ait *Clemens* III. cap. *cum virum*, Titulo *de Regularibus*, lib. 3. Decretalium: *Cum juxta Concilii Toletani Cenſuram, Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio faciat, quidquid horum fuerit alligatum, tenebit, revertendi ad ſæculum aditu penitus interdicto*. Hanc tamen Diſciplinam *Cæleſtinus* III. qui anno MCXCI. electus eſt Pontifex Maximus, abrogavit, cap. *Cum ſimus*, ubi ſtatuit, ut ſi Pater ſe cum bonis ſuis, & filio impubere obtulerit Monaſterio, filius ad annos diſcretionis perveniens habitum Monachalem retinere noluerit, non ſit ullatenus compellendus, quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere, ad ſæculum redire, & bona paterna, quæ ſibi ex ſucceſſione perveniunt, poſtulare. Monachi ad Profeſſionem ante annum decimum quartum ætatis completum non admittebantur, & pro ingreſſu Monaſterii, ſeu pro receptione ad Religioſam Profeſſionem nullum pretium, juxta Canones in multis Conciliis 12. ſæculi ſancitos, exigi poterat. Opus manuum ſtatis horis a Monachis & Sanctimonialibus frequentari ſolemne erat, nec tamen a ſacris ſtudiis arcebantur Monachi, immo, ſacrorum Studiorum exercitationem, lectionem, ſcriptionem, editionem librorum ad publicam Eccleſiæ utilitatem dignum eſſe Monachis laborem & manuum operi præferendum aſſerit Sanctus *Petrus* Cluniacenſis Abbas, qui ſæculo duodecimo ſlotuit in Epiſtola XX. libri primi ad *Giſlebertum*, ubi hæc habet: *Plantari non poſſunt arbuſculæ, rigari nequeunt ſata, neque aliquid ruralis operis exerceri* ——— *Sed, quod eſt utilis, pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis litteris paginæ exarentur, ſeratur in charthula verbi Dei Seminarium, quod, maturatis ſegetibus, hoc eſt, libris perfectis, multiplicatis frugibus, eſurientes Lectores repleat, & ſic panis cæleſtis lethalem animæ famem depellat*. Non omnibus tamen promiſcue Monachis licitum erat legere libros Gentilium, Poetarum, aut Philoſophorum, ſed iis tantum quibus id ab Abbate præcipiebatur, ſicut obſervat doctiſſimus Pater *Martene* Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Commentario in caput quartum Regulæ Sancti Benedicti, ubi hæc ſcribit: *Procul ergo a noſtris Gentilium libri, procul Poetarum, aut Philoſophorum fallaciæ* ——— *niſi forte ad eorum ineptias confutandas, & ad myſteria noſtræ Fidei confirmanda* ——— *Sed hæc omnium non ſunt, ſed Doctorum dumtaxat, & eorum quidem non etiam omnium, ſed quibus ab Abbate præcipitur*. Quapropter facile componi, ac conciliari poteſt literaria illa Concertatio, quam circa *Studia Monaſtica* ſæculo proxime elapſo habuerunt duo præſtantiſſimi viri, vel potius duo magna Monaſtici Ordinis luminaria, regulariſque culmina Diſciplinæ, Dominus de *Rancé* Abbas Trappenſis, & *Joannes Mabillonius* Benedictinus Congregationis Sancti Mauri. Nec enim clariſſimus juxta ac religioſiſſimus Abbas eo fine ſtudia Monaſtica impugnat, ut lectionem Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum & Scriptorum Aſceticorum Monachis omnino interdictam eſſe velit, ſed id unum dumtaxat oſtendendum ſibi proponit, non omnes Monachos prophanarum litterarum, peregrinarum linguarum, Mathematicarum Diſciplinarum, Numiſmatum, Inſcriptionum, aliarum id genus humanarum Artium atque Scientiarum notitia indiſcriminatim imbui debere. Quod ſane veriſſimum eſt, quia ut plurimum hujuſmodi prophanæ diſciplinæ ſanctiorem diſciplinam cum pietate enervant, ſuperbiam ingenerant, neglectum vitæ Monaſticæ officiorum, & nimium affectum rerum mundanarum, quibus Monachi nuncium penitus remittere debent. *Mabillonius* vero, dum *ſtudia Monaſtica* vindicat, non omnes diſciplinas Monachis neceſſarias eſſe contendit, longe minus aſſerit, Monachos omnes, neglectis vitæ Monaſticæ officiis, majoribus, altioribuſque ſtudiis vacare debere, ſed ſolum ſtudia litterarum, ea maxime, quæ Viros Eccleſiaſticos decent, Monachis permittit, ita tamen ut majora aut minora pro cujuſque captu, & judicio Superiorum modeſte & cum charitate ſuſcipiant. *Si igitur* (verba ſunt Mabillonii in ea, quam Operi *de ſtudiis Monaſticis* præfixit, & junioribus Benedictinis Congregationis Sancti Mauri inſcripſit Epiſtola) *quas ſtudio ac labore comparatis, divinarum humanarumque rerum notitiæ hunc in vobis fructum*) videlicet divinarum perfectionum notitiam & mundanæ gloriæ contemptum) *non referant, ſtudiis nuncium penitus remittere, quam mortifero ſcientiarum veneno infici, aut, quem incautis plerumque pariunt, ſuperbiæ tumore inflari longe ſatius eſt*. In eumdem igitur ſcopum circa *Studia Monaſtica* collimarunt duo illi præſtantiſſimi Viri, quamvis, needum ſatis bene perſpecto quæſtionis ſtatu diſcrepare videantur in libris, quos ultro citroque ediderunt non verborum aſperitate, non dicteriis; non felle, jocisque, ut plurimum fieri ſolet, reſperſos, ſed mira eruditione, nec minori modeſtia inſolenti animi moderatione, & humanitate ubique conditos, eaque charitate perfuſos, quæ tantopere in Evangelio commendatur, viroſque decet maxime religioſos.

De auſtero Monachorum vivendi genere, quod in Colloquio ſexto in Hiſtoria Sæculorum X. XI. deſcripſimus, nihil plane XII. ſæculo immutatum eſt. *Qualis ac quanta fuerit*, inquit *Mabillonius* in Præfatione Operum Sancti

Bernardi *Ciſtercienſium ſub Bernardo diſtrictio*, *& rigiditas*, *non eſt neceſſe hoc loco exponere*, *quando id ſatis ſuperque patet tum ex Bernardi ſcriptis*, *tum ex ipſius vita maxime ex libro primo cap.* 5. *ubi primi Claravallis incolæ*, *Deo ſervire memoratur in paupertate ſpiritus*, *in fame*, *& ſiti*, *in frigore*, *& nuditate*, *in vigiliis multis*. *Pulmentaria ſæpius ex foliis fagi conficiebantur*, *panis ex hordeo*, *& vicia & millio erat*. *Ita Guillelmus teſtis oculatus*. *Tanta in cibo erat parſimonia*, *inquit Stephanus Tornacenſis*, *ut duobus tantum pulmentis utantur*, *quæ aut æger ex leguminibus*, *aut ex oleribus hortus affert*. *Ipſi piſce tanto rarius utuntur*, *quanto frequentius apud eos audiri ſolet*, *quam videri*. *Eamdem vitæ ſeveritatem nos Galli etiam nunc refloreſcere conſpicimus in piiſſimis Monachis B. Mariæ de Trappa*, *aliiſque nonnullis eorum imitatoribus qui vitæ ſuæ puritate*, *auſteritate*, *ſolitudinis amore*, *ſilentio*, *labore*, *aliiſque religioſis virtutibus*, *id factu poſſibile adſtruunt*, *quod de Bernardo ejuſque Diſcipulis legebamus*, *nec fere credebamus*. Hactenus perdoctus *Mabillonius*. Nec minor duodecimo ſæculo fuit Monachorum Camaldulenſium vitæ auſteritas, ſicut teſtatur Reverend. Pater *Guido Grandi* Abbas Camaldulenſis in ſuo libro, cui titulus eſt: *Diſſertationes Camaldulenſes*. Sic enim eruditus ille Abbas Diſſertatione 1. cap. 3. ſcribit: *Hanc igitur vivendi Regulam*, *& ipſe uſque ad exitus ſui diem ſervavit Romualdus*, *& eam cunctis Eremiticæ vitæ ſectatoribus reliquit*, *ut unuſquiſque ſe tunc Eremiticæ vitæ abſtinentiam & jejunium tenere cognoſcat*, *cum per hebdomadam triduana ſecundæ*, *tertiæ*, *& quartæ feriæ*, *& biduana ſextæ feriæ & Sabbati jejunia*, *ideſt*, *in panis tantum & aquæ perceptione*, *obſervat*; *quinta feria & Dominica diebus olera*, *vel quodcumque legumen cum gratiarum actione percipiat*. *Quamdiu igitur Beatus iſte vitæ Eremiticæ Inſtitutor vixit*, *& multo tempore*, *poſtquam ad æternæ Beatitudinis gaudia conſcendit*, *hæc fuit in Eremo Camaldulenſi ex integro forma ſervata*. Denique, Monachis duodecimi ſæculi tantus Regularis diſciplinæ inſidebat amor, ut Ciſtercienſes in comitiis Generalibus anni MCXXXIV. Epiſcopis ex Monaſteriis ſuis aſſumptis impoſuerint legem Monaſticum habitum deferendi, & vitæ regularis Inſtituta ad ſtrictos juris apices ſervandi: *Epiſcopi*, inquiunt, *aſſumpti de ordine noſtro conſuetudines noſtras tenebunt in qualitate ciborum*, *in forma indumentorum*, *in obſervantia jejuniorum*, *in officio Horarum Regularium*, *excepto*, *quod mantellum de vili panno*, *& pelle ovina*, *& pileum ſimilem aut ſimplicem de lana habere poterunt*, *qui voluerint*. Hic tamen diſſimulare haud poſſum, multos duodecimi ſæculi Abbates nimio ambitu ſibi Pontificum Privilegia, Monaſteriis ſuis exemptiones a juriſdictione Epiſcopali quæſiviſſe. Qua de re vehementer conqueritur Sanctus *Bernardus* in Epiſtola XLII. ad *Henricum* Senonenſem Archiepiſcopum his verbis: *Miror*, inquit, *quoſdam in noſtro Ordine Monaſteriorum Abbates hanc humilitatis Regulam odioſa contentione infringere*, *& ſub ſimili*, *quod pejus eſt*, *habitu & tonſura tam ſuberbe ſapere*, *ut cum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur*, *ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis*. *Spoliant Eccleſias ne emancipentur*, *rediment ſe ne obediant* ------- *Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent*, *dum multo labore ac pretio Apoſtolicis adeptis Privilegiis*, *per ipſa ſibi vindicant Inſignia Pontificalia*, *utentes & ipſi*, *more Pontificum*, *Mitra*, *Annulo*, *atque ſandaliis*. *Sane ſi attenditur rerum dignitas*, *hanc Monachi abhorret Profeſſio*: *Si miniſterium*, *ſolis liquet congruere Pontificibus*. Et lib. 3. *De Conſideratione ad Eugenium Papam* Capite 4. contra Eccleſiarum & Monaſteriorum Exemptiones ita ſcribit Mellifluus ille Doctor: *Murmur loquar*, *& querimoniam Eccleſiarum*: *truncari ſe clamitant ac demembrari*: *Vel nullæ*, *vel paucæ ſunt*, *quæ plagam iſtam aut non doleant*, *aut non timeant*. *Quæris quam?* *Subtrahuntur Abbates Epiſcopis*, *Epiſcopi Archiepiſcopis*........ *Sic faciendo*, *probatis vos habere plenitudinem poteſtatis*, *ſed utrum & debeatis*, *quæſtio eſt &c.* At licet Sanctus *Bernardus* has Monaſteriorum Exemptiones ambitione quæſitas improbaverit, illas tamen legitimas agnovit, quæ neceſſitatis, aut communis utilitatis intuitu a Sede Apoſtolica concedebantur. Unde ibidem ſubdit: *Nonnulla tamen Monaſteria ſita in diverſis Epiſcopatibus quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem Apoſtolicam pro voluntate fundatorum*, *quis neſciat?* *Sed aliud eſt quod largitur devotio*, *aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis*.

D. Quinam ſunt iſti Religioſorum Ordines, quibus Eccleſia, ut mox dixiſti, duodecimo ſæculo munita fuit, ac plurimum illuſtrata?

M. Canonicorum Regularium Ordinem longe lateque duodecimo ſæculo propagavit S. *Ivo*, qui Monaſterii Sancti *Quintini* Bellovacenſis primus Abbas fuit, & poſtea Epiſcopus Carnotenſis, de cujus doctrina & pietate ſat diximus in præcedenti Colloquio, de Viris Illuſtribus duodecimi ſæculi diſſerendo. Pro Canonicis Regularibus Ordinis Sancti Auguſtini Cœnobium Sancti *Victoris* ad muros Pariſienſes Regia munificentia ſæculo XII. excitavit *Ludovicus* VI. Galliarum Rex. Quæ Regalis Abbatia Caput celeberrimæ Congregationis ac plurimarum Abbatiarum, præſertim S. *Genovefæ*, in urbe Pariſienſi ſitæ Parens fœcundiſſima fuit. Ex utraque Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini Abbatia, ſeu Sancti *Victoris*, & Sanctæ *Genovefæ*, in Galliis prodierunt Sanctimonia & doctrina inſignes Viri, quorum aliqui illuſtriorum infulis dignitatum fuerunt in Eccleſia exornati. Celebres etiam duodecimo ſæculo extiterunt variæ Canonicorum Regularium Congregationes, præſertim *San-Rufiana*, ſic dicta ab Abbatia S. *Rufi* extra muros Avenionenſes, quæ hujus Congregationis *San-Rufianæ* caput erat; Congregatio *B. Petri de Honeſtis*, Congregatio Sancti Salvatoris apud Bononiam, *Lateranenſis*, & aliæ quædam.

dam. Novum Canonicorum Regularium Ordinem duodecimo ſæculo, hoc eſt anno milleſimo centeſimo vigeſimo inſtituit *S. Norbertus*, in Diœceſeos Laudunenſis loco, qui *Præmonſtratus* dicitur, quem ipſi *Bartholomæus* Epiſcopus Laudunenſis in Galliis conceſſit, ac naſcentem Ordinem fovit ac propagavit, quinque Monaſteriis in Diœceſi ſua conditis. Sancti *Norberti* Inſtitutum approbavit *Calliſtus* II. Pontifex Maximus, *Honorius* II. confirmavit, & *Innocentius* II. *Lucius* II. *Eugenius* II. *Hadrianus* IV. *Alexander* III. *Lucius* III. *Urbanus* III. *Clemens* III. multis hunc Ordinem Privilegiis donarunt, quæ in Bibliotheca Præmonſtratenſi ſunt excuſa. S. Auguſtini Regulam ſectantur Canonici Regulares Præmonſtratenſes, & Conſtitutiones auſteras obſervant ex Sancti *Norberti* diſciplina. De hoc Præmonſtratenſium Canonicorum Regularium Ordine *Herimannus*, qui hoc tempore vivebat, ex Monacho Laudunenſi S. Vincentii, factus poſtea Abbas Sancti Martini Tornacenſis, in *Hiſtoria Reſtaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacenſis*, quæ extat Tomo XII. Spicilegii Dachetiani, hæc ſcripſit: *Sic per Dei gratiam brevi tempore profecit, ut nullum, præter Apoſtolos, videamus hodie tantum fructum in Eccleſia feciſſe. Nam cum necdum converſionis ejus trigeſimus annus ſit, jam fere centum Monaſteria a ſequacibus ejus per diverſas Orbis partes conſtructa audivimus, ita ut etiam in Hieruſalem uſque Regula eorum ſervetur*. Sed de hujus celeberrimi Præmonſtratenſium Canonicorum Regularium Ordinis exordio ac propagatione plura legeſis apud P. *le Paige* In Bibliotheca Præmonſtratenſi, *Aubertum Miræum* in Chronico Præmonſtratenſi. Obiter tantum dicam, & *Norbertum*, & Canonicos Regulares Præmonſtratenſes ab eo inſtitutos non geſtaſſe olim, etiam in Choro, veſtem lineam, ſeu ut vocant, *Superpelliceum*, ſed ſolum Cappam albam, ut liquet ex multis depictis tabellis in antiquis Præmonſtratenſium Abbatiis etiamnum aſſervatis, in quibus S. *Norbertus* cum habitu albi coloris, cum Cappa alba, & cappucio ac cingulo ſuper ſcapulare ejuſdem coloris, abſque veſte linea, depingitur. Similem S. Norberti antiquam effigiem nulla linea veſte induti exhibent Continuatores *Bollandi* in Actis Sanctorum Tomo I. menſis Junii. Unde hoc unum ſingulari obſervatione dignum colligit doctiſſimus *Mabillonius* in ſuo ſecundo Scripto, quod Galli *Factum* vocant, ubi diſerte aſſerit, Dominicanos eſſe veros Canonicos Regulares, tum quia Dominicani, non ſecus ac Præmonſtratenſes, qui ſunt veri Canonici Regulares, Cappam geſtant cum hoc ſolo diſcrimine, quod Dominicanorum Cappa nigra ſit, Præmonſtratenſium vero alba; tum quia etiam Dominicani, perinde ac Præmonſtratenſes, ſectantur Regulam S. Auguſtini, quam S. *Dominicus* Canonicus Regularis, eorumque inſtitutor, ipſis ſervandam propoſuit. Sed de hoc in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſæculi XIII. iterum redibit ſermo, præſertim in Colloquio ſexto, ubi data opera agemus de inſtitutione Ordinis FF. Prædicatorum, & an Dominicani jure ac merito dici poſſint Canonici Regulares? breviter inquiremus.

D. Sæpius audivi a viris eruditis, multos Equeſtres Ordines religioſos ſæculo XII. fuiſſe inſtitutos, quorum nomina, Officia, ac in Eccleſiam promerita cum necdum ſatis explorata habeam, ea a te in præſentia perdiſcere cupio.

M. Inter Equeſtres Ordines religioſos, qui XII. ſæculo inſtituti referuntur, celebriores fuerunt Ordo Hoſpitalariorum S. Joannis Hieroſolymitani, Ordo Militum Templi, ſeu Templariorum, Ordo Equitum Sancti Sepulcri, Ordo Sanctæ Mariæ Teutonicorum, Ordo de Calatrava, & Ordo S. Jacobi, quorum officia, & Eccleſiæ reddita obſequia paucis hic expendemus. In primis, Equitum Hoſpitalariorum, ſeu S. *Joannis Hieroſolymitani* Ordinis inſtitutio, ſicut narrant *Willelmus* Archiepiſcopus Tyrius lib. XVIII. *de Bello ſacro* cap. V. & *Jacobus de Vitriaco* in Hiſt. Hieroſolym. cap. LXIV. in hunc modum an. MXCIX. initium habuit. *Amalphitani* (qui Normanni erant) cum ſæpius merces peregrinas Hieroſolymam afferent, Calipham Ægypti muneribus ſibi benevolum reddiderunt, & ab eo obtinuerunt, ut prope Eccleſiam ſepulchri Dominici Eccleſiam Latinorum conſtruerent, dictam poſtea Eccleſiam *Sanctæ Mariæ de Latina*, quia Abbatem & Monachos more Latinorum divina celebrantes Myſteria in ea ſtatuerunt. Illuc deinde certatim confluente, pietatis ergo, Peregrinorum multitudine, cum tam Monaſterium illud, quam Monaſterium *Sanctæ Mariæ Magdalenæ* pro peregrinis mulieribus Latinis ab ipſis fundatum non ſufficerent ad excipiendos omnes pauperes & infirmos, prædictus Abbas & Monachi Xenodochium, ſeu Hoſpitale & Capellam in honorem *Sancti Joannis Eleemoſynarii* Patriarchæ Alexandrini in eodem loco conſtruxerunt. Poſtquam vero Hieroſolyma a Chriſtianis capta fuit, *Gerardus*, qui diu de Mandato Abbatis in prædicto Hoſpitali pauperibus inſervierat, adjunctis ſibi quibuſdam aliis, habitum regularem ſuſcepit, veſtibus ſuis albam crucem exterius affigens. Hoc pacto Equitum Hoſpitalariorum Ordinem ſumpſiſſe initium aſſerunt duo illi laudati Scriptores *Willelmus* Archipræſul Tyrius, & *Jacobus de Vitriaco*. Verum in hac narratione unum eſt, quod jure merito negant Equites Hieroſolymitani, qui appellantur *Equites Melitenſes*. Negant enim *Gerardum* dedicaſſe Sancto *Joanni Eleemoſynario* Hoſpitale, quod Hieroſolymis ædificavit, affirmantque, nullam unquam in Ordine Eccleſiam in honorem Sancti Joannis Eleemoſynarii fuiſſe conſtructam, aut aliquod Feſtum de eo celebratum, ſed Sanctum *Joannem Baptiſtam* ſemper Ordinis Patronum agnitum, varia per annum Feſta ab antiquiſſimis temporibus de illo facta, ejuſque mentionem in votis ab Equitibus Hieroſolymitanis, quando profeſſionem emittunt, fieri ſolitis, ſemper habitam. Huic autem perpetuæ totius Ordinis Sancti

Joan.

Digitized by Google

Joannis Hieroſolymitani traditioni officere non debet teſtimonium *Willelmi* Archiepiſcopi Tyri contrarium aſſerentis, quia certiſſime conſtat, prædictum *Willelmum* Equitibus Hieroſolymitanis parum æquum fuiſſe, præſertim poſt diſſidia inter Clerum Hieroſolymitanum & eoſdem Equites exorta, quod hi nimirum ſe ab Epiſcoporum juriſdictione ſubtraxiſſent, & ab *Anaſtaſio* IV. Pontifice Maximo privilegium obtinuiſſent bonorum a ſe poſſeſſorum decimas eiſdem non ſolvendi. Fides itaque *Willelmo* Archiepiſcopo Tyrio adverſus Equites Hieroſolymitanos adhibenda non eſt, explodendumque commentum, quod ex eo *Jacobus de Vitriaco*, multique viri docti exſcripſerunt, ſcilicet Hieroſolymitanos Equites, poſtquam divitiis abundarunt, ejuraſſe Patronum ſuum Sanctum *Joannem Eleemoſynarium*, & Sanctum *Joannem Baptiſtam* in ejus locum adoptaſſe. De rebus geſtis Equitum Hieroſolymitanorum (qui olim Rhodii, nunc Melitenſes Equites dicuntur) legi poſſunt libri editi a *Pantaleone*, *Boſio*, *Boiſſato* &c.

Ordinis Militum Templi, ſeu Equitum Templariorum primi inſtitutores fuerunt duo Equites, *Hugo de Paganis*, & *Godefridus de Sancto Audomaro*, qui certum domicilium cum necdum haberent, *Balduinus* II. Hieroſolymorum Rex locum in Palatio, quod ſecus Templum Domini ad auſtralem plagam ſitum erat, eis ad habitandum conceſſit anno MCXVIII. iidemque *Fratres Militiæ templi*, ſeu Templarii dicti ſunt. Horum Inſtituti finis erat, vias publicas cuſtodire, fideles ab infidelibus, & peregrinantes ad loca ſacra Chriſtianos a Prædonum inſidiis, & Chriſtiani nominis hoſtium incurſibus defendere, ac tutari. Novus ille Equitum Templariorum Ordo confirmatus eſt in Concilio Trecenſi in Galliis anno MCXXVIII. celebrato, Præſide *Matthæo* Cardinali Epiſcopo Albanenſi, & Sedis Apoſtolicæ Legato, ipſiſque tradita Regula, & præſcriptus albi coloris habitus, cui poſtea ſuper pallium Crucem rubeam attexi curavit *Eugenius III.* Papa anno MCXLVI. Floruit multos annos fama celebris hic Templariorum Ordo, ſed tandem divitiis nimium locupletatus in tot abuſus & vitia lapſus eſt, ut in Generali Concilio Viennenſi in Galliis anno MCCCXI. ſub *Clemente* V. Summo Pontifice habito fuerit ſuppreſſus, abolitus & extinctus, ſicut oſtendemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam decimi quarti Eccleſiæ ſæculi.

Huic Templariorum Ordini ſimilem alium militarem Ordinem, ſeu *Equitum S. Sepulchri*, anno MCXX. inſtituit *Alphonſus* VI. Aragoniæ Rex, quibus ex officio incumbebat Chriſtianos in Aragonia a Mauris defendere, & ad Valentiæ, Murciæque Regna Mauris eripienda aditum pandere. Horum Equitum S. Sepulchri præſidio adjutus idem *Alphonſus* Aragoniæ Rex, celebrem victoriam de Saracenis ad *Penecadel* retulit, ſicut narrat *Ordericus* lib. 13. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi illos Equites S. Sepulchri, qui in hoc prælio magnam ſibi gloriam peperere, appellat *Fratres de Palmis*, eo quod ut recte explicat *Petrus de Marca* lib. 5. *Hiſtoriæ Bearniæ* cap. 21. iſti Equites S. Sepulchri pro Inſignibus *Palmam* elegiſſent. *Joannes Briz Martinez* in Hiſtoria S. Joannis Pennatenſis libro 5. cap. 24. optime demonſtrat, hos Equites S. Sepulchri in variis Aragoniæ locis adverſus infideles ab *Alphonſo* VI. Rege inſtitutos, plane diverſos fuiſſe a Templariis, de quibus mox ſermonem habuimus.

Ordinis Templariorum fœtus eſt ac propago *Ordo Beatæ Mariæ Teutonicorum*; cujus inſtitutionem *Onuphrius* in Chronico cum anno MCXIX. copulavit. Sed obſervant viri eruditi, *Onuphrium* hac in re deceptum fuiſſe, illiuſque Equitum Teutonicorum Ordinis Inſtitutionem accuratius ab Interpolatore Chronici Aquicinctini referri ad annum MCXCI. ubi ſcribit *Ordo militum Teutonicorum inchoatur*, *quem anno* MCXCI. *Februarii die* XXII. *Cæleſtinus Papa*, hujus nominis III. *confirmavit*. *Primus hujus ordinis Magiſter creatus fuit Henricus* Walpot. Ordo ille fuit fundatus a Teutonicis, ſeu nobilibus Germanis, pro ſuſceptione pauperum, peregrinorum & infirmorum, qui ex Teutonica gente, ſeu ex Germania erant oriundi. Hujus ordinis Equites Cruces nigras albis chlamidibus intextas habebant, & militiæ ſolemni voto ſub patrocinio Dei-paræ Virginis ſeſe obſtringebant, indeque dictus illorum Ordo *Equitum Beatæ Mariæ Teutonicorum*. De Origine Ordinis Teutonici, & rebus ab eo geſtis late diſſerit *Petrus de Duſburg* Sacerdos Ordinis Teutonici in ſuo *Chronico Pruſſiæ*, quod publicavit Anno MCCCXXVI. Legendus eſt etiam *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi ad annum MCXCII. ubi accurate Ordinis Teutonici initia narrat. Addam hic dumtaxat, magno huic ordini Equitum Beatæ Mariæ Teutonicorum unitum poſtea fuiſſe alium militarem Ordinem *Gladiferorum*, qui in Livonia, anno MCLXXXVI. ad debellandos Crucis inimicos fuerat inſtitutus, ſicut refert *Arnoldus* Abbas Lubecenſis in *Hiſtoria Slavorum* libro 7. cap. 8. & ſeq. Dicebantur autem iſtius Militaris Ordinis Equites *Gladiferi*, quia *profeſſionis ſuæ ſignum in formæ gladii*, *quo pro Deo certabant in ſuis veſtibus præferebant*, ſicut teſtatur idem *Arnoldus*. Denique in Hiſpania duodecimo ſæculo multi Ordines militares, ſeu *Calatravæ*, Sancti *Juliani de Pririero*, & Sancti *Jacobi* ad defenſionem Chriſtianorum adverſus Saracenos fuerunt inſtituti. His Ordinibus Militaribus, quibus floret Hiſpania, antiquior eſt, teſte *Manrico* in Annalibus Ciſtercienſibus, Ordo *Calatravæ* quem *Beatus Raymundus* Abbas *Fiterii*, quod eſt Ciſtercienſis Ordinis celebre Monaſterium in Navarra, una cum *Didaco Velaſqui* Monacho, & quondam ſtrenuo in officio militari, & a juventute cum *Sanctio* Navarræ Rege enutrito, inſtituit anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo, ſicut probat *Bollandus* in Commentario Hiſtorico de *Beato Raymundo* Abbate *Fiterii* ad diem 1. menſis Februarii. Hunc Ordinem fundavit

davit *Beatus Raymundus* ut Calatravam urbem, quæ in ſummo diſcrimine verſabatur defenderet contra Saracenos, quorum impetus, ope *Joannis* Archiepiſcopi Toletani collecto exercitu, repreſſit, iiſque deinceps impugnandis condidit hunc novum Ordinem militum Calatravæ Inſtituti Ciſtercienſis, quem an. MCLXIV. *Alexander III.* Pontifex Maximus confirmavit ſuis litteris, quæ extant in libro *de Origine & Conſtitutionibus Ordinis Calatravæ*. Idem Pontifex *Alexander III.* approbavit anno Mclxxx. Ordineni militiæ Sancti Jacobi in Hiſpania inſtitutum ad defenſionem Chriſtianorum adverſus Saracenos, litteris dàtis anno decimo ſexto Pontificatus ſui, in quibus gratulatur, quod nobiles quidam non ſolum poſſeſſiones terrenas, ſed & corpora ſua dare in extrema quæque pericula pro Domino decreverunt, ſtatuitque, ut habeantur in ipſo Ordine qui cœlibem vitam ducant, *& ſint etiam qui ad procreandam ſobolem, & incontinentiæ præcipitium evitandum, conjugibus ſuis utantur*. Sed de his Militaribus Religioſis Ordinibus, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo ad Chriſtianos a furore & incurſionibus infidelium liberandos inſtituti ſunt, hæc dicta ſufficiant. Si tamen plura de his ſcire deſideres, conſule *Aubertum Miræum*, & *P. Labbe* Soc. Jeſu in *Originibus Ordinum Equeſtrium*. Legendus eſt etiam *Rades* in *Hiſtoria Ordinum militarium Hiſpaniæ*.

D. Audivi nudiuſtertius rem certe ſingularem de Ordine Religioſo in Galliis duodecimo Eccleſiæ ſæculo, ſeu anno centeſimo ſupra milleſimum a Venerabili *Roberto de Arbriſello* fundato, qui appellatur *Ordo Fontis Ebraldi*, Gallice *de Fontevraud*. Ajunt enim, *Robertum de Arbriſello* voluiſſe & ſtatuiſſe, ut Abbatiſſa *Fontis Ebraldi* eſſet totius Ordinis Mater, Caput, & Antiſtita non ſolum Sanctimonialium, ſed etiam Monachorum, ita ut viri Religioſi ſua Abbatiſſæ obſequia exhibere, ejuſque regimini ſeſe ſingulari voto addicere teneantur. Id autem, ut candide fatear, mirum omnino & inſolens mihi eſſe videtur. At enim, cum Deus, ut legitur cap. 3. Gene. v. 16. dixerit mulieri: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui:* qui, ſodes, Ordo magis præpoſterus eſſe poteſt, quam viros regimini ac imperio mulieris ſubditos eſſe? Hunc meum itaque, ſi placet, exime ſcrupulum, & oſtende, quid tu *de Roberto de Arbriſello*, & de Ordine *Fontis Ebraldi* ab ipſo fundato ſentias?

M. Sentio, *Robertum de Arbriſello*, Theologum Pariſienſem doctrina & pietate clariſſimum, tam in vita, quam in morte de Eccleſia optime meritum eſſe. Fuit enim Summorum Pontificum, Legatorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & illuſtrium Scriptorum teſtimoniis & laudibus maxime celebratus, *Regibus*, *Epiſcopis*, *& Principibus*, *Clericis*, *& quibuslibet popularibus acceptus*, ſicut teſtatur *Baldricus* Dolenſis Epiſcopus coævus Auctor in ejus vita. At licet *Robertus de Arbriſello* Eccleſiam univerſam ſanctitate ſua vivens & mortuus illuſtrarit, calumniam tamen paſſus eſt a *Roſcelino* hæretico, & a quibuſdam æmulis, qui, ut Apoſtolico huic viro infamiæ notam inurere poſſent, ſiniſtros de eo rumores ſparſerunt, atque diabolicam calumniam de propudioſo illius inter mulieres accubitu, de Sanctimonialium cum viris permixtione, cujus fœditatem vagitibus infantium proditam fuiſſe dictitabant, comminiſci ac vulgare non erubuerunt improbi illi homines, quibus meus prava, & fallax lingua, & odia venenata, & ſacrilega mendacia. His falſis rumoribus in *Robertum de Arbriſello* a malevolis temere ſparſis deceptus eſt non ſolum *Goffridus* Abbas Vindocinenſis, qui, licet *Roberto* amicus eſſet, ad eum tamen, ſicut in ſuperiori Colloquio obſervavimus, acrem ſcripſit epiſtolam, ſed etiam *Marbodus* Epiſcopus Redonenſis eumdem *Robertum de Arbriſello* multis de rebus, quibus offenſionem populis creare dicebatur, redarguit in epiſtola, quæ ſub ejus nomine circumfertur, eleganti quidem, ſed acriori ſtylo exarata; quamvis non deſint viri doctiſſimi, qui graviſſimis ducti conjecturis autumant, ejuſmodi epiſtolam non a *Morbodo* religioſiſſimo Redonenſi Epiſcopo ſcriptam fuiſſe, ſed vel a *Roſcelino* hæretico, vel a quodam Clerico ſæculari ægre ferente, quod *Robertus de Arbriſello*, egregius Chriſti præco, in depravatos rum temporis Clericorum mores, in turpem Beneficiorum Eccleſiaſticorum nundinationem, in ſacrilegas Presbyterorum cum concubinis copulas, & in alia id genus vitia his temporibus longe lateque ſerpentia Apoſtolico zelo inter concionandum inveheretur, hanc contumelioſam epiſtolam ſcriptam ac vulgatam fuiſſe. Sed nec ea epiſtola, etiamſi a *Marbodo* Redonenſi Epiſcopo ſcripta fuiſſet, neque alia *Goffridi* Abbatis Vindocinenſis, ullo pacto ſanctitati *Roberti de Arbriſello* officere poſſunt. Primo, quia *Goffridus* Abbas Vindocinenſis, & *Marbodus* Epiſcopus Redonenſis hujuſmodi epiſtolas ſcripſerunt decepti falſis rumoribus ſparſis a Diaboli adminiſtris, quibus ſolemne eſt, eos præcipue, qui fœminis ad ſanctiorem vitam informandis operam navant, alicujus turpitudinis infamia notare, ut continuo ſpernantur, & omnia, quæ antehac feminarunt ſalutaria conſilia penitus abjiciantur. Ea diabolica arte impetitus eſt *S. Hieronymus* caſtiſſimus Doctor, qui ut homo parum pudicus a multis traductus eſt, quod Matronas, & Virgines quaſdam Romanas, pietate & ſacrarum litterarum ſtudio præſtantes, aſſidue inviſeret, ut eas in viæ Chriſtianæ perfectione dirigeret, ſicut ipſemet teſtatur in epiſtola 99. ad *Aſellam*. Quid igitur mirum, ſi miniſtri Diaboli famam *Roberti de Arbriſello* fœminas ad ſanctiorem vivendi normam inſtituere ſatagentis contumeliis falſiſque rumoribus lacerarint, quibus per malignorum obtrectatorum ora volitantibus decepti *Goffridus*, & *Marbodus* has ad *Robertum de Arbriſello* epiſtolas ſcripſerunt, non ut illum redarguerent, ſed potius ut de falſitate criminum, quæ a malignis detractoribus

fal-

ſalſo ei impingebantur, certiores ab ipſo fieri poſſent.

Præterea, quam iniquo & male affecto animo fama tam ſiniſtra *de Roberto de Arbriſello* ſparſa fuerit, manifeſto indicant tot encomia, quibus viri egregii & coætanei eum proſecuti ſunt. *Urbanus II.* prædicandi officium ei injunxit. *Paſchalis II.* eum appellat *Magnæ Religionis virum, & Religionis ſtudiis indeſinenter inſiſtentem*. *Petrus* Pictavienſis Epiſcopus ait, eum eſſe *virum Apoſtolicum*, qui *tonitruo ſanctæ exhortationis plures tam viros, quam mulieres a ſeculari luxu revocavit*. Robertus de Monte vocat eum *virum aptum ad lucrandas animas & prædicandum verbum Dei*, & ut cæteros alios duodecimi ſæculi Scriptores prætermittam, qui eximias *Roberti de Arbriſello* dotes celebrant, *Willelmus Neubrigenſis* Scriptor Anglus, & Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini, libro 1. Hiſtoriæ Angl. cap. 15. *Robertum de Arbriſello* impenſe laudat, eumque doctrina & pietate parem facit cum duobus aliis Abbatibus, qui duodecimo ſæculo non modo litteris, ſed omnibus quoque virtutibus eminuerunt, videlicet cum B. *Bernardo* Fundatore Congregationis Tironenſis, & cum B. *Vitali*, qui Saviniacenſis Cœnobii in confinio Normanniæ, Aremoricæ & Cœnomarum anno MCXII. conditor fuit: *In tranſmarinis partibus, ſicut a majoribus accepi*, inquit Willelmus Neubrigenſis, *tres memorabiles viri uno tempore fuere. ſcilicet Robertus cognominatus de Arbuſculo, Bernardus, & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi & ſpiritu ferventes circuibant per caſtella & vicos, ſeminanteſque ſecundum Iſajam ſuper omnes aquas; de converſione multorum fructus uberes colligebant, pio inter ſe placito conſtituto. Quod Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora converſarum ſollicitudinem gereret; Bernardus vero & Vitalis maribus providerent. Robertus itaque famoſiſſimum illud Monaſterium fœminarum de Fonte Ebraudi conſtruxit, & regularibus diſciplinis informavit. Bernardus vero apud Tironiam, & Vitalis apud Saviniacum Monachis regulariter inſtitutis, ſuos quiſque ab aliis per quaſdam præceptorum proprietates diſtinxit*. His momentis, & locupletiſſimis coævorum probatiſſimæ fidei Scriptorum teſtimoniis, facile *Robertus de Arbriſello* vindicatur a calumniis, quibus eum inceſſere non puduit malevolos quoſdam & effrontes obtrectatores.

Quod vero *Robertus de Arbriſello* non ſolum Sanctimoniales, ſed etiam Monachos Ordinis a ſe inſtituti imperio & regimini Abbatiſſæ ſubjecerit, ac ſingula voto devinxerit, nemo eum juſte carpere poteſt. Voluit quippe *Robertus de Arbriſello* ſuum fundare Ordinem ſuper verbis Chriſti Domini in Cruce pendentis dum Matri ſuæ dicebat: *Mulier, ecce filius tuus*: Diſcipulo vero Joanni, *Ecce Mater tua*, ex qua hora *accepit eam Diſcipulus in ſua*. Sane, *Robertum de Arbriſello* in Inſtitutione & Ordinis ſui regimine rem prorſus novam non tentaſſe probat ejuſdem Ordinis confirmatio, quam ipſe paucos poſt annos a Summis Pontificibus *Paſchali* II. & *Calliſto* II. obtinuit, promovente præſertim *Petro* Pictavienſi Epiſcopo, qui erat ei amiciſſimus, & in cujus Diœceſi Cœnobium Fontis Ebraldi ſitum erat. Romam ſiquidem profectus Epiſcopus ille Pictavienſis, & ſancti hujus Inſtituti fructus uberes declarans, facile a Pontifice Romano ejus confirmationem, protectionemque Romanæ Sedis *Roberto de Arbriſello* impetravit. Præter quam quod, placuiſſe Deo regimen iſtud in hoc Ordine Fontis Ebraldi a *Roberto de Arbriſello* inſtitutum ſatis patet ex propagatione ejuſdem Ordinis, quem duodecimo ſæculo pro Dei voluntate fere ad quatuor aut quinque millia Sanctimonialium jam excreviſſe teſtatur *Sugerius* Abbas San Dionyſianus in Epiſtola ad *Eugenium* III. Pontificem Max. quam P. *Sirmondus* edidit in Notis ad *Goffridi* Abbatis Vindocinenſis epiſtolas. *Tantum*, inquit Sugerius, *tantæ Religionis locum, quem, cum in partibus illis in ſcholis eſſemus, noviter inceptum eſſe vidimus, & pro Dei voluntate fere uſque ad quatuor aut quinque millia Sanctimonialum jam excreviſſe audivimus & gaudemus*. Omnes Epiſcopi rogabant *Robertum de Arbriſello* ut novi Ordinis Monaſteria ſuis in Diœceſibus conderet. Reges & Principes novas domos beneficiis augebant. In Angliam & Hiſpaniam penetrabant novi inſtituti Religioſæ Coloniæ, ibique, *tota ſæculi voluptate caſtrata, in Dei fervebant obſequio*, ſicut ſcribit *Willelmus Malmeſburienſis*, qui XII. ſæculo vivebat, libro 5. *de Geſtis Regum Angl.* Ex ea itaque Fontebraldenſis Ordinis confirmatione facta a Summis Pontificibus, & ex ejuſdem propagatione, quam Epiſcopi, Reges, ac Principes omni ſtudio promovere ſategerunt, falſi convincuntur omnes calumniæ, quibus nebulones quidam Venerabilis *Roberti de Arbriſello* nomen infuſcare, regimen, quod in ſuo Ordine inſtituit, improbare, ſummam, quæ de Sanctimonialium ejuſdem Ordinis caſtitate & Sanctimonia apud bonos omnes erat, opinionem imminuere atque labefactare moliti ſunt. Verum *Roberti de Arbriſello*, & Fontebraldenſis Ordinis ab eo fundati ſanctitas longe lateque nota, & maximis præconiis celebrata, putidis illis calumniis ſuperior extitit, fecitque Deus, ut *Robertus de Arbriſello* triumpharet de omnibus illis æmulis, quos ipſi virtutum ſplendor, populorum ad ejus conciones incredibilis concurſus, ferventiſſimus in vitiis reprehendendis zelus, vitæ ſeverioris ſtudium, novi Ordinis inſtitutio, mulierum ad vitam religioſam converſio, & ſumma apud Eccleſiæ ſæculique Principes gratia & auctoritas pepererunt. Plura de virtutibus *Roberti de Arbriſello* legeſis apud *Baldricum* Dolenſem in Aremorica Epiſcopum, & apud Anonymum Fontis Ebraldi Monachum coævum, qui ejus vitam ſcripſerunt. Utramque *Roberti de Arbriſello* Vitam edidit *Bollandus* inter Acta Sanctorum menſis Februarii ad diem XXV. & in Commentario ad eamdem Vitam prævio varia ejuſdem Venerabilis Fundatoris Ordinis Fontis

Ebral-

Digitized by Google

Ebraldi collegit elogia, quæ P. *Joannes a Manu Firma* Fontebraldenſis Monachus congeſſit, & inſeruit in Diſſertatione duplici *de Epiſtola contra B. Robertum de Arbriſelio confictа*.

D. Nihil aliud, opinor, tibi occurrit dicendum de Religioſis Ordinibus, aliiſque piis Fundationibus, quæ ſæculo duodecimo originem habuerunt.

M. Ad ſæculum duodecimum referenda etiam eſt fundatio *Beguinarum*, quas nonnulli tradunt, a *Sancta Bagga*, Pippini Landenſis filia, & Sanctæ *Gertrudis* ſorore, nomen & originem accepiſſe. Sed id gratis & ſola nominis ſimilitudine innixi aſſerunt. Contra vero, Beguinarum inſtitutionem Auctores coævi & ſuppares acceptam referunt *Lamberto* pio Leodienſi Sacerdoti, qui anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo florebat, ut videre eſt apud *Chapeavillum* lib. 2. *Epiſcoporum Leodienſium* pag. 118. *Ægidius* quoque Monachus Aureæ Vallis in Epiſcopis Leodienſibus cap. 52. hanc Beguinarum Inſtitutionem eidem *Lamberto* adſcribit. *Suſcitavit Deus Spiritum Sancti cujuſdam Sacerdotis viri religioſi, qui Lambertus le Begues, quia balbus erat de Sancto Chriſtophoro dicebatur, cujus cognomine mulieres & puellæ, quæ caſte vivere propendunt, Beguines cognominantur, quia ipſe primus extitit, qui eis præmium caſtitatis verbo* & *exemplo prædicavit*. In Concilio Viennenſi in Galliis ſub *Clemente* V. Pontifex Maximus anno MCCCXI. celebrato Beguinæ, quod per Germaniam falſa ſpargerent dogmata, damnatæ ſunt, & abolitum earum Inſtitutum. *Sed*, ut obſervat Continuator *Nangii* ad annum MCCCXVI. *Non obſtante condemnatione ſtatus earum proceſſu temporis convaluerunt; cum longe melius ſit eas ſic eſſe, quam laxatis habenis in ſæculi pompis & vanitatibus evagari; inter ipſas enim ſunt multæ bonæ & religioſæ perſonæ, & inter ipſas exercentur opera pietatis*. Quamvis igitur *Clemens* V. in Concilio Viennenſi Beguinarum ſtatum reprobaverit, permiſit tamen *Joannes* XXII. libro 4. Extravagant. Commun. Cap. *Ratio* de religioſis domibus, ut mulieres, quæ nec ſunt culpabiles nec ſuſpectæ, ſub habitu Beguinarum viverent, immo, extant, teſte *Spondano* in Annalibus Eccleſiaſticis ad ann. MCCCXI. in Formulario litterarum Apoſtolicarum *Marini Eboli*, qui ſub *Innocentio* IV. & deinceps vixit, diverſa Pontificum Diplomata in favorem Beguinarum, quæ in Germania & Belgio magno numero pullularunt, pro earum conſervatione a moleſtiis tam Clericorum, quam Laicorum, de quibus etiam late diſſerit *Petrus Coens* Canonicus Antuerpienſis in ſua Diſquiſitione Hiſtorica *de Origine Beguinarum* anno MDCXXIX. edita. Durat adhuc Beguinarum Inſtitutum tam in Belgio, quam in Diœceſi Leodienſi, & quæ illud profitentur, poſſunt ad nuptias tranſvolare. Superſunt etiam adhuc in Belgio aliqua Beguardorum, qui in eodem Concilio Viennenſi ſuppreſſi fuerunt, Monaſteria. Sed de Beguinis, *Beguardis*, qui etiam *Fratricelli* dicebantur, & de eorum erroribus in Concilio Generali Viennenſi proſcriptis opportunius diſſeremus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam XIV. ſæculi.

D. Doctrinam, & Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quam Monaſticam, quæ duodecimo Eccleſiæ ſæculo viguit, probe nunc perſpectam habeo; at ſubiit animum difficultas circa doctrinam Moralem iſtius ſæculi, quam ex depravatis populi Clericorumque moribus valde corruptam fuiſſe ſuſpicor. Tunc enim, ut ſæpius obſervaſti, Laici in Cœno vitiorum hærebant, Eccleſiaſticas facultates ac decimas uſurpabant, in Eccleſias dominabantur, vel potius tyrannidem exercebant, uſuris, rapinis, incendiis, privatis bellis, inceſtis nuptiis, aliiſque id genus vitiis erant impliciti. Sed quod gravius eſt, ſicut populus, ita Sacerdos. Beneficiorum Eccleſiaſticorum nundinatio, ſacrilegæ Presbyterorum cum concubinis copulæ, Bonorum Eccleſiaſticorum diſſipatio, pluralitas Beneficiorum, avaritia Clericorum, qui *ſua quærebant, non quæ Jeſu Chriſti*, hæc, inquam, vitia his temporibus longe lateque in Clero ſerpebant. Dicebat autem mihi nuperrime vir quidam ſeverioris doctrinæ, iſtam morum corruptelam inductam fuiſſe a Theologis Scholaſticis duodecimi ſæculi, qui argutis quibuſdam rationibus plus æquo indulgentes legem Dei emollire, & relicta regia Sanctorum Patrum via, avitam Chriſtianæ Moralis doctrinæ integritatem labefactare cœperunt. Dicas igitur, amabo an revera Theologi Scholaſtici duodecimi ſæculi doctrinæ Moralis puritatem novis, laxiſque opinionibus corruperint?

M. Doctrinam Moralem Chriſtianam a Theologis Scholaſticis duodecimi ſæculi fuiſſe corruptam, merum commentum eſt, & immanis calumnia, quæ ipſorum libris, qui adhuc ſuperſunt, manifeſto falſi convincitur. Nullum quippe in eorum Operibus offendes veſtigium earum laxitatum, quas molliores quidam poſteriorum temporum Caſuiſtæ excogitarunt. Quamvis igitur tam Clericorum, quam Laicorum mores fuerint duodecimo Eccleſiæ ſæculo haud parum corrupti; Moralis tamen Chriſtianæ doctrina pura & illibata permanſit, & ad ejus integritatem conſervandam Summi Pontifices, Concilia, Patres, Theologi Scholaſtici duodecimi ſæculi omnes ſuas curas, vigilias, & labores contulerunt, ſicut facili negotio intelliges ex ea, quam hic annexam, Synopſi Doctrinæ Moralis Chriſtianæ, quæ eo ſæculo in Eccleſia viguit.

Et primo, prolixior quidem eſſem, ſi hic proferre ac ſigillatim expendere vellem omnes Canones, quos Summi Pontifices, & Concilia variis in locis convocata ad compeſcendas graſſantes duodecimo Eccleſiæ ſæculo morum corruptelas condiderunt. Satis erit præcipua ab his ſancita Decreta referre, ex quibus certo conſtabit, Summos Pontifices & Concilia nihil antiquius duodecimo Eccleſiæ ſæculo habuiſſe, quam ut Chriſtianæ Moralis doctrinæ puritatem ſartam tectam conſervaret.

Serpe-

Digitized by Google

Serpebat latiſſime duodecimo ſæculo uſura, hanc labem Concilium Lateranenſe Generale tertium ſub *Alexandro* III. Summo Pontifice anno MCLXXIX. celebratum penitus exterminavit, omneſque Uſurarios graviſſimis pœnis addixit Canone vigeſimo quinto his verbis: *Quia in omnibus fere locis crimen uſurarum ita inolevit, ut multi, aliis negotiis prætermiſſis, quaſi licite uſuras exerceant, & qualiter utriuſque Teſtamenti pagina condemnetur, nequaquam attendant; ideo conſtituimus ut uſurarii manifeſti, nec ad Communionem admittantur altaris, nec ad Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, ſepulturam. Sed nec eorum oblationem quiſpiam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & ea, quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat, & ab Officii ſui maneat executione ſuſpenſus.*

Simonia impune graſſabatur in Clero, & Monaſteria invaſerat; hanc gliſcentem peſtem radicitus extirpavit idem Concilium Lateranenſe III. Canone VIII. ubi contra Simoniacos hæc ſtatuit: *Cum in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum eſt gratis impendi, horribile nimis eſt quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in Sede, ſeu introducendis Presbyteris in Eccleſiam, necnon pro ſepulturis & exequiis mortuorum & Benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis, aliquid exigatur, & ille, qui indiget, non poſſit iſta percipere, niſi manum implere curaverit largitoris ——— Ne igitur hoc de cætero fiat, & vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis ad Sedem, vel Sacerdotibus inſtituendis, aut mortuis ſepeliendis, ſeu etiam nubentibus benedicendis, ſeu etiam aliis Sacramentis aliquid exigatur diſtrictius inhibemus*. Et Canone decimo ſancit idem Concilium, ut *Monachi non pretio recipiantur in Monaſterio, non peculium permittantur habere ——— Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros Ordines non aſcendat, is autem, qui receperit, officii ſui privatione mulctetur. Si vero peculium habuerit, niſi ei ab Abbate pro injuncta ei fuerit adminiſtratione permiſſum, a Communione removeatur altaris. Et qui in Extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam*. Verum, quia plures erant, qui uſuram & Simoniam, aliaſque morum corruptelas ſibi licere autumabant, quod progreſſu, ac diuturnitate temporis invaluiſſent, aliaſque radices egiſſent; hanc falſam opinionem convellunt Patres ejuſdem Concilii Lateranenſis tertii Canone ſeptimo his verbis: *Putant plures ex hoc ſibi licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis, quia cupiditate cæcati ſunt, attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam*. Graviter etiam *Petrus Cantor*, qui duodecimo Eccleſiæ ſæculo florebat, in Summa Morali, quæ *Breviarium* dicitur, carpit eos qui morum corruptelas conſuetudine, & errantium multitudine roboratas ſibi licitas eſſe exiſtimabant. *Non minus peccas*, inquit, *quia cum multis, ſed magis peccas; nec minus ardebis, quia cum pluribus. Qui poſt multitudinem, vel Prælatum excuſari a peccato credunt, ſimiles ſunt Pilato lavanti manus ſuas, & dicenti: Mundus ſum a ſanguine hujus; non Danieli, qui ait: Sanguinem innocentem condemnaſtis, viri Juda, redite ad judicium.*

Sed proſequamur alia præcipua Capita doctrinæ Moralis duodecimi Eccleſiæ ſæculi. Bonorum Eccleſiaſticorum Clericos eſſe diſpenſatores dumtaxat, non dominos, doctrina erat omnium Eccleſiæ Doctorum duodecimi ſæculi conſenſu probata. Ita docuit Sanctus *Bernardus* Epiſtola 2. ad *Fulconem* data, ubi hæc habet: *Conceditur ergo tibi, ut ſi bene deſervis, de altari vivas, non autem ut de altari luxurieris, ut de altari ſuperbias, ut inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeaque pellicea a collo & manibus ornatu purpureo diverſificata. Denique, quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. Et in Epiſtola XLII. ad *Henricum* Senonenſem Archiepiſcopum inquit: *Clamant nudi, clamant famelici: noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis ——— duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis*. Sancto Bernardo ſuccinunt duo inſignes ejuſdem ſæculi duodecimi Viri *Arnulphus* Lexovienſis Epiſcopus, & *Petrus Bleſenſis*, quorum primus in Sermone habito in Concilio Turonenſi ſic effatur: *Poſſumus licite divitias poſſidere, ſi tamen nos non reputaverimus dominos, ſed miniſtros: Si intellexerimus, patrimonium pauperum eſſe patrimonium Chriſti, ſi proventibus Eccleſiæ, ſi pauperum neceſſitatibus erogantur. Alioquin fures & latrones nos ratio manifeſta convincit, ſi res alienas, invitis dominis præſumpſerimus arbitrio contrectare*. De redituum Eccleſiaſticorum diſpenſatione per Epiſcopum facienda ſic in Epiſtola XX. loquitur *Petrus Bleſenſis: Beneficiorum, quæ pauperibus conferuntur, menſura debet eſſe immenſitas. Non militibus, ſed pauperibus erogare patrimonium Crucifixi, cujus ipſe non dominus, ſed tutor eſt, ut miſereatur & commodet ad uſus egentium, tanquam teſtamentarius diſpenſator*: Ex quibus Teſtimoniis certiſſime liquet, hanc fuiſſe doctrinam Moralem duodecimi Eccleſiæ ſæculi, Clericos habere dominium in reditus Eccleſiaſticos honeſtæ eorum ſubſtentationi ſuperſtites, ſed quidquid ultra victum & veſtitum eis ſupereſt, in pauperum ſubſidium cedere debere.

Polygamiam ſpiritualem, ſeu Beneficiorum pluralitatem Concilia, & Patres duodecimi ſæculi diſtricte prohibuerunt. Sufficit hic referre Canonem decimum tertium Concilii Lateranenſis ſub *Alexandro*

Digitized by Google

xandro III. Pontifice Maximo celebrati, qui his verbis exprimitur: *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diverſas Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias Parochiales contra ſacrorum Canonum Inſtituta nituntur acquirere; ita ut cum unum Officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vindicent plurimorum: ne id de cætero fiat diſtrictius inhibemus. Cum igitur Eccleſias, vel Eccleſiaſticum Miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſam valeat exercere; quod ſi aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra Sanctos Canones recepit, amittat & qui dederit, largiendi poteſtate privetur.* In hoc Canone XIII. ſicut & in ſequenti XIV. Patres Concilii Lateranenſis III. exhibent multiplicem deformitatem, quam habet Beneficiorum pluralitas. Primo, quod quis unius officium vix implere poteſt, plurium ſtipendia ſibi vindicet. Secundo Officium Sacrum, & propter quod Beneficium Eccleſiaſticum inſtitutum eſt, reſidentiam poſtulet Miniſtri Eccleſiaſtici; reſidere autem in pluribus Eccleſiis Beneficiarius haud poteſt. Tertio quod juſtitiam diſtributivam lædat plurium Beneficiorum in unam perſonam coacervatio, ex quibus plurium Clericorum virtute & litteris conſpicuorum poſſet inopia ſublevari. Quarto, quia Beneficiorum pluralitas fovet ambitionem & cupiditatem, diſſolutioniſque & vagationis cauſam, unde *certum continet periculum animarum*, ut dicunt Patres ejuſdem Concilii Lateranenſis III. Canone XIV. Merito itaque *Petrus Bleſenſis*, Scriptor duodecimi ſæculi, in caput I. *Job* perſtringit Clericos, qui, non utilitatis Eccleſiæ & ſalutis animarum, ſed ſuæ dumtaxat ambitionis & cupiditatis habita ratione, plura Beneficia poſſident. *Plerique ſunt*, inquit, *qui non dicam animarum, de quibus reſpondere tenentur in die tremendi judicii, ſed vix Eccleſiarum ſuarum numerum cognoverunt. Adjungunt Eccleſiam Eccleſiæ, Præbendam Præbendæ, domum domui, agrum agro. De talibus dicit Iſaias: Væ qui conjungitis domum ad domum &c. Clerici, qui nihil poſſidere debuerant, præſumunt omnia poſſidere; non laborant, non arant, non ſeminant, non ædificant, non navigant: neque pugnant, & ut verbo Pſalmiſtæ utamur, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus, non flagellabuntur, ideoque tenuit eos ſuperbia, &c. Certe, qui cum hominibus temporaliter non flagellabuntur æterna ſunt cum dæmonibus flagella paſſuri.*

Poſtremo, ut brevitatis ergo, alia quamplurima prætermittam purioris Moralis doctrinæ ſaluberrima documenta, quæ in Operibus Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum duodecimi ſæculi paſſim leguntur de inimicorum dilectione, de eleemoſyna pauperibus eroganda, de charitate erga proximum, de vera cordis contritione, de ſincera pœnitentia agenda, jugi cupiditatum caſtigatione, & de ſedula mandatorum Dei obſervatione; His, inquam, miſſis purioris Moralis Chriſtianæ præceptis obiter tantummodo obſervabo, doctrinam, quæ, ad veram & ſtabilem Cordis in Deum converſionem, neceſſitatem amoris Dei ſuper omnia dilecti admittit, fuiſſe pervulgatam apud Sanctos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos duodecimi ſæculi. Unum inſtar omnium laudabo Sanctum *Bernardum*, qui in Epiſtola XI. ad *Guigonem* Priorem Cartuſienſem dicerte docet ſolam charitatem legem eſſe, quæ convertit animas: *Nec timor*, inquit, *nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, effectum nunquam. Facit quidem etiam ſervus non nunquam opus Dei, ſed quia non ſponte, in ſua adhuc duritia permanere convincitur. Facit & mercenarius, ſed quia non gratis, propria trahi cupiditate cognoſcitur. Porro ubi proprietas, ibi ſingularitas, ibi angulus; ubi vero angulus, ibi ſine dubio ſordes, ſive rubigo. Sit itaque ſervo ſua lex timor ipſe, quo conſtringitur: Sit mercenario ſua cupiditas, qua ipſe arctatur, quando ab ipſa tentatur, abſtractus & illectus. Sed harum nulla aut ſine macula eſt, aut animas convertere poteſt. Charitas vero convertit animas, quas facit & voluntarias.* Hactenus mellifluus ille Doctor, & præſtantiſſimum ſæculi duodecimi decus & ornamentum.

D. In momentoſo ſalutis meæ negotio puriori doctrinæ Morali Chriſtianæ mordicus adhærebo, nec probabiles ſequar hominum opiniones, ſed viam ſimplicem, anguſtam, & arduam, juxta concilium *Lactantii Firmiani*, quem, te ſuaſore, identidem lego, & cujus lectione magnopere delector, hanc autem viam *Lactantius*, Cicero Chriſtianus, libro VI. *Divinarum Inſtitutionum* cap. 7. & 8. depingit aureis verbis: *Hæc autem via, quæ eſt veritatis & ſapientiæ, & virtutis & juſtitiæ, quorum omnium fons unus eſt, una Sedes, & ſimplex eſt, quod paribus animis, ſummaque concordia unum ſequamur & colamus Deum, & anguſta, quoniam paucioribus virtus data eſt: & ardua quoniam ad bonum, quod ſummum atque ſublime eſt, niſi cum ſumma difficultate ac labore non poteſt perveniri. Errant ergo velut in mari magno, nec quo ferantur intelligunt qui nec viam cernunt, nec ducem ſequuntur ullum. Eadem namque ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter navibus quæritur, quæ niſi aliquod cæli lumen obſervent, incertis curſibus vagantur. Quiſquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aſpicere, ſed Cælum, & ut apertius loquar, non hominem ſequi debet, ſed Deum: non his terreſtribus ſimulacris, ſed Deo ſervire cæleſti: non ad corpus referre omnia, ſed ad mentem: non huic vitæ dare operam, ſed æternæ. Itaque ſi oculos in cælum ſemper intendas, & ſolem, qua oritur, obſerves, eumque habeas vitæ quaſi navigii ducem, ſua ſponte in viam pedes dirigentur & illud cæleſte lumen, quod ſanis mentibus multo clarius ſole eſt, quam hic, quem carne mortali videmus,*

ſic

ſic reget, *ſic gubernabit*, *ut ad ſummum ſapientiæ virtutiſque portum ſine ullo errore perducat*. *Suſcipienda igitur Dei lex eſt*, *quæ nos ad hoc iter dirigat*, *illa ſancta*, *illa cæleſtis &c.* Ad hanc tutiſſimam vitæ humanæ Regulam, quam ſuppeditat *Lactantius*, mores meos exigere pro viribus ſatagam, & omnes vias incertas, dubias, ac periculoſas ſollicite declinans, ſæpius cum Vate Regio Pſalm. XVI. Verſ. X. dicam Deo Optimo Maximo, *ut non loquatur os meum opera hominum*, *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*.

Finis Tomi Quarti.

Digitized by Google